CODEX DIPLOMATICUS

ET EPISTOLARIUS

REGNI BOHEMIAE

IUSSU COMITIORUM REGNI BOHEMIAE

EDIDIT

GUSTAVUS FRIEDRICH.

TOMUS II.

INDE AB A. MCXCVIII. USQUE AD A. MCCXXX.

PRAGAE MCMXII.

SUMPTIBUS COMITIORUM REGNI BOHEMIAE.

TYPIS ALOISII WIESNERI.

CODEX DIPLOMATICUS
ET EPISTOLARIUS
REGNI BOHEMIAE

II

PRAEFATIO.

CUM de ratione, qua Codicis huius editionem instituerim, uberius in voluminis primi praefatione sit disputatum, hoc loco pauca quaedam commemoranda esse videntur. Hoc volumine chartae continentur, quae ad Přemysli Otakari I regis tempora referuntur, inter quas regis ipsius diplomata ac litterae plurimi aestimanda sunt. Summorum pontificum privilegia et litterae accedunt, e quibus ceteris illae praestant, quibus contentio illa de libertate ecclesiastica inter Otakarum regem et Andream episcopum Pragensem gesta illustratur. Porro regum atque imperatorum Romanorum diplomata aliquot haud parvae auctoritatis libro huic inserta sunt. Postremo etiam marchionum Moraviae, episcoporum, abbatum, baronum Bohemiae et Moraviae chartae omnes hic reperiuntur, quae ex aetate regis illius adhuc temporis gratia servatae sunt.

Pleraeque chartae, quae hoc volumine exprimuntur, iam pridem publici iuris factae sunt — ut de aliis libris taceam — in secundo Codicis diplomatici Moraviae volumine, quod septuaginta tribus annis abhinc Antonii Boczek opera editum est, et in Caroli Jar. Erben Regestorum Bohemiae tomo I, ubi excerpta saltem ex iis sub num. 440—763 leguntur. Sed concordantias numerorum, quas infra pag. 572 sq. dedi, accuratius si inspexeris, me non totam materiam in Regestis coacervatam in opus meum recepisse facile cognosces. Primum illa XVII omisi diplomata, quae non ad Bohemiae res gestas pertinent. Praeterea etiam chartas illas novicias in saeculi XIX. parte prima confictas, quae e Codice Moraviae diplomatico in Regesta transsumptae sunt, et quae sine ulla dubitatione a primo Codicis illius editore ortae sunt, consulto reieci, quod ad antiquitatem cognoscendam nullius sunt momenti. Maiorem chartarum quas dixi partem Boczek se e codice Tisnowicensi saeculi XIV. descripsisse affirmat. Sed codicem hunc nunquam exstitisse et chartas illas non esse nisi auctoris eiusdem commenta iam anno 1897 demonstravi commentatiuncula, quae inscribitur 'Kodex Tišnovský,' in annalium ‚Český časopis historický' volumine III, pag. 359 sq. Aliquot alias chartas Boczek se ex antiquis apographis immo originalibus transscripsisse adseverat. Cum autem tabulariorum indices antiquissimos et chartularia aliaque scripta monasteriorum, ad quae chartae illae pertinent, diligentissime sim perscrutatus, etiam chartas ipsas nihil aliud ac falsa ab eodem auctore conficta esse plane mihi persuasi. Chartae illae commentitiae, quae ad annos volumini huic assignatos omnino XXI sunt, in concordantiis infra pag. 572 sq. datis asterisco numeris Regestorum et Codicis Moraviae praemisso denotantur.

Cum de materia in Regestis Bohemiae iam congesta XXXVIII chartas deminuerim, editionem meam LXXX chartis ac chartarum aut litterarum argumentis, quae nunc a me collecta et addita sunt, adauxi; e quibus haec XII saltem chartae et litterae nunc primum in lucem proferuntur: num. 20, 23, 58, 63, 64, 65, 123, 174, 192, 251, 317, 326. Duas epistulas (num. 20 et 23), e quibus non nisi fragmenta in decretalium collectionibus supersunt, restitui aliarum litterarum, quae ad eandem referuntur rem, auxilio usus. Cuius quidem restitutionis rationes accuratius exposui commentatione inscripta 'Rekonstrukce dvou listův Innocence III' in annalium ‚Český časopis historický' volumine XVI, pag. 13 sq. et 139 sq.

Quamquam igitur chartae et litterae, quae adhuc usque plane incognitae erant, voluminis huius minimam partem efficiunt, tamen facere non possum, quin dicam omnia fere quae hic exprimuntur diplomata atque litteras nunc demum ex optimis fontibus manu scriptis primum perfecte et verbis suis omnibus publici iuris fieri.

Omnia huius voluminis diplomata et litterae in duas divisa sunt partes, quarum prima acta genuina, altera spuria continentur, quae aut temporis nota aut personis, a quibus data esse finguntur, chartarum aetatis, qua hoc amplectitur volumen, speciem affectant. In diplomatum fide aestimanda aliam viam ingressus sum, atque ii viri docti, qui rem ante me tractarunt, cum illi crebro vagis potius opinionibus quam certis argumentis niterentur. Quo factum est, ut nonnulla diplomata, quae ab illis in dubitationem vocata sint, integra esse cognoverim, alia autem, quae huc usque vera esse crederentur, adulterina esse statuerim. Quas quidem quaestiones nunc opera mea ad certum finem perductas esse puto, quod non dubito, quin futurum sit, ut ad historiam huius temporis accuratius describendam valeat atque iis praesertim, qui iuris instituta tractent, nonnullam offerat utilitatem.

Restat, ut summas agam gratias tabulariorum tam vernaculorum quam exterorum magistris, qui thesauris suae curae commissis uti benigne mihi concesserunt. Tum amicis ac fautoribus, quos de singulis rebus adii, quo par est animo grates facere liceat, inter quos hi beneficiis suis devinctum sibi me voluerunt: Venceslaus Kratochvíl Vindobonensis, Benedictus Hammerl O. C. Zwettlensis, Florianus Watzl O. C. de Sancta Cruce, Ignatius Vysoký et Vlastimil Kybal Pragenses, Bohumil Navrátil et Adolphus L. Krejčík Brunnenses. Praesertim autem Venceslai Novotný collegae facere non possum, quin commemorem summam liberalitatem, quippe qui plagulas corrigendi onus mecum patienter tulerit suisque consiliis me in hoc opere saepenumero adiuverit.

Scripsi PRAGAE VII. KALENDAS DECEMBRES ANNI MCMXII.

GUSTAVUS FRIEDRICH.

HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

1.

Innocentius III papa Ludolfo, archiepiscopo Magdeburgensi, mandat, ut Danielem clericum per laicalem potentiam in episcopatum Pragensem evectum amoveat et canonicis eiusdem ecclesiae sibi pastorem idoneum iuxta formam canonicam eligendi concedat liberam facultatem. *Laterani [1198] apr. 8.*

Apographum eiusdem temporis exstat in Innocentii III regestorum volumine I, quod in tabulario Vaticano secreto (inter Reg. Vatic. tomus IV) asservatur, fol. 20r, lib. I, ep. 76 [in editionibus 78] (R).

Baluzius, Epist. Innocentii III, tom. I, pag. 43, num. 78 = Migne, Patrolog. lat. t. 214, col. 69, num. 78, — Palacký, Ital. Reise, pag. 18, num. 21 (reg.), = Erben, Reg. Boh. I, pag. 198, num. 440. — Potthast, Reg. pontif. num. 75. — Mülverstedt, Reg. archiep. Magdeb. II, pag. 46, num. 97. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V (Abth. III), num. 5635.

..[1] Magdeburgensi archiepiscopo.[a] Ex parte Pragensis ecclesie in audientia fuit nostra propositum, quod cum H.,[2] quondam Pragensis episcopus, viam fuisset[b] universe carnis ingressus, D.[3] clericus in eorum ecclesia preter electionem capituli per laicalem potentiam se intrusit,[4] licet nec mores, nec vita ei ad obtinendum tantum officium suffragentur. Volentes igitur eidem ecclesie paterna sollicitudine providere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad locum idoneum evocatis, qui propter hoc fuerint evocandi, si tibi constiterit de predictis, memoratum clericum ab eadem ecclesia, omni contradictione et appellatione postposita, prorsus amoveas et ab officio beneficioque suspensum ad nostram non differas presentiam destinare. Canonicis etiam Pragensibus eligendi sibi pastorem idoneum iuxta formam canonicam concedas auctoritate nostra liberam facultatem; sciturus nos dilecto filio nobili viro ..[5] duci Boemie per apostolica scripta[6] mandasse, ut tibi super hiis utiliter et potenter assistat et predictam ecclesiam non patiatur ab eodem clerico teneri diutius occupatam. Datum Laterani VI idus aprilis.

---

1. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.* — *b) genuine* ‚fuisset viam', *sed signis superscriptis corr. R.*

1) *Ludolfo.* — 2) *Henricus Břetislaus.* — 3) *Daniel II.* — 4) *Confer quae Gerlaci Milovic. Chron. ad a. 1197 refert:* ‚Wladizlaus sublimatus in ducem,... quendam ex capellanis suis, nomine Miliconem, cognomento Danielem, nobis eatenus incognitum, designavit in episcopum, negata omni electione clero' *(Fontes rer. Boh. II, pag. 513).* — 5) *Přemyslo Otakaro I.* — 6) *Epistula deperdita est.*

2.

Innocentius III papa canonicis ecclesiae Pragensis mandat, ut Daniele episcopo per Ludolfum, archiepiscopum Magdeburgensem, ab eadem ecclesia amoto, ad canonicam electionem procedant. *[Laterani 1198 apr. 8.]*

Epistula deperdita est; argumentum eius tantum in Innoc. III regestorum vol. I fol. 20r post lib. I ep. 76 [in ed 78] his verbis annotatur: ‚Canonicis etiam ipsius ecclesie scriptum est, ut illo amoto per archiepiscopum, ad canonicam electionem procedant.'

*Potthast, Reg. pontif. num. 75.**

Epistola haud dubie iisdem fere verbis atque proxime praecedens conscripta eodemque tempore missa est.

3.

Philippus, rex Romanorum, omnium principum suorum consilio habito, Otakaro, duci Bohemiae, dignitatem regiam concedit.

[Maguntiae 1198 cc. sept. 8.]

Diploma quidem deperditum est, sed summa ipsius continetur confirmatione Friderici II imperatoris electi dd. Basileae 1212 sept. 26, in qua legitur: ‚sicut dilectus patruus noster, pie memorie rex Philippus omnium principum habito consilio per suum privilegium instituit, ipsum regem constituimus et confirmamus'.

Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 20.

Philippum regem Ottacaro easdem fere gratias donavisse, quae in Friderici II confirmationis priore parte (ante verba ‚De nostre autem liberalitatis munificentia statuimus'*) perscribuntur, satis constat. Verborum, quibus Philippi regis donatio expressa erat, potissimam partem in Friderici II confirmatione satis accurate transscriptam esse contendere ausim. Verba tantum* ‚et confirmamus et tam sanctam et dignam constitutionem approbamus' *procul dubio a Friderico II addita sunt. Praeterea etiam verba:* ‚volentes, ut quicunque ab ipsis in regem electus fuerit, ad nos vel successores nostros accedat, regalia debito modo recepturus' *in Friderici II confirmationem demum addita esse exponit Goll, K výkladu privilegia Fridřicha II (Věstník kr. české spol. nauk 1903, num V) pag. 7. — Vide etiam Huber, Gesch. Österreichs I, pag. 383, not. 1; Kalousek, České státní právo (ed. 2) pag. 21; Dudík, Mährens Gesch. V, pag. 73; Winkelmann, Philipp v. Schwaben u. Otto IV v. Braunschweig I, pag. 138 sq.; Bachmann, Gesch. Böhmens I, pag. 386 sq.*

4.

Wolfgerus, Pataviensis episcopus, post suspensionem Heilicae, abbatissae sanctae Mariae[1] in Patavia, per imperatorem Henricum VI advocatus et provisor monasterii ipsius constitutus, inhibet, ne muta Bohemorum ex aerario Kunegundis imperatricis et fundatricis acquisita alienetur. *Pataviae 1198 —.*

Lang, Reg. Boica I, pag. 374 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 199, num. 443. — Litterae perperam indictionem VI (pro I) adferunt.

4. 1) *Kl. Niedernburg.*

5.

I. *Saul, archiepiscopus Colocensis, Christi fidelibus, qui certis diebus ad ecclesiam sancti Georgii in Lhota accesserint, indulgentias quadraginta dierum concedit, petente Georgio milite, consanguineo suo.* *Kalocsa 1199 ian. 8.*

II. *Daniel II, episcopus Pragensis, hanc indulgentiarum concessionem ratam habet et augmentat.* *— 1200 mart. 12.*

Dobner, Monumenta hist. Boemiae II pag. 325 (Specimen cod. dipl. Bohemico-Hungarici) num. 1 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 199, num. 444 (fragm.).

I. Saul, dei gracia Colozensis archiepiscopus, omnibus et singulis Christi fidelibus in regno Bohemie constitutis salutem in domino sempiternam. Iustis piorum desideriis annuere convenit. Sane cum strenuus miles Georgius, amicus noster et[a] consanguineus carissimus, nos multis precibus flagitaverit, ut illi a nobis recedenti quasdam indulgentias pro ecclesia sua in Lhota, que in regno Bohemie in honorem sancti Georgii dedicata existit, de archiepiscopali nostra potestate et benignitate concederemus: nos eundem eiusque servitores et subditos spiritualium munerum largitate prosequi volentes, presentium tenore in festo nativitatis Christi, resurrectionis et pentecostes nec non in die dedicacionis ipsius ecclesie et patroni omnibus et singulis Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui ad dictam ecclesiam accesserint, quadraginta dies de iniunctis sibi penitenciis relaxamus, modo venerabilis episcopi Pragensis, confratris nostri carissimi, in cuius diocesi hec ecclesia existere dinoscitur, voluntas et consensus ad id accedat. Datum et sigillo nostro archiepiscopali ratificatum in fidem premissorum in Kolocz, indictione II, anno MCLXXXXVIIII, feria VI post festum Epiphanie.

II. Et nos Daniel, dei gracia Pragensis episcopus licet indignus, loci diocesanus, auctoritate qua fungimur, has indulgencias ratas et gratas declaramus, annectentes iisdem de gracia nostra speciali alias XL dierum indulgencias in festo assumpcionis dei genitricis Marie. Sub anno domini millesimo CC, IV idus marcii.

6.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, fratribus hospitalis Hierosolymitani ecclesiam in Bojiště et villas quasdam ab Friderico duce eiusque uxore Elisabeth quondam donatas confirmat; insuper agros quosdam apud Podskalí villam ab eodem duce ipsis datos, de quibus Modliboh villicus suus cum eis contendebat, libere possidendos concedit. *[1198 ex. — 1199 in.]*

Autographum in membrana scriptum in tabulario magni prioratus Melitensium Pragae asservatur (A).

5. a) ‚et' *deest Dob.; supplevi.*

Appendix synoptica . . . continens . . . anacephaleosim constitutionum seu privilegiorum a nostris principibus . . . ordini s. Johannis in Jerusalem, vulgo Melitensium, concessorum [Pragae (?) cc. 1748] num. 10 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. I, pag. 354, num. 378 (ad ann. 1199, ex Dobneri Annal. Hagec. tomo VII ms.) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 200, num. 445 (fragm. ad a. 1199). — Delaville Le Roulx, Cartulaire général de l'ordre des Hospitaliers de s. Jean de Jérusalem I, pag. 658, num. 1053.

Autographum manu scribae, quem ,Otakarus 1' designamus, exaratum est. In diplomate conficiendo charta donationis, quam Elisabeth ducissa hospitali anno 1186 dedit (v. CD. Boh. I, num. 312) adhibita est, ex qua possessionum elenchus ad verbum descriptus est. — Diploma notis omnibus chronologicis caret, sed anno 1198 exeunte vel 1199 ineunte datum esse videtur, quod Robertus capellanus, qui inter testes adfertur, anno 1199 iam prioris munere verisimillime fungebatur (v. infra pag. 7, not. 6). Ceteroquin hoc saltem pro certo affirmari potest, diploma ante mensem iul. a. 1201 confectum esse; ab eo enim tempore inde Otakarus rex iam alio sigillo utebatur. — Palacký ap. Erben l. l. pag. 624 sine iusto argumento diplomatis huius fidem in dubitationem vocat.

C. ⁞ In nomine sancte et individue trinitatis. ⁞ Ego Premizl, dei gratia rex Boemorum. Cum regie dignitati conveniat non solum aliena sacrosanctis ęcclesiis col‖lata confirmare beneficia, verum etiam largiri propria, noverint tam presentes quam futuri, quod ego Premizl, rex Boemorum, ęcclesiam, quam illustrissima ‖ ducissa Elisabeth, uxor quondam fratris nostri excellentissimi ducis Friderici, in loco, qui dicitur Bogizc, construxit et fratribus Iherosolimitani hospitalis cum ‖ adiacentibus agris ad aratrum predictus frater noster uxoris suę peticione inductus contulit, nostra auctoritate eisdem fratribus confirmaverimus[a] et ne in dubium alicui posset venire, hanc nostrę confirmationis paginam nostro sigillo fecimus communiri. Preterea villam, quę vocatur Teinecz cum silva, que super Albiam iacet, ei pertinente et aliam villam, quę vocatur Lędci in provincia, quę vocatur Gritoouo, et terciam villam, quę vocatur Netribiz, et quasdam terras in villa, quę vocatur Breza, iuxta Zdethin etiam eadem auctoritate eis confirmaverimus,[a] sicut a fratre nostro, quondam eis atribute, erant confirmate. Insuper agros quosdam, de quibus Modlibog, villicus noster, cum quibusdam rusticis originariis nostris eos inpetebat, asserentes eos esse nostri[b] iuris, quamquam ad predictos fratres ex donatione fratris nostri iure spectabant; qui agri locati sunt infra quasdam vias, quę eandem terram versus occidentem terminant, in valle ad villam Podzkale,[c] versus occidentem[d] vero ad locum, qui vocatur porta lupi, circa prefatam ęcclesiam sepedictis fratribus libere concessimus possidendos; quod hoc nostrę sublimitatis scripto cum nostri sigilli inpressione etiam fecimus roborari, ne denuo super hoc alicuius inprobitate possint vexari. Si quis autem, quod non optamus, hanc nostrę confirmationis paginam infregerit, deum cum sanctis suis sibi sentiat adversum et eius bona nostro fisco vendicentur. Huius rei testes sunt: Martinus castellanus, Zlauco camerarius, Ratibor iudex, Wogzlauus et alter Wogizlauus,[e] Blego magnus, Budizlaus, Boguzlaus Reg-

6. *a)* ,confirmauim⁹' *A.* — *b) genuine* ,nris', *sed* ,s' *erasa A.* — *c)* ,kale' *in loco raso ead. manu eodemque atramento scriptum est A.* — *d) ita A scriptoris incuria pro* ,orientem'. — *e)* ,Wogzlau⁹ et alter Wogizlau⁹' *A.*

nardi filius, Rapoto notarius, Robertus capellanus, Bogusca castellanus de Decin, Soberide[f] filius Bezpremi, Busse filius Velissonis, Jura Mistigneui filius, Johannes Jarogneui filius.

Autographo appendet e filis sericis coloris flavi et rubri sigillum rotundum e cera naturali confectum, duo latera habens, cuius diametros sunt 70 mm. In priore sigilli parte figura conspicitur in solio sedens, veste regia induta, corona capiti imposita, manu dextra sceptrum, sinistra globum cum cruce gerens. Circumscriptio: ✠ PAX · REGIS OTACARI · IN MANV SCI · WENCEZLAI. *In parte aversa figura, cuius caput nimbo ornatum est, expressa est in solio sedens; quae in manu dextra vexillum tenet, sinistra scuto innititur. Circumscriptio:* ✠ SANCTVS · WENCEZLAVS · BOEMORVM DVX.

7.

Principes imperii in curia Norimbergae congregati, inter quos etiam Otacarus rex Bohemiae et Henricus marchio Moraviae, Innocentium III papam rogant, ut Philippo, quem Romanorum regem rite elegerint, faveat neque manum ad iura imperii iniuste extendat. *Spirae [1199] maii 28.*

Apographum exstat in Innocentii III registro super negotio imp., quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom VI) asservatur, fol. 4v, ep. 14 (R).

Baluzius, Epistolar. Innoc. III, t. I, col. 690, num. 14. — Boczek, Cod. dipl. Mor. I, pag. 351, num. 375. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 203, num. 451 (fragm. ad annum 1200) — Weiland, Constitutiones (Mon. Germ. Leg. sect. IV) t. II, pag. 3, num. 3. — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 27.

De anno, ad quem epistula referenda sit, v. Böhmer-Ficker l. l.

. . . . Magnitudini vestre duximus declarandum, quod mortuo inclito domino domino nostro H.,[1] Romanorum imperatore augusto, collecta multitudine principum, ubi nobilium et ministerialium imperii numerus aderat copiosus, illustrem dominum nostrum Philippum[a] in imperatorem Romani solii rite et sollempniter elegimus,[2] quo nec ingenuitate sublimiorem, nec honorum luce magis conspicuum, neque ad ceptra[b] et regimina sacri imperii gubernanda, nec ad ecclesiam dei, sicut dignum est et expedit, defensandam potiorem potuimus invenire. Verum quoniam propter paucos principes iusticie resistentes ad negocia imperii utiliter pertractanda ad hec usque tempora non convenimus, nunc[c] deliberatione habita cum predicto domino nostro rege Philippo[a] apud Nûrenberc sollempnem curiam celebravimus[3], unanimiter ita domino nostro, disponente altissimo, contra turbatores suos adiutorium prestituri, quod nullus in imperio et in terris, quas

---

6. *f) ita A.*

7. a) ‚Ph' *R.* — b) *ita R.* — c) ‚nec' *distincte R.*

1) *Henrico VI.* — 2) *In Arnstadt die 6 mart. et in Mühlhausen die 8 mart. anno 1198. Inter electores erat etiam Adalbertus archiep. Salisburgensis, regis Otakari frater; v. Winkelmann, Philipp v. Schwaben u. Otto IV v. Braunschw. I, pag. 501.* — 3) *Curia haec cc. mensem ianuarium a. 1199 (aut. nov. 1198) habita est; v. Böhmer-Ficker, Reg. imp. V_1, pag. 10. num. 21 e.*

serenissimus frater suus habuit, ipsius audebit dominium recusare. Quocirca dignitatis apostolice clementiam omni studio et attentione rogamus, ut precum nostrarum interventu, qui Romane ecclesie statum optimum semper dileximus, ad iura imperii manum cum iniuria nullatenus extendatis, diligentius attendentes, quod non sustinemus ius ecclesie ab aliquo diminui aut infringi. Igitur favorem vestrum et benivolentiam excellentissimo domino nostro fructuosius impendatis et eius honores ac commoda ita, ubi potestis, erigere dignemini cum effectu, ut iusticie non dominetur iniquitas, sed subdatur semper falsitas veritati. Monemus insuper et precamur, ut dilecto amico nostro, devoto et fideli domini nostri regis Philippi,[a] M.[4] marchioni Anchonensi,[d] duci Rauennensi,[e] procuratori regni Sicilie, imperialis aule senescalco, in negociis domini nostri apostolicam prestetis benivolentiam et favorem nec resistentibus ei prebeatis adiutoria, sicut de vestra confidimus sanctitate, certissime scientes, quod omnibus viribus, quibus possumus, Romam in brevi cum ipso domino nostro divinitate propicia veniemus pro imperatorie coronationis dignitate ipsi sublimiter obtinenda ....
Datum Spire V kalendas iunii.[f]

8.

Otakarus I, rex Bohemiae, promulgata inter se et Adelam consangui neamsuam sententia divortii ductaque in uxorem sorore regis Ungariae, ab Innocentio III papa huius matrimonii confirmationem atque ab impetitione consanguineae suae praefatae absolutionem petit. [— 1199 —]

Apographum insertum est transsumpto Innocentii IV papae dd. Lugduni 1245 iul. 13, cuius exemplar anno 1413 mart. 12 confectum in tabulario secreto Vaticano asservatur (B). — Aliud exemplar saec. XVII exstat in eodem tabulario, arm. II, caps. 8, n. 5 (C). — Transsumpti Innocentii IV exemplar anno 1773 confectum exstat in bibliothecae Parisiensis nationalis cod. ms. lat. nº 8990, fol. 170r — 170v (P).

Palacký, Ital. Reise, pag. 18, num. 23 (reg.). — Erben, Reg. Boh. I, pag. 201, num. 448 (frgm. ex B). — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V (Abth. 4), num. 10630 (reg.).

Epistulam anno 1199 fere medio missam esse ex epistula proxime subsequenti cognosci potest.

Sanctissimo patri suo Innocentio, sancte Romane sedis summo pontifici, O.[1] dei gracia[a] rex Boemie, debite subiectionis reverenciam et obsequium. Cum vestre discrecionis[b] cauta et potens auctoritas cunctis sciat et possit finem ac robur dare negociis, vestre notificamus sanctitati, nos in puericia nostra cuidam consanguinee nostre, ipsa[c] eciam in tenera etate existente, sine dotalibus instru-

7. d) ‚Anchoñ' *R.* — e) ‚Rauenñ' *R.* — f) ‚iunie' *R.*

4) *Markwardo.*

8. a) ‚gratia' *et similiter etiam infra* ‚tia' *pro* ‚cia' *habet P.* — b) ‚discretionis' *et infra semper* ‚tio' *pro* ‚cio' *habet P.* — c) ‚ipsam' *P.*

1) *Otakarus.*

mentis, preter parentum nostrorum conscienciam, insuper et illius cognatis ignorantibus, adhesisse et sic nos aliquot annis, set non sine lesione utriusque consciencie, cohabitasse. Super nostra autem disiunctione littere a Romana sede fuerunt impetrate, nec umquam predecessores vestri,[d] quamvis super hoc essent consulti, talem contractum stabilire voluerunt, eo quod nos in quarto gradu consanguinitatis attingeremus; set nescio qua de causa episcopus Pragensis beate memorie H.[2] eidem supersedit negocio. Cum vero ex ea sobolem suscepissemus, statueramus pudori suscepte prolis consulere et quod acciderat[e] sub silencio preterire. Verum tamen[f] cum ab amicis nostris et utriusque cognatis nec non et aliis viris religiosis super eodem facto sepe argueremur, eo quod nobis non esset tutum tali copula detineri, nec ipsa[c] a nobis secretius et diligentius inquisita eandem consanguinitatem inficiaretur, utile nobis visum fuit potius indebite coniunctionis sustinere dissolucionem, quam ei cohabitare contra ecclesie preceptum et honestatem. Cum vero ipsa mecum esset in regno, accesserunt utriusque cognati et nostrum in facie ecclesie coram episcopis iudicibus ordinariis regni nostri inpecierunt[g] contractum, asserentes illum impediente[h] consanguinitate non esse legitimum. Citati itaque pariter sumus ad iudicum presenciam,[i] et pro cognatis illius propinquioribus eciam est missum. Set nec ipsi nec ipsa ad locum prefixum, quamvis eis esset tutissimus, voluerunt accedere, qui ne potuissent accedere, nullum per nos habuere impedimentum. Accessit autem episcopus Pragensis[3] cum aliis viris venerabilibus ad prefatam uxorem et consanguineam nostram, et quid de eadem consanguinitate fateretur, inquisivit. Nec ipsa nos esse consanguineos diffitebatur. Cerciores itaque facti episcopi, cum tribus edictis[k] essemus vocati, et accusatores instarent, processerunt in eodem negocio et auditis allegacionibus accusatorum, cum ipsa se contumaciter absentaret, septem nobilium virorum testimonium, eorumdem[l] iureiurando confirmatum, super eadem consanguinitate, eo quod esset in quarto gradu, receperunt; sicque inter nos auctoritate ecclesiastica sententiam divortii promulgaverunt.[m] Quapropter, sanctissime pater, cum ista, sicut nobis videtur, rite fuerint[n] acta, et nos in facie ecclesie aliam legitime duxerimus in uxorem,[4] sororem scilicet dilecti et vobis in omnibus devoti regis Hungarorum,[5] obnixe petimus huius matrimonii confirmacionem et a consanguinee nostre impeticione absolucionem. Preterea latorem presencium,[6] priorem[o] cuiusdam monasterii nostri, virum religiosum, cuius fides nobis in omnibus est probata, non solum pro hac causa, set eciam pro diversis negociis, que sunt ad honorem

8. d) ‚nostri' *P.* — e) ‚accederet' *B.* — f) ‚verumptamen' *B.* — g) ‚impetierunt' *P.* — h) ‚impedire' *B.* — i) ‚ad iudicium pro sententia' *C.* — k) ‚editis' *B.* — l) ‚eorundem' *B.* — m) ‚promulgarunt' *B.* — n) ‚sint' *B*; ‚fuerit' *P.* — o) ‚procuratorem' *C.*

2) *Henricus Břetislaus † 1197 iun. 15.* — 3) *Daniel II.* — 4) *Constantiam, anno 1199; v. Ann. Boh., Fontes rer. Boh. II, pag. 282.* — 5) *Emmerici.* — 6) *fortasse Robertum, postea episcopum Olomucensem, quem priorem monasterii Nepomucensis, Cisterc. ord., fuisse refert Granum catalogi praesulum Olomucensium; v. Richter, Augustini episcoporum Olomuc. series, pag. 58.*

Romane curie, vestre sanctitati[p] direximus;[q] cui non minus in omnibus[r] quam nobis credatis. Si que autem alie littere ex nostra parte apparuerint, eis ut istis integraliter prestetis assensum.

Autographo, quod iam periit, bullam auream filo serico rubri coloris appensam fuisse, docet Index scripturarum existentium in castro s. Angeli, a. 1518 confectus, apud Montfaucon, Bibliotheca bibliothecarum I, pag. 203.

9.

Innocentius III papa Ludolfo, Magdeburgensi archiepiscopo, et de Burgelim et de Cella sanctae Mariae abbatibus mandat, ut de divortio Přemyslai Otakari, ducis Bohemiae, eiusque uxoris Adelae veritatem iniquirant.

[Laterani 1199 sept. ex. — oct. in.]

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano asservatur, fol. 186r—186v, lib II, ep. 186 [in editionibus 188] (R).

Raynaldi Annal. eccl. ad ann. 1199, § 42 (frgm.) — Baluzius, Epist. Innoc. III, tom. I, pag. 458, num. 188 = Migne, Patrolog. lat. tom. 214, col. 737, num. 188. — Palacký, Ital. Reise, pag. 18, num. 24 (reg.), = Boczek, Cod. dipl. Mor. I, pag. 353, num. 376, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 202, num. 449 (frgm.) — Potthast, Reg. pontif. 850. — Mülverstedt, Reg. archiep. Magdeb. II, pag. 54, num. 118 (reg.). — Mitzschke, Urkundenb. v. Bürgel I, num. 49 (reg.) — Beyer, Kl. Altzelle pag. 522, num. 19 (reg.) — Posse, Cod. dipl. Sax. regiae I Hauptth., tom. III, pag. 37, num. 40. — Dobenecker, Reg. Thuring. II, 210, num. 1102, — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V (Abth. III) num. 5688.

Quo tempore epistula data sit, ex loco quem in registro habeat, cognosci potest. Epistulae, quae ibi proxime praecedunt et sequuntur, nullam quidem notam temporis habent, sed ep. 183 (in ed. 187) die 27 sept. data est, ep. autem 189 (in ed. 191) die 5 oct. missa est. Cum autem epistulae temporis ordine satis recte servato in registrum describerentur, epistulam nostram mense aut septembre exeunte aut octobre ineunte datam esse apparet.

. .[1] Magdeburgensi archiepiscopo et . .[2] de Burgelim et . .[3] de Cella sancte Marie abbatibus.[a] Ex conquestione nobilis mulieris A.[4] nobis innotuit, quod cum dilectus filius . .[5] dux Boemie illam duxisset legitime in uxorem, et ipsam viginti[b] annis et amplius velut uxorem legitimam pertractasset, filiis et filiabus ex ea susceptis: eandem, suadente humani generis inimico, a suo consortio separavit et,[c] . .[6] Pragensis episcopus, convocato quorumdam prelatorum consilio in quodam monasterio, ad petitionem et mandatum ipsius ducis, ipsa volente ad eos accedere, ut suas coram eis proponeret rationes, militibus eiusdem ducis

8. *p)* ‚sanctitate‘ *B.* — *q)* ‚direxerimus‘ *P.* — *r)* ‚in omnibus‘ *deest B, C.*

9. *a) Superscriptio in R colore rubro scripta est.* — *b) verisimillime* ‚duodeviginti‘ *corrigendum; v. litteras Innocentii III a. 1206 apr. 26 datas.* — *c) hic verba* ‚venerabilis frater noster‘ *excidisse ex eisdem litteris cognosci potest.*

1) *Ludolfo.* — 2) *Alberto.* — 3) *Mathaeo.* — 4) *Adelae.* — 5) *Přemysl Otacarus I.* — 6) *Daniel.*

prohibentibus ei bis vel ter ingressum, ex parte illius appellatione ad sedem apostolicam interposita, sententiam inter eos divortii non est veritus promulgare; ac demum ipse dux quandam aliam, videlicet[7] sororem karissimi in Christo filii nostri . .[8] illustris regis Vngarie, superduxit. Quoniam igitur hec salva conscientia preterire non possumus indiscussa, cum secundum apostolum simus omnibus debitores: discretioni vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus vocatis ad presentiam vestram, quos propter hoc noveritis esse vocandos, inquiratis diligentius veritatem et quicquid inveneritis, nobis per litteras vestras intimare minime differatis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi, liberius in ipso negotio, prout ad nostrum officium pertinet, procedere valeamus. Nullis litteris[d] veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

10.

Innocentius III papa universo clero Franciae mandat, hortentur [Philippum] regem suum, ut apostolicis mandatis obtemperet et pellice repudiata, legittimam uxorem recipiat, in quibus litteris adnotat: ‚Ecce enim dux Boemie, sicut accepimus, ipsius secutus exemplum, uxore relicta legitima, simili modo adulteram superinducere non expavit.‘ *[Laterani 1199 m. oct.]*

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. 4) asservatur, fol. 188v—189r, lib. II, ep. 197 (R).

Baluzius, Epistolae Innoc. III, t. I, pag. 464 — Palacký, Ital. Reise, pag. 18, num. 25 (reg) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 203, num. 450 — Potthast, Reg. pontif. num. 855.

11.

Daniel II, episcopus Pragensis, indulgentias, quas Saulus, archiepiscopus Colocensis, illis concessit, qui ecclesiam sancti Georgii in Lhota certis diebus visitaverint, ratas habet novasque addit. *— 1200 mart. 2.*

Vide litteras Sauli episcopi anno 1199 ian. 8 datas (num. 5, II).

12.

Innocentius III papa Conrado II, archiepiscopo Maguntino, atque Conrado III Ratisbonensi et Wolfgero Pataviensi episcopis mandat, ut Danielem „intrusum in episcopum Pragensem citare personaliter non obmittant“.

[Laterani 1200 cc. apr.]

9. d) *quae subsequuntur, in R tantum voce ‚etc.‘ indicantur; supplevi secundum formam.*

7) *Constantiam.* — 8) *Emmerici et Andreae II.*

Litterae deperditae sunt. Apographum exstitit quondam in Innocentii III regestro litterarum anni III, quod iam periit, fol. 17, ep. 64; argumentum tantum servavit rubricarum eiusdem regestri elenchus ap. Theiner, Vet. monum. Slavor. merid. I, pag. 49, num. 64. — Potthast, Reg. pontif. num. 1028 — Böhmer-Will, Reg. arep. Magunt. II, pag. 117, num. 417.

In epistula iudicibus verisimillime mandatum datum est, ut de criminibus, quae Arnoldus canonicus Pragensis in Danielem electum contulisset, inquirerent eidemque episcopo ex parte domini papae iniungerent, ut usque ad festum beati Martini proximo futurum [nov. 11 a. 1200] ipsius papae conspectui se praesentaret (Vid. epist. a. 1202 maii 5 datam). — Episcoporum nomina scriptoris incuria in rubrica hunc in modum depravata sunt: ‚Archiep. Magunt. et Sabinensi et Pictavensi episcopis.‘ *Quam lectionem correxi auctoritate Gerlaci Milovicensis innisus, qui ad a. 1197 refert:* „[Arnoldus Danielem] compulit subire peregrina iudicia... Patauiensis et Ratisponensis episcoporum, similiter et sui metropolitani Maguntiae archiepiscopi“ *(Font. rer. Boh. II, pag. 514). Cf. Winkelmann in Göttinger gel. Anzeigen 1873, pag. 1104. — Quo tempore epistula scripta sit, ex ordine rubricarum cognosci potest. Epistula enim adhuc integra servata, ad quam rubrica 50 spectat (Po. 1000), a. 1200 apr. 3 data est; epistula vero, cuius argumentum rubrica 74 praebet (Po. 1009) a. 1200 apr. 27 data est. Itaque epistulam nostram circa mensem aprilem datam esse, verisimilis est coniectura.*

13.

Innocentius III papa Ludolfo, archiepiscopo Magdeburgensi, de Daniele in episcopatum Pragensem intruso scribit. *[Laterani 1200 cc. apr.]*

Epistulae apographum quondam exstitit in Innocentii III regestro litterarum anni III, quod iam periit, fol. 17, ep. 65; argumentum tantum in rubricarum eiusdem regestri libello ap. Theiner, Vet. mon. Slavor. merid. I, pag. 49, num. 65 his verbis indicatur; „Magdeburgens archiepiscopo super eodem.“

Potthast, Reg. pontif. num. 1029. — Mülverstedt, Reg. archiep. Magdeburg. II, pag. 59 num. 130.

Epistula procul dubio iisdem fere verbis atque proxima (num. 12) contexta erat.

14.

Innocentius III papa episcopo et capitulo Pragensibus praecipit, ut „infra certum terminum[1] conspectui apostolico se praesentent.“

[Laterani 1200 dec.]

Epistulae apographum exstitit quondam in Innocentii III regestro litterarum anni III, quod iam deperditum est, fol. 80, ep. 230; argumentum tantum servavit rubricarum eiusdem regestri libellus ap. Theiner, Vet. monum. Slavor. merid. I, pag. 54, num. 230. — Potthast, Reg. pontif. num. 1211.

Epistulam mense decembre ineunte vel medio datam esse ex ordine rubricarum cognosci potest. Epistulae enim, quarum argumentum rubricae num. 213 et 214 praebent (Potth. 1186 et 1187), a. 1200 dec. 8 datae sunt, epistula vero, ad quam rubrica 251 spectat (Potth. 1247), a. 1201 ian. 20 data est.

---

14. 1) *Scilicet ad festum Resurrectionis Dominicae (= mart. 25) anno 1201; v. infra num. 23.*

15.

Agnes, congregationis sancti Georgii abbatissa, monasterio Plasensi praediolum quoddam apud Kralovice situm vendit. *[cc. 1200.]*

Autographum in membrana scriptum in tabulario caes. reg. aulico Vindobonensi asservatur (A).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 204, num. 453 (fragm.) — Scheinpflug, Materialien zu einer Gesch. von Plass, in: Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen XII (1874), pag. 63, num. 16 (reg.)

Autographum eiusdem scribae Plassensis manu scriptum esse videtur, qui etiam aliarum monasterii illius chartarum autographa (Cod. dipl. r. Boh. I, num. 336, 342, 343) conscripsit. — Charta notis chronologicis omnibus caret. Sed anno fere 1200 scriptam esse verisimile est.

Notum sit Christi fidelibus tam presen||tibus quam futuris, quod ego || Agnes, dei gratia dicta abbatissa sancte || congregationis sancti Georii martyris, assensu et consilio sororum nostrarum deum timentium prediolum iuxta Cralewiz situm, quod multo tempore monasterio nostro omnimodis deperierat, vendidi fratribus de Plaz pro tribus marcis, ut inde quod monasterii nostri utilitati deperire videbatur, recompensaret.[a] Nomina testium: Adhewic filia regis, Hwalko thesaurarius ecclesie sancti Uiti, Walcunus canonicus predicte ecclesie, Elisabet monialis, Sdizlaus presbyter, Mathias capellanus, Alexander capellanus, Clemens, Dobroshezt, Sdizlawa, Bohumil camerarius.

Autographo appendet e scidula membranae fragmentum sigilli formae rotundae, quod de cera naturali confectum est. In sigilli medio imago feminae conspicitur. Circumscriptio: ✠ AGNЄS · A . . . . *(reliqua defracta sunt).*

16.

Innocentius III papa Přemyslaum Otakarum, „ducem" Bohemiae, reprehendit de diademate regio a Philippo, duce Sveviae, accepto; nuntiat ei, se praedictum ducem reprobare, eumque hortatur, ut Ottoni IV regi in Romanorum imperatorem electo fideliter adhaereat et ab ipso diadema regium sibi imponi postulet; addit Guidoni legato apostolico et magistro Philippo notario suo se mandasse, ut eum Ottoni regi commendent. *Laterani [1201] mart. 1.*

Apographum exstat in Innocentii III regesto super negotio imperii, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. t. VI) asservatur, fol. 14 r, ep. 43 [in editionibus 44] (R).

Baluzius, Epist. Innocentii III, tom. I, pag. 707 = Raynaldi Annal. eccl. ad ann. 1201 § 10, = Migne, Patrolog. lat. t. 216, col. 1046, = Palacký, Ital. Reise, pag. 18, num. 26

15. *a) ita A loco* ‚recompensaretur'.

(reg.), = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 6, num. 5 (reg.), = Erben, Reg. Boh. I, pag. 205, num. 457 (exc.) — Potthast, Reg. pontif. num. 1297. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V (Abth. 3) num. 5743.

. .[1] duci Boemie[a] Etsi commendabilis videaris in eo, quod ad honoris et dignitatis tue profectum et augmentum intendis, reprehensibilis tamen appares ex illo, quod ab eo imponi tibi petisti regium diadema, qui nondum legitime dignitatem regiam est adeptus. Qualiter enim posset nobilis vir Philippus,[b] dux Sueuie, conferre alii, quod nondum ipse accepit, cum non colligantur de spinis uve, nec de tribulis ficus,[2] nec sit facile suggere mel de petra vel oleum de saxo durissimo, tua nobilitas satis intelligit per se ipsam. Licet autem, quia duobus ad[c] imperium obtinendum favere nōn possumus, nec est tam in imperio persone quam in persona[d] imperio providendum, quia etiam ad hoc dignior reputatur, qui magis idoneus repperitur, personam predicti ducis quoad imperium, presertim hoc tempore, obtinendum penitus propter impedimenta patentia, que per litteras generales[3] exprimimus,[c] reprobemus: volentes tamen honori tuo sollicitudine paterna consulere, nobilitatem tuam monemus et exhortamur attentius et per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus karissimo in Christo filio nostro illustri regi Ottoni, in Romanorum imperatorem electo et a nobis opportuno tempore dante domino coronando, fideliter et constanter adhereas et ab ipso imponi tibi postules regium diadema. Cum autem apostolica sedes post fundamentum illud, de quo inquit apostolus: ‚fundamentum positum est preter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus',[4] fundamentum totius christianitatis existat, iuxta illud evangelii: ‚Tu es Petrus et[e] super hanc petram edificabo ecclesiam meam',[5] nos qui, licet insufficientibus meritis, ad eius sumus regimen evocati, procurabimus ex collata nobis plenitudine potestatis, ut quod factum fuerit, etiam posterorum tuorum temporibus obtineat firmitatem; eundemque regem per venerabilem fratrem nostrum . .[6] Penestrinum episcopum, apostolice sedis legatum, virum scientia preditum, conspicuum honestate, religione laudandum, quem inter ceteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, et dilectum filium magistrum Philippum,[b] notarium nostrum, virum providum et discretum, nobis et fratribus nostris acceptum, duximus commonendum, ut se tibi facilem et benivolum studeat exhibere; quod ex quanta benignitate procedat, industrie tue relinquimus discernendum. Datum Laterani kalendis martii.[f]

---

16. *a) Superscriptio colore rubro scripta est in R. — b)* ‚Pħ' *R. — c) pro* ‚ad imperium — exprimimus' *in R legitur:* ‚etc. in eundem modum, ut in precedenti usque: reprobemus', *e qua quidem epistula 42, duci Zaringie missa, hanc epistulae partem supplevi. — d)* ‚persone in' *R. — e),* ⁊ f. h. p. h. e. m̄am' *R. — f)* ‚Datum ut supra' *R; supplevi ex eiusdem registri epistula 32, quae data est* ‚illustri regi Ottoni in Roman. imperatorem electo', *Potth. num. 1292.*

1) *Přemysl Otakarus I.* — 2) *cf. Matth VII, 16.* — 3) *Litterae etiam die 1 martii datae sunt; v. Potthast Reg. num. 1293; ap. Migne, Patrolog. lat. t. 216, col. 1036.* — 4) *I Cor. III, 11.* — 5) *Matth. XVI, 18.* — 6) *Guidonem, de quo cf. Winkelmann, Philipp v Schwaben I, pag. 205, not. 1.*

17.

Daniel II, episcopus Pragensis, commutationis pactum, quod Henricus Břetislavus, quondam episcopus Pragensis, cum Georgio de Milevsko fecit de villis quibusdam episcopalibus, confirmat.

In capitulo Pragensi [1198—1201] mart. 4.

Duo autographa in membrana scripta in tabulario castri Vorlík asservantur (A1, A2).

Erben, Reg. Boh. I. pag. 171, num. 381 (frgm.).

Utrumque autographum manu scribae, quem ‚Daniel 1' designamus, scriptum est. Idem scriba etiam alias Danielis II episcopi chartas, quorum autographa supersunt, exaravit. Praeterea ab eiusdem scribae manu etiam nonnulla Přemysli Otakari I regis diplomata profecta sunt; vid. prooemium ad num. 27. — In temporis nota annus omissus est, sed chartam anno 1201 non esse posteriorem ex eo cognosci potest, quod inter testes Florianus praepositus Pragensis adfertur, qui post hunc annum iam nusquam commemoratur.

✠ ‖ In nomine sanctę[a] et individue trinitatis. Ego Henricus, dei gratia Pragensis episcopus, universis ecclesie[b] filiis presentibus et futuris ‖ *etc.*[1] Ego Daniel, dei gratia Pragensis ecclesię[c] secundus huius nominis episcopus, quorundam suggestione factum hoc in irritum revocare volui, set saniori deliberatione, amcis[d] mediantibus, idem concambium decessoris mei equa censura libratum auctoritate propria[e] confirmavi et sigilli ęcclesię Pragensis impressione roboravi. Huius confirmationis testes sunt hii: Florianus prepositus, Hvalco[f] archidiaconus, Walcun,[g] Fridricus, Pribizlaus,[h] Wecimil,[i] Benedictus,[k] Mirozlaus[l] et omnes fere canonici. Actum hoc in capitulo Pragensi, die translationis beati Wencezlai.

Autographo A1 e filis sericis rubri coloris duo sigilla de cera naturali confecta appendebant, quorum tantum parva fragmenta servata sunt. Utrumque sigillum, quod autographo A2 olim appensum erat, iam avulsum et deperditum est.

18.

Innocentius III papa Danieli Pragensi et Roberto Olomucensi episcopis mandat, ut „compellant per censuram ecclesiasticam universos in regno Boemie constitutos fidelitatem et obedientiam exhibere [Otakaro] principi Boemorum."

[Laterani 1201 apr.]

Epistulae apographum exstitit quondam in Innocentii III regestro litterarum anni IV, quod iam periit, fol. 106, ep. 46; argumentum tantum servavit rubricarum eiusdem regestri libellus ap. Theiner, Vet. monum. Slavor. merid. I, pag. 56, num. 46. — Potthast, Reg. pontif. num. 1340.

---

17. *a)* ‚sancte' *A2.* — *b)* ‚ęcclesię' *A2.* — *c)* ‚ęcclesię' *A2.* — *d) ita scriptoris errore A1;* ‚amicis' *A2.* — *e)* ‚auct. nostra' *A2.* — *f)* ‚Hualco' *A2.* — *g)* ‚Fridricus, Walcun' *A2.* — *h)* ‚Pribzlaus' *A2.* — *i)* ‚Wecemil' *A2.* — *k)* ‚Mirozlaus (‚o' *ex* ‚a' *statim inter scribendum corr.),* Benedictus' *A2.* — *l)* ‚M' *ex* ‚m' *eod. atramento corr. A1.*

1) *Sequitur charta Henrici Břetislavi, episcopi Pragensis, anno 1184 data, totidem verbis transscripta, quam dedimus in Cod. dipl. regni Bohemiae I, pag. 273, num. 303.*

Epistula mense aprili 1201 medio data esse videtur. Epistula enim adhuc integra servata, ad quam rubrica num. 52 (ap. Theiner pag. 57) spectat (= Po. 1323), aprilis die 19 data est. — Vide et. Höfler, in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen VII, pag. 145.

19.

Innocentius III papa Danieli Pragensi et Roberto Olomucensi episcopis mandat, ut „inhibeant districte, ne aliqui in regno Boemie ea, que vel ipsi vel eorum predecessores ecclesiis aut piis locis donaverunt, ad se revocent, nec de cetero ecclesias molestent in premissis“. *[Laterani 1201 apr.]*

Epistulae apographum exstitit quondam in Innocentii III registro litterarum anni IV, quod iam deperditum est, fol. 106, ep. 47; argumentum tantum servavit rubricarum eiusdem registri libellus ap. Theiner, Vet. mon. Slavor. merid. I, pag. 56, n° 47. — Potthast, Reg. num. 1341.

Epistula procul dubio eodem tempore atque praecedens data est.

20.

Innocentius III papa Ludolpho Magdeburgensi et Eberhardo II Salisburgensi archiepiscopis atque Romaro praeposito Seeburgensi, quae de divortii sententia inter Otakarum regem Bohemiae eiusque uxorem Adelam, per Danielem episcopum Pragensem lata, acta fuerint, significat eisque mandat, ut testes, quos utraque pars produxerit, recipiant et gesta omnia in scriptis redacta ad sedem apostolicam mittant. *[Laterani 1201 mai.—iun.]*

Apographum exstitit quondam in Innocentii III papae registro litterarum anni IV, quod iam deperditum est, fol. 110, ep. 65. — Nunc fragmenta tantum supersunt, quas servavit magistri Alani Decret. compilatio, lib. II, tit. 10 de testibus, c. 4, in cod. ms. bibliothecae reg. Fuldensis D5 signato, fol. 165^r—165^v (B) et Decret. compilatio IV, lib. II, tit. 7 de test., c. 5 (D; singuli codices ita signantur; Da: cod. lat. Monac. 3879; Db: cod. Gracensis 374; Dc: cod. Gracensis III, 106; Dd: cod. Gracensis III, 138; Df: cod. Marburgensis C2; Dg: cod. Lipsiensis 908.) — Excerptum valde mutilum legitur etiam in Gregorii IX pp. Decr. lib. II, tit. 20 de test., c. 46 (G).

Ant. Augustinus, Antiquae collectiones decr. (ed. 1621) pag. 758 = Ant. Augustini Opera omnia vol. IV (Lucae 1769), 639. — Goldast, De Bohem regni iurib. ac privil. commentarii, App. docum. (ed. 1627) pag. 20, (ed. 1719) col. 26 (ex D) = Balbin, Miscell. hist. regni Boh. lib. VI, pag. 13, num. 10 (perperam ad ann. 1206). — Böhmer, Corp. iur. canon. II, pag. 310 (ad. ann. 1210). — Richter, Corp. II, 324. — Friedberg, Corp. II, col. 336 (ex G, B, D). — Epistulae argumentum ex elencho rubricarum registri Innocentii III papae anni IV praebet Theiner, Vetera monum. Slavor. merid. I, pag. 57, num. 65. — Potthast, Reg. pontif. num. 1376 (ad iun. 2). — Mülverstedt, Reg. archiep. Magdeburg. II, num. 152 (reg. germ.).

Epistulae maximam partem iisdem fere verbis repetit Innocentii III epistula anno 1210 apr. 13 ad Adelam mulierem nobilem missa (R; vide infra num. 88), de qua ea, quae in decretalium compilationibus omissa sunt, restitui. — In epistula conscribenda notarius

epistulam eiusdem papae a. 1199 m. sept. ex. vel oct. ineunte datam (v. num. 9) adhibuit eiusque nonnulla verba in epistulae nostrae priorem partem transtulit. Ad quem temporis terminum epistula nostra sit referenda, ex loco, quem argumentum ipsius in rubricarum regestri Innocentii III papae anni IV libello ap. Theiner l. l. habeat, conici potest. Namque ex illis quae integrae adhuc supersunt eiusdem papae epistulis illa, cuius argumentum rubrica num. 52 (= Potth. 1323) praebet, anno 1201 apr. 19 data est; epistula vero, ad quam rubrica num. 85 (= Potth. 1386) pertinet, anno 1201 iun. 30 data est. Cum igitur epistulae generatim ordine temporis satis recte servato in registrum scriberentur, epistulam nostram mense aut maio aut iunio eiusdem anni missam esse, nemo non videt. Quod Potthast epistulam ad 2 iunium huius anni refert, nullis comprobari potest argumentis.

. .[1] Magdeburgensi[a] et . .[2] Salzburgensi[b] archiepiscopis et . .[3] preposito Seburgensi.[c] Constitutis[d] in presentia nostra dilectis filiis[e] . . procuratore[f] dilecte in Christo filie[g] A.,[4] sororis nobilis viri[5] marchionis Misinensis,[h] et . . nuntio illustris[i] principis Boemorum, dilectum[j] filium nostrum P.,[6] tituli[k] sancti Marcelli presbyterum cardinalem, eis[l] concessimus auditorem. Coram quo proposuit procurator nobilis memorate, quod cum olim ea significante ad nostram audientiam pervenisset, quod predictus[m] princeps eam duxisset legitime[n] in uxorem et * decem et octo[o] annis et amplius velut[p] coniugem legitimam[n] pertractasset, filiis et filiabus ex ea susceptis[q] * .et venerabilis frater noster[r] . .[7] Pragensis[s] episcopus ad petitionem et mandatum eiusdem principis, ipsa volente ad eum[t] accedere, ut suas coram eo[u] proponeret rationes,[v] sed[x] a satellitibus eiusdem principis[y] prohibita,[z] qui ei bis vel ter prohibuerunt ingressum, post appellationem ad nos interpositam divortii sententiam promulgasset,[aa] a qua prefata[bb] nobilis per suum capellanum infra[cc] decem dies fecit ad nostram presentiam[dd] provocari[ee]: eodem principe[ff] superducente postmodum carissimam in Christo filiam C.[8] sororem carissimi in Christo filii nostri . .[9] regis Vngarorum illustris, post diversas litteras super eodem negotio impetratas demum venerabilibus fratribus nostris . .[10] Halberstatensi et . .[11] Nuhemburgensi[gg] episcopis et dilecto filio . .[12] abbati de Porta dedimus

20. *a)* ,Inno. III Magedeburgensi' *B;* ,Idem Magedeburgeñ (Madeburgeñ *Dd*) archiepiscopo' *Dafg;* ,Idem Magro urgeñ ar' *Db.* — *b)* ,Saliburgensi' *B;* ,et Salzburg.' *desunt D, G.* — *c)* ,s crucis' *B;* ,Scli.' *Dc;* ,Sebg.' *Dd;* ,Seb'' *Df;* ,et prep. Seb.' *desunt Db.* — *d)* ,Constitutus' *B.* — *e)* ,dil. fil.' *desunt D;* ,dilectus f. n.' *B.* — *f)* ,procurator' *B.* — *g)* ,dil. fil. in xpo' *Dacfg;* ,dil. f. in xpo filia' *Db.* — *h)* ,A. — Misinen.' *desunt Df;* ,Missueñ' *Dabg.* — *i)* ,nobilis et illust.' *Dfg;* ,nobil illustris' *Dd;* ,nobilis viri marchionis Boemorum' *Db.* — *j)* ,dil. f. n. P.' *desunt Dc.* — *k)* ,tit.' *deest B, Dacdfg.* — *l)* ,eis' *deest D.* — *m)* ,dictus' *Db.* — *n)* ,legittime' *D.* — *o)* ,XVIII' *B;* ,xiiii (or)' *D.* — *p)* ,velud' *Df.* — *q)* ,susceptis ex ea et progenitis' *B;* ,susceptis ex ea' *D.* — *r)* ,et ven. fr. noster' *desunt B, D; supplevi ex R.* — *s)* ,Prag.' *deest B.* — *t)* ,ad causam' *B;* ,ad ipsum' *D.* — *u)* ,eo' *deest B.* — *v)* ,actiones' *D.* — *x)* ,sed' *deest B.* — *y)* ,principis eiusdem' *B.* — *z)* ,est proh.' *B, D.* — *aa)* ,protulit' *B.* — *bb)* ,predicta' *Dc.* — *cc)* ,etiam (ī) infra' *Db.* — *dd)* ,audientiam' *B.* — *ee)* provocari, etc. Et infra' *B, D; quae subsequuntur usque* ,Nos igitur' *supplevi ex R.* — *ff)* ,rege' *R.* — *gg)* ,Hambembergensi' *R.*

1) *Ludolfo.* — 2) *Eberhardo II.* — 3) *Romario alias Rainero.* — 4) *Adelae.* — 5) *Theoderici.* — 6) *Petrum.* — 7) *Daniel II.* — 8) *Constantiam.* — 9) *Emmerici.* — 10) *Gardulfo.* — 11) *Bertoldo.* — 12) *Winnemaro.*

in mandatis,[13] ut vocatis ad suam presentiam, quos noscerent evocandos, inquirerent diligentius veritatem et quod invenirent, per suas nobis litteras intimarent, ut ex eorum relatione sufficienter instructi, procedere liberius in ipso[hh] negotio valeremus; ipsi vero testes postea receperunt ex parte nobilis prefate[ii] productos, qui iuraverunt pro utraque parte dicere veritatem, et depositiones eorum propriis sigillis inclusas ad nostram presentiam transmiserunt. Verum cum super hiis procurator nobilis memorate[jj] et nuntius eiusdem principis[kk] coram cardinali predicto[ll] aliquamdiu litigassent, procurator[mm] ipse attestationes easdem approbandas asseruit[nn] et nuntius ex adverso eas, utpote lite non contestata et post appellationem ad nos legitime interpositam inordinate receptas, petiit[oo] reprobari. Nos igitur intellectis per cardinalem predictum, que[pp] fuerunt hinc inde proposita, attestationes pro nobili memorata receptas[qq] nec approbandas duximus,[rr] nec etiam improbandas,[ss] sed eas tempori[tt] discussionis[uu] decrevimus[vv] reservari, ut tunc pro illis vel contra illas a partibus allegetur; discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandantes,[xx] quatinus partibus ad locum idoneum convocatis, omni excusatione et contradictione[yy] cessante, recipiatis[zz] testes, quos vel[a] nobilis illa[b] pro se vel princeps pro parte sua,[c] cum nondum testificata didicerint,[d] super processu Pragensis[e] episcopi vel posteriorum[f] iudicum duxerint[g] producendos, ita[h] quod nobilis ipsa vel testes quos prius induxit,[i] vel alios, si voluerit, inducere non vetetur,[j] cum non renuntiaverit[k] testibus producendis[l]; et gesta omnia redacta in scriptis et vestris inclusa sigillis ad sedem apostolicam destinetis, statuentes[m] partibus[n] terminum competentem, quo recepture sententiam[o] nostro se conspectui representent.[p]

20. *hh)* ,ipso' *supplevi ex Innoc. III lib. II ep. 186 (v. supra pag. 9, lin. 10).* — *ii)* ,ex tua parte' *B.* — *jj)* ,Verum cum procurator tuus' *R.* — *kk)* ,regis' *R, ubi post hanc vocem additur:* ,propter hoc ad sedem apostolicam constituti.' — *ll)* ,coram dil. fil. nostro P. tit s. Marcelli presb. cardinali, quem ipsis dedimus auditorem' *R.* — *mm)* ,et procurator' *R.* — *nn)* ,assereret' *R.* — *oo)* ,peteret' *R.* — *pp)* ,qui' *Df.* — *qq)* ,pro memorata nobił susceptas' *Dc.* — *rr)* ,duximus' *deest Dd.* — *ss)* ,nec inprobandas' *Df;* ,reprobandas' *R.* — *tt)* ,tempore' *B, D, (unicus Dc corr.* ,i' *supra lineam).* — *uu)* ,disputationis' *Df;* ,discutionis' *R.* — *vv)* ,decernimus' *Df.* — *xx)* ,p a. s. v. disc̄. p̄. m.' *B;* ,p a. s d. v. p̄. m.' *Dabcf;* ,p. a. s. dis. v. p a s. m.' *Dd.* — *yy)* ,occasione' *B;* ,ac occasione' *R.* — *zz)* ,eos recipiatis' *Dc.* — *a)* ,vel' *deest Dbcdf.* — *b)* ,ipsa' *D; sequ.* ,vel' *Dbcdf.* — *c)* ,sua parte' *B.* — *d)* ,didicerunt' *Dc;* ,didicerit' *Dadg;* ,didicerat' *Db.* — *e)* ,Prag.' *deest B.* — *f)* ,predictorum' *R.* — *g)* ,duxerit' *Dadg.* — *h)* ,et nobilis' *D.* — *i)* ,indux̄it' *Df.* — *j)* ,v'etur' (= veretur) *Df.* — *k)* ,renuntiavit' *Dc.* — *l) quae subsequuntur, desunt D.* — *m)* ,prefigentes' *R.* — *n)* ,partibus' *deest B, supplevi ex R.* — *o) scriptoris incuria hic* ,per se vel procuratores suos' *excidisse videntur.* — *p) In epistulae autographo hic procul dubio additum erat:* ,Testes autem, qui nominati fuerint, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere; nullis litteris veritati et iustitie preiudicium facientibus, si que apparuerint preter assensum partium a sede apostolica impetrate. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.'

13) *Litterae haec, anno fere 1200 datae, iam deperditae sunt.*

21.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio Gradicensi prope Olomuc villam Štěpánov donat, villis eiusdem exemptionem ab omni servitute concedit eique villas quasdam confirmat. — *1201 [m. iul.]*

Autographum in membrana scriptum in tabulario caes. regio aulico Vindobonensi asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 2, num. 2, (cuius editionis menda corrigit Teige, Zpráva o pramenech dějin kl. Hradišťského [Věstník kr. České Spol. nauk 1893, n. XII] pag. 37, not. 1) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 206, num. 460 (frgm.).

Autographum manu scribae ,Otakarus 2' (de quo vid. prooemium ad num. 22) scriptum est. In diplomate conficiendo diploma, quod monasterium Gradicense a Vladislavo I rege anno 1160 iun. 16 acceperat, adhibitum est; e quo nonnulla enunciata in priore diplomatis nostri parte atque tota sanctio ad verbum fere descripta sunt. Quam ob rem diploma nostrum in monasterio ipso verbis conceptum esse verisimile est. — Diploma eodem fere tempore atque illud, quod sequitur, procul dubio datum est. — Palacký ap. Erben l. l. pag. 624 et Dějiny I, ps. 2, pag. 442 et Dudík, Mährens Gesch. V, pag. 14, nota 2 diplomatis fidem ex vano in suspicionem vocant.

‖ Anno dominice ‖ incarnationis millesimo CCI, epacta XIIII, concurrente VII, indictione IIII. Ego Premisl,[a] dei gracia III Boe‖morum rex, considerans, quanta rerum instabilitate presentis vitę prosperitas evolvitur, quantis quibusque pressuris et angustiis rerum provectus agitentur, ‖ precipue tamen claustralium beneficiorum ac monasteriorum ceterorum persecutiones in futurum precavens, inopię fratrum ęcclesię, quę est secus urbem Olomuch ‖ in nomine sanctę et individuę trinitatis edificata et in honore sancti prothomartyris[b] Stephani dedicata, aliquatenus succurrere dignum duxi. Ante omnia tamen pię conversationis eorum studium, iusticię formam et virtutis constanciam in mandatis divinę legis et sanctorum patrum statutis previdens, ut essem plantatus in domo domini et memoriale meum in atriis domus eius ut cedrus Libani perpetuo sic efflereret,[c] tantorum dei athletarum orationum particeps cupiens fieri, desiderio animi in deum ferventis[d] accensus, tandem me precibus ipsorum commendavi et devotę munus communionis suscepi. Dilectissimos siquidem fratres meos in Christo ne gratuito mihi concessa fraternitate aliquatenus deserere videar, * pro mea regnique mei incolomitate ac stabilitate, iusticię debito ac misericordię precibus informatus, unâque pro germani fratris mei Wladizlay, marchionis Morauiensis, sospitate nec non et uxoris meę, filię regis Vngarorum et reginę Boemorum, Constancie et filii mei Wratizlay meorumque remissione peccatorum et ceterorum fratrum meorum, Wladimiri videlicet ac Brecyzlay principum Morauiensium, qui iam vinculis carnis absoluti debitum naturę persolverunt, consensu omnium nobilium Boemorum ac Morauorum villam nomine Scepanouiche,[e]

---

21. *a)* ,Premisl' *litteris maiusculis scriptum A.* — *b)* ,pthomr' *A.* — *c) genuine scriptoris incuria* ,effloriret', *sed eodem atramento corr. A.* — *d) ex* ,fervens' *statim inter scribendum in loco raso corr. A.* — *e)* ,Scepanouiche' *in spatium vacuum relictum eadem manus addidit A.*

insuper et per omnes villas omnem censum annualem, qui collecta nuncupatur, eidem monasterio predicto beati prothomartyris[b] Stephani in usum fratrum perpetuo possidenda concessi. Preterea ab omni servitutis iugo ita liberas reddidi, ut nec villici principum vel militum, servi castrorum vel dominorum liberi eas ullo ausu in omni casu bono vel malo ingredi presumant, donec domino abbati vel ceteris fratribus vel curiali eorum casu manifestato, accusatus vel accusandus, iudicandus vel dampnandus, fur vel homicida omni iudicio vel satisfactioni per eos representatus assistat, et in eo omni, quo iudicatus succubuerit, nulli preter abbatem et fratres respondeat. Sed ne processu temporis quod geritur in tempore labatur cum tempore, hoc evidens privilegium presentis scripturę memoria cum sigilli mei inpressione et harum personarum testimonio roboravi: Bawarus Olomucensis XIIIIus episcopus, Daniel Pragensis XVIus episcopus, Albertus abbas de Monte Syon, Mislen abbas de Lutomisl, Georgius abbas de Luca, Tyburcius abbas de Trebech, Florianus prepositus Pragensis, Christianus prepositus Wissegradensis, Andreas prepositus Bolezlauensis, Baldwinus decanus Olomucensis, Vitalis canonicus Pragensis, Slauko camerarius Boemię, Boguzlaus camerarius Morauiensis, Cyrnin cum fratre suo Brecyzlao, Jarozlaus, Boguta, Budiuoy, Jacobus, Semizlaus, Blud, Medl, Predbor, Sobegird, Sdizlaus. Sub eiusdem vero sigili munimine, interventu predicti abbatis Hermanni et fratrum eorundemque[f] testium supradictorum, has villas confirmavi: Tvidmirici,[g] Budkouenę, Weletin, Syrakouici, Opatouici, Zirouici; Vque tabernas: Ia in Olomuch, IIa Techelchih, IIIa Nakel, IIIIa Bunouich, Va in Oppaua. Igitur[h] ego Bawarus, * Olomucensis ęcclesię XIIIIus episcopus,[i] et Daniel, sancte Pragensis ęcclesię episcopus, huic tali decreto bannum apponimus: ut si quis temerator huius rei aut contemptor exstiterit, perpetuis subiaceat cruciatibus innodatus et sanctorum dei, quorum[k] ibi reliquię continentur, meritis et intercessionibus * sine intermissione * cum Juda traditore salvatoris suppliciis maneat deputatus inferni. Amantibus et laudantibus hec, pro posse quoque augentibus * sit salus et protectio, pax et exultatio * nunc et in evum. Amen.[l]

De tribus sigillis, quae quondam autographo e scidulis membranae appendebant, tantum primum sigillum non modice laesum superest. Quod quidem sigillum formae ex longo rotundae erat (alt. 77 mm, lat. 56 mm). In sigilli area figura feminae in solio sedentis, veste regia indutae conspicitur, quae corona capiti imposita, manu sinistra sceptrum, dextra globum cum cruce gerit. Circumscriptio: ✠ SIGILL CONSTANCIE DEI GR. . . . . EGINE.

22.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae et dux Olomucensis, una cum coniuge Constantia et filio suo Vratislavo decimas de provincia Holasicensi episcopo Olomucensi dari constituit idemque ecclesiae sancti Venceslai Olomucensi villam Drysice donat.

— *1201 m. iulio.*

21. *f)* ,que' *eadem manu superscriptum A. — g) ita A. — h)* ,Ig' *A. — i)* ,epc' *ex* ,epe' *eod. atramento corr. A. — k) genuine* ,qui' (q̃) *sed eod. atramento corr. A. — l)* ,Amen' *litteris maiusculis scriptum A.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario archiepiscopali Cromesirii asservatur (A). — Apographa saec. XIV exstant in Libro privilegiorum eccl. Olomuc. E I 27, fol. 6v in tabulario capituli metropol. Olomucensis et in chartulario tabularii Cromesirensis fol. D VIIv, num. 29.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 5, num. 4 = Erben, Reg. I, pag. 206, num. 459 (extr.) — Cf. Lechner in Zeitschr. f. Gesch. Mährens u. Schles. II, pag. 133.

Autographum scriba, quem ,Otakarus 2' designamus, conscripsit. Eadem manus tantum in diplomate num. 21 iterum in conspectum redit. Scribam e cancellariae regiae numero non fuisse mihi quidem videtur ipsumque clericum ecclesiae Olomucensis fuisse, contendere ausim. In temporis nota scribae incuria perperam indictio V (loco IV) adfertur.

⁝ In nomine sancte et ⁝ individuę trinitatis, patris et filii et spiritus sancti. Notum sit universis sancte religionis christianę professoribus ‖ et in caritatis unione fideliter perseverantibus, tam presentibus quam posteris, quod ego Premisl,[a] miseratione divina opitulante rex ‖ Boemorum tercius et dux Olomucensium, reminiscens conditionis humanę atque fragilitati meę consulens, pro remedio peccatorum me‖orum, cupiens particeps fieri ęternę retribucionis ab omnium bonorum retributore, cum coniuge mea regina Constancia et filio meo Wratizlao, acclamantibus et laudantibus omnibus meis primatibus, tam Boemis, quam Morauis, constitui decimam episcopo dari in provincia Golassizch undique per omnes villas meas et militum meorum, videlicet VI denarios de aratro,[b] secundum ius ęcclesiasticę institucionis et antiquorum tradicionem patrum. Veruntamen quia facta mortalium tempore labente iacturam oblivionis plerumque senciunt, nisi monimentis litterarum alligentur et eorum amminiculo ab oblivionis interitu defendantur, sapientum virorum providencia salubriter provisum est, ut memoriam rerum gestarum posteris scripto transmittamus. Ne igitur super hac constitucione mea, quam etiam divinę leges abprobant,[c] aliqua suboriatur negligencia vel controversie admittatur occasio fraudulenta, summam rei geste posterorum memorię scripto transmittere dignum duxi atque sigilli mei inpressione confirmavi. Nomina eciam testium, qui eidem actioni affuerunt, tam spiritualium quam secularium, presenti pagine inserere precepi,[d] quatinus testimonio multorum veritas innixa, calumpniatorum compescat fallaciam. Si quis autem irretitus vicio superbie hoc immutare attemptaverit, tamquam sacrilegus perpetuo anathemate damnatus, perpetuis cruciatibus inferni deputetur. Isti sunt, qui affuerunt: Bawarus episcopus, Jurik, Cirnin, Wlastibor, Boguzlau camerarius, Baluinus decanus, Zbineus archidiaconus, Boscho archidiaconus, Walterus archidiaconus, Stephanus, Jacob magister, Jacobus comes de Wiscou,

22. a) ,Premisl' *litteris maiusculis scriptum A.* — b) *sequitur locus rasus 101 mm continens, in quo fere 30 litterae scriptae erant; e quibus quidem litteris haec tantummodo cognosci possunt;* ,i(n) p(er)petuu(m) . . . .' *Locum hunc ante saeculum XIV med. iam erasum fuisse ex eo colligitur, quod voces hic erasae in utroque libro privilegiorum ecclesiae Olomucensis non descriptae sunt.* — c) *ita A.* — d) ,c' *in loco raso, ubi genuine* ,s' *positum erat, eod. atramento scr. A.*

Sdizlaus subcamerarius, Petr, Pomnenus, Medl, Suirch, Semizlaus. Insuper[e] eciam contulimus ęcclesię beati Wencezlai martyris villam Drissich hereditario iure possidendam in finem seculi sub testimonio prescriptorum testium; quod si quis immutare laboraverit, perpetuo anathemate remaneat condempnatus. Amen.[f]

Anno dominicę incarnacionis MCCI, indictione V,[1] epacta XIIII, concurrente VII, mense iulio.

Autographo appendet e scidula membranae fragmentum sigilli Otakari I regis e cera naturali confecti, quod eadem forma expressum est atque sigillum diplomatis num. 57.

23.

Innocentius III papa Eberhardo II, archiepiscopo Salisburgensi, committit Danielis II, episcopi Pragensis, canonicam purgationem a criminibus, quae Arnoldus, Pragensis canonicus, in eum contulit. *[Signiae 1201 iul. — aug.]*

Apographum exstitit quondam in Innocentii III papae registro litterarum anni IV, quod iam deperditum est, fol. 129, ep. 126. Fragmenta tantum supersunt in magistri Alani Decret. compilatione lib. V, tit. 1 de accus. c. 5, in cod. ms. bibl. Fuldensis D 5 signato, fol. 192r — 192v (B) et in mag. Petri Beneventani Decr. comp. lib. V, tit. 1 de acc. c. 2 (C; singuli codices ita signantur: Ca: cod. Monac. lat. 3879; Cb: cod. Gracensis 374; Cc: cod. Gracensis III 106; Cd: cod. Gracensis III, 138; Cf: cod. Fuldensis D 5; Cg: cod. Lipsiensis 983). — Excerptum valde mutilum legitur etiam in Gregorii IX Decr. l. V, tit. 1 de acc. c. 15 (G).

Ant. Augustinus, Antiquae collectiones decret. (ed. 1621) pag. 395 = Ant. Augustini Opera omnia vol. IV (Lucae 1769), 570. — Goldast, De Bohem. regni ... iuribus ... commentarii (ed. 1627) App. docum. fol. 20, (ed. 1719) App. docum. col. 27 (ex G) — Balbin, Miscell. hist. reg. Boh. lib. VI, pag. 14, num. 12 (ad ann. cc. 1206 ex G) — Dobner, Monum. hist. Boem. I, pag. 127, not. o (ex G). — Böhmer, Corp. iur. can. II, pag. 700. — Richter, Corp. II, pag. 709. — Friedberg, Corp. II. col. 737. — Ep. argumentum ex elencho rubricarum reg. Inn. III anni IV praebet Theiner, Vet. monum. Slavor. merid. I, pag. 59, num. 126 = Potthast, Reg. num. 1449. (Cf. ibid. nº 1672 not.)*

Epistulae maximam partem iisdem fere verbis repetit Innocentii III papae epistula a. 1202 maii 5 ad capitulum Pragense missa (R; v. infra num. 31), de qua ea, quae decretalium compilatores in opere suo omiserunt, restitui. — Quo tempore epistula nostra data sit, ex loco, quem argumentum ipsius in rubricarum elencho ap. Theiner l. l. habeat, cognosci potest. Epistula enim, cuius argumentum sub num. 104 (= Potth. 1385) ibi adfertur, anno 1201 iun. 20 data est; epistula vero, cuius argumentum eodem loco sub num. 164 (= Potth. 1477) adfertur, anno 1201 oct. 5 data est. Epistulam nostram igitur mense iulio vel augusto eiusdem anni datam esse, verisimilis est coniectura.

---

22. *e)* ‚Insuper — Amen‘ *atramento magis distincto aliaque penna adhibita eadem manus addidit; temporis notam tum autographo iam inscriptam esse, ex eo cognoscitur, quod eodem atramento eademque penna atque illa diplomatis pars, quae praecedit scripta est. — f)* ‚Amen‘ *litteris maiusculis scriptum est A.*

1) *Recte IV.*

. . [1] Salzeburgensi[a] archiepiscopo. Veniens ad sedem apostolicam[b] dilectus filius A.,[2] Pragensis canonicus, contra venerabilem fratrem nostrum . .[3] Pragensem episcopum[c] proposuit coram nobis, quod cum esset filius sacerdotis, in ecclesiam fuit[d] Pragensem intrusus[e] et contra[f] eiusdem ecclesie privilegium, imperiali ei liberalitate[g] concessum[4] et per sedem apostolicam confirmatum, hominium[h] dilecto filio nobili viro[i] . .[5] duci Boemie prestitisset et[j] regalia recepisset ab eo, sic subiciens Pragensem ecclesiam servituti. Proposuit etiam,[k] quod uxorem evidenter haberet, de qua filios[l] generavit; quod sigillum adulterinum confinxerit;[m] quod sit ebriosus, fornicator et[n] publicus istrio, ita quod quadam vice cum duobus ioculatoribus contra tres alios ioculatores[o] certamine inito, enormiter fuerit[p] lesus in naso et eo fere, sicut apparet hodie, mutilatus; et unus reliquorum trium ioculatorum, contra quos decertabant,[q] qui ibidem interiit, ab eo creditur interfectus.[r] Ad hec[s] subiunxit idem A.,[2] quod thesauro ecclesie Pragensis usque ad mille marcas per eum male distracto, consiliariis ipsius ducis usque ad quinquaginta villas et amplius conferre non timuit in grave Pragensis ecclesie detrimentum, et ipsi duci quoddam nobile castrum[6] dedit, quod eidem ecclesie pietatis intuitu fuit ab O. quondam Boemie duce collatum. Unde[t] predictum episcopum ad festum Resurrectionis Dominice proximo preteritum[7] meminimus nos peremptorie citavisse.[u] Idem vero[v] episcopus per nuntios et litteras ad suam excusationem viarum discrimina, consecrationem crismatis imminentem,[w] et quod filius nobilis viri . . Boemie principis[8] esset per ipsum baptizandus tunc temporis, allegavit.[x] Licet autem excusationes huiusmodi, sicut erant, frivolas extimantes,[y] ipsum reputaverimus contumacem, nec procuratores eius in causa possemus admittere[z] criminali, eis tamen dilectos filios nostros[aa] G.[9] sancti Angeli et H.[10] sancti Eustachii diaconos cardinales concessimus auditores, ut si possent, ipsum[bb] aliquatenus excusarent. Cumque predictus A.[2] coram eis repetiisset[cc] obiecta, ei fuit ex adverso responsum, quod cum olim super hoc ad venerabilem fratrem nostrum . .[11] Madeburgensem[dd] archiepiscopum littere fuerint[ee] impetrate,[12] idem

---

23. *a)* ‚Inno. III in registro: Salceburg.' *B*; ‚Idem Baburg' *Cb*; ‚Id. Saleburgen.' *Ccd;* ‚Id. Salzseburgen.' *Cf.* — *b)* ‚ad ap. sedem' *Cf.* — *c)* ‚inter alia' *addunt hoc loco Ccdf.* — *d)* ‚fuerat' *C.* — *e)* ‚in ecclesia pgensi fuit intrusus. Et infra:' *B.* — *f)* ‚et contra — servituti' *desunt B.* — *g)* ‚libertate' *Cbcf.* — *h)* ‚homagium' *Cadf.* — *i)* ‚dil. fil. nostro duci' *Cacdf.* — *j)* ‚ac' *Cacf.* — *k)* ‚Proposuit etiam — interfectus' *desunt C.* — *l)* ‚filiam' *C, correxi ex R.* — *m)* ‚confincxit' *R.* — *n)* ‚et' *deest R.* — *o)* ‚istriones' *R.* — *p)* ‚fuit' *R.* — *q)* ‚decertabat' *R.* — *r)* ‚creditur interfectus ab eo. Et infra:' *B.* — *s)* ‚Ad hec — collatum' *desunt B, C; restitui ex R.* — *t)* ‚Unde nos' *C;* ‚Unde pred. episc. *usque* repetiisset obiecta' *desunt B.* — *u)* ‚peremptorio meminimus citavisse' *C.* — *v)* ‚vero' *deest Caf.* — *w)* ‚innuentem' *ed. Augustini.* — *x)* ‚per nuncios et litteras allegavit' *G.* — *y)* ‚existimantes' *Cacg.* — *z)* ‚recipere' *Cacdf.* — *aa)* ‚nostros' *deest R;* ‚n. G.' *deest Cb.* — *bb)* ‚illum' *C.* — *cc)* ‚repetisset' *C.* — *dd)* ‚Mardeburgen' *Ca;* ‚Maideburgen̄' *Cf.* — *ee)* ‚fuerant' *B;* ‚fuerunt' *Cc.*

1) *Eberhardo II.* — 2) *Arnoldus.* — 3) *Danielem II.* — 4) *Vid. Cod. dipl. Boh. I, num. 316.* — 5) *Vladislavo Henrico.* — 6) *Podivín.* — 7) *a. 1201 mart. 25.* — 8) *fortasse Vratislavus, qui in diplomatibus num. 21 et 22 nominatur.* — 9) *Gregorium.* — 10) *Hugonem.* — 11) *Ludolfum.* — 12) *a. 1198 apr. 8; v. supra num. 1.*

A.,[2] qui contra episcopum solus agebat, in obiectorum se videns probatione deficere, depositis vestibus et pedibus nudis ad pedes eius humiliter se prosternens, veniam postulavit, et quod adversus eum calumpniose processerat,[ff] est confessus. Ceterum cum super hoc stare mandato[gg] eiusdem archiepiscopi iuravisset,[hh] ipse precepit eidem sub debito prestiti iuramenti, ut contra eundem episcopum de cetero talia proponere[ii] non auderet. Nos igitur intellectis per cardinales eosdem,[kk] que fuerunt[ll] hinc inde proposita, cum nobis ex ipsius[mm] A. confessione[nn] constaret, ipsum iuramentum huiusmodi prestitisse[oo] ac[pp] tale recepisse mandatum: super impetitione predicti[qq] episcopi silentium ei[rr] duximus imponendum; propter contumatiam tamen[ss] ipsi[tt] episcopo citationem et[uu] purgationem propter infamiam indicentes.[vv] Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem episcopum denuntians[xx] ab officio pontificali suspensum, donec post purgationem[yy] suam iter arripiat[zz] ad sedem apostolicam veniendi: ab eo publice cum duobus episcopis et tribus abbatibus, qui bone opinionis existant[a] et vitam eius noverint, tam moderno tempore[b] quam transacto, nisi[c] aliquid de predictis sit[d] adeo manifestum, ut propter illud[e] ab ecclesie eiusdem prelatione merito debeat[f] amoveri, canonicam purgationem recipias[g] de obiectis; ex parte nostra[h] iniungens eidem, ut usque ad dominicam, qua cantatur ‚Letare Ierusalem', proximo[i] futuram[13] nostro se conspectui representet.[k] Quod si forsan in purgatione defecerit,[l] aut nostro se contempserit[m] conspectui presentare, ipsum a Pragensis ecclesie prelatione, sublato appellationis obstaculo, prorsus[n] amoveas,[o] canonicis[p] eiusdem ecclesie licentiam auctoritate nostra concedens alium per electionem canonicam in episcopum eligendi.

24.

Philippus, Romanorum rex, Eberhardo II, archiepiscopo Salisburgensi, eiusque ecclesiae abbatias regales Chiemsee et Seon donat. — Inter testes: ‚Heinricus marchio Morauię'.

Apud Bamberg 1201 sept. 14.

---

23. *ff)* ‚processerit' *B.* — *gg)* ‚mandato stare' *Cacdf;* ‚stare mandatis' *R.* — *hh)* ‚iurasset' *B, Cf.* — *ii)* ‚proponere talia' *Cc.* — *kk)* ‚per card. eosdem' *desunt B.* — *ll)* ‚fuerant' *Cb.* — *mm)* ‚expressius' *Cabcfg;* ‚expressius per ipsius' *Cd.* — *nn)* ‚confessionem' *Cd.* — *oo)* ‚iuramentum in hunc modum ipsum prestitisse' *B;* ‚huiusmodi' *deest Cg.* — *pp)* ‚et' *B.* — *qq)* ‚dicti' *Cacdg;* ‚ei dicti' *Cf.* — *rr)* ‚ei' *deest Cafg.* — *ss)* ‚propter contumatiam tamen' *desunt B.* — *tt)* ‚ipsi' *deest C, R;* ‚eidem' *G.* — *uu)* ‚citationem et' *desunt B;* ‚citationem ei' *sed punctis deletum Cf.* — *vv)* ‚propter inf. purg. indicentes' *B. Quae subsequuntur usque ad finem desunt in C.* — *xx)* ‚denunties' *B.* — *yy)* ‚post purg. — ab eo publice' *desunt B; supplevi ex R.* — *zz)* ‚arriperet' *R.* — *a) praecedit* ‚omnino' *in loco raso scriptum, sed deletum B;* ‚existant' *R.* — *b)* ‚vitam eius nossent tam illo tempore' *R.* — *c)* ‚et nisi' *B.* — *d)* ‚aliquod predictorum esset' *R.* — *e)* ‚per id' *B.* — *f)* ‚deberet' *R.* — *g)* ‚recipiat' *B;* ‚super obiectis reciperet' *R.* — *h)* ‚ex parte nostra — in episc. eligendi' *desunt B, C; restitui ex R.* — *i)* ‚proxime tunc futuram' *R.* — *k)* ‚presentaret' *R.* — *l)* ‚deficeret' *R.* — *m)* ‚contempneret' *R.* — *n)* ‚prorsus' *addidi, ut cursus restitueretur.* — *o)* ‚amoveret' *R.* — *p)* ‚vobis' *R;* ‚can. eiusd. eccl.' *restitui secundum stilum curiae.*

13) *anno 1202 mart. 24.*

Monum. Boica XXIX, ps. I, pag. 504, num. 571 (ex autogr. tabularii reg. Monacensis) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 9, num. 7 (frgm.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 207, num. 462 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 59.

De his quae tunc Bambergae acta fuerint, Chron. s. Petri Erford. haec refert: ‚Hoc anno facta est translatio corporis sancte Cunegundis regine in ecclesia Babenbergensi in Nativitate s. Marie virg. *[sept. 8]* sub Innocencio papa tercio . . . . Eo tempore et die Philippus rex in predicta civitate curiam plurimorum episcoporum et principum convocaverat, eumque regem fore sacramento confirmaverunt, quamvis ab apostolica sede per quendam cardinalem Romane ecclesie legatum *[Guidonem episc. Praenestinum]* excommunicatus promulgatus fuisset rex Philippus cum omnibus fautoribus suis *(Holder-Egger, Monum. Erphesfurt. pag. 201). — Ottakarum regem Bohemiae in curia ista per Henricum fratrem suum, ut querelarum epistula ad papam (v. num. 29) etiam suo nomine mitteretur, licentiam concessisse verisimillimum est. Cf. Winkelmann, Philipp v. Schwaben I, pag. 256.*

25.

Magister Philippus, notarius papae, Innocentio III ea, quae post Ottonis, regis Romanorum, confirmationem Coloniae (iul. 3) celebratam una cum Guidone, episcopo Praenestino, in Ottonis gratiam egerit, latius perscribit; inter alia regem Bohemiae rebus Ottonis favere significat. *[1201 ante sept. 26 vel 30.]*

Apographum exstat in Innocentii III registro super neg. imp., quod in tabulario Vaticano (inter Reg. Vat. tom. VI) asservatur, fol. 16v, ep. 51 [in editionibus 52] (R).
Baluzius, Epp. Innoc. III, t. 1, pag. 710, num. 52 = Migne, Patrolog. lat. t. 216, col. 1053, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 207, num. 461 (fragm.) — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, (Abth. 3), num. 9976.
De tempore cf. Schwemer, Innoc. III u. die deutsche Kirche, pag. 141 et Reg. imp. V l. l.

. . . . Nam de Sueuo,[1] ut verum fatear, sicut testis est deus, mentio non habetur, nisi quod aliquando ascitis aliquibus episcopis, quos potest difficulter habere, Warmaciensi[2] videlicet, Spirensi[3] et cancellario suo,[4] langravio[5] etiam et quibusdam comitibus, qui cum eo non ambulant recto corde.[a] Nam dux Boemie, potior pars auxilii sui, et dominus Argentinensis[6] ac plures de superioribus nobiscum sunt per illius gratiam, qui recte cuncta disponit. . . . .

26.

Daniel II, episcopus Pragensis, monasterio Teplensi decimas, quae iuris sui erant, concedit, petente nobili viro Hroznata. *[Pragae] 1201 —.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii Teplensis asservatur (A).
Erben, Reg. I, pag. 204, num. 456 (fragm.).

25. *a) Hic registratoris incuria quaedam omissa esse videntur in R.*

1) *Philippo rege Romanorum excommunicato.* — 2) *Leopoldo.* — 3) *Conrado.* — 4) *Conrado de Querfurt, episcopo Hildesheimensi.* — 5) *Thuringiae, Hermanno II.* — 6) *Conradus II.*

Charta manu scribae, quem ‚Daniel I' designamus, scripta ab ipsoque verbis contexta est. De quo quidem scriba vid. prooemium diplomati proxime sequenti praemissum.

✝ ⁝ In nomine sanctę et individuę trinitatis. Ego Daniel, dei gratia XVII[us] ęcclesię ⁝ ‖ Pragensis et secundus huius[a] nominis episcopus, universis Christi fidelibus tam futuri quam moderni temporis. Cum generaliter ‖ omnibus christicolis prodesse teneamur, specialiter tamen eos, qui divino lumine irradiati decorem domus ‖ dei ampliare totis viribus anhelant, confovere, amplecti, consolari eorumque utilitatibus quantum possumus invigilare debemus. Quapropter notum fieri volumus tam posteris quam presentibus, quod dominus G.,[1] vir nobilis, ęcclesię Teplensis fundator, zelo dei accensus et quieti eiusdem domus prospiciens, cingulum secularis milicię deposuit, se ipsum suosque redditus deo contulit, pro decima, quę iuris nostri erat, faventibus tam canonicis nostris quam huius terrę primatibus, obnixe interpellavit. Nos itaque ipsius devotioni congaudentes et novellę plantationi providere cupientes, precibus eius gratanter annuimus tam de hiis, que prefata ęcclesia in presentiarum possidet, quam de hiis, que in posterum iustis modis poterit adipisci. Ne ergo pravorum hominum hanc nostrę concessionis paginam[b] possit infringere perversitas, placuit hoc ipsum scripto commendari et manu propria per impressionem sigilli tam nostri quam ęcclesię Pragensis roborari, eorum etiam, qui affuerunt, seriatim nomina subnotari. Nomina testium: Cuno abbas de Breunov, Siluester abbas de Cladorub, Florianus prepositus Pragensis, Hualco[c] archidiaconus, Walcun, Fridericus, Vitalis, Vitco, Vecemil, Georgius, Matheus. Datum anno incarnationis domini MCCI per manum Hualconis archidiaconi et custodis, annuente capitulo Pragensi.

Sigilla episcopi et capituli, quae autographo scidulis membranae appensa erant, iam deperdita sunt,

27.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio Teplensi collectam denariorum per Boemiam confert. *[cc. 1201 —]*

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii Teplensis asservatur (A).

Erben, Reg. I, pag. 204, num. 455 (fragm.).

Diploma manu scribae, quem ‚Otakarus 3' vocamus, scriptum atque ab ipso verbis contextum est. Idem scriba etiam diplomata, quae ab Otakaro I rege 1205 monasterium in Plasy et a. 1212 ecclesia Pragensis acceperunt, manu sua conscripsit. Eiusdem scribae manu exaratae sunt etiam omnes Danielis II episcopi Pragensis chartae, quarum autographa supersunt; in quibus ipsum nota ‚Daniel I' signavimus. Praeterea ad eundem scribam haec autographa revocanda sunt; Henrici episcopi Pragensis charta monasterio in Plasy a. 1190 oct. 1 data;

26. *a)* ‚h' *ex* ‚e' *statim inter scribendum corr. A.* — *b) prima* ‚a' *ead. manu superscr.* (p[a]ginā) *A.* — *c)* ‚u' *ex* ‚a' *radendo corr. A.*

1) *Hroznata.*

Ottonis ducis Bohemiae diploma monasterio in Louka a. 1190 oct. 25 datum; Hroznatae comitis de monasterio Teplensi condito testamentum a. 1197 confectum; Henrici episc. ducisque Boh. charta monasterio Teplensi a. 1197 data. Postremo etiam eiusdem Henrici chartam de coenobii in Maštov fundatione a. 1196 iun. 20 datam, cuius apographum tantum servatum est, ab eodem scriba compositam esse mira quadam stili similitudine comprobatur. Cum itaque scribae huius opera tam episcopi Pragenses quam duces Bohemiae eodem tempore usi sint, ipsum ex clericorum ecclesiae Pragensis numero fuisse verisimilis est coniectura. — Diploma notis chronologicis omnino caret, sed eodem fere tempore atque praecedens Danielis episcopi charta datum esse videtur.

+ ‖ In nomine sancte et individue trinitatis. Ego ‖ Premuiscel, dei gratia rex Boemie, notum esse cupimus tam posteris quam presentibus, quod illustris ‖ comes et amicus noster Groznata intuitu eterne retributionis in honore beate Marie perpetue ‖ virginis ecclesiam in Teppla fundavit et bonis, quę hereditario iure possidebat, liberaliter dotavit. Cuius devotioni congratulantes pro remedio anime nostre parentumque nostrorum collectam[a] denariorum, quę ex eventu per Boemiam collgi[b] solet, de omnibus hominibus, quos in presentiarum possidet, vel imposterum iustis modis possessura est, prefate ecclesie in presentia nobilium nostrorum perpetuo iure possidendam eidem[c] loco contulimus.[1] Ut autem hec apud posteros firmius perseverent, placuit hoc ipsum scripto commendari et sigilli nostri impressione roborari, eorum etiam, qui affuerunt, seriatim nomina subnotari. Huius rei testes sunt: Daniel episcopus, Ratibor, Slauco camerius,[d] Georius, Smilo, Jaroslav, Cirin,[e] Arnust, Benes, Rathmir, Hotebor, Hogka,[f] Luduic, Cuna, Sobegird, Racec filius Ratibor, Grabisa et Boguslaus[g] filii Slauconis. Si quis autem hec immutare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Sigillum, quod e scidula membranae appendebat, iam avulsum et deperditum est.

28.

Rudgerus miles monasterio in Louka decimas integras ex omnibus vineis in monte apud villam Hnanice donat; quam donationem Vladislavus, marchio Moraviae, in ecclesiae Lucensis consecratione confirmat, Roberto episcopo turbatores excommunicante. *[post 1201].*

Apographum saec. XV exstat in cod. ms. privilegiorum „Matrica Lucensis“ dicto, qui in tabulario terrae Moraviae Brunnae (inter Cerronianos II, 253) asservatur, pag. 46,

27. *a)* ‚collam‘ *A.* — *b) ita A errore scriptoris pro* ‚colligi‘ *A.* — *c) titulus super* ‚e‘ *finalem iam paene evanuit.* — *d) ita A pro* ‚camerarius‘. — *e) ita A; fortasse* ‚Cirnin‘ *corrigendum.* — *f)* ‚k‘ *ex* ‚c‘ *eodem atramento correctum esse videtur A.* — *g)* ‚bogu^{sla}uf‘; *litterae* ‚ogu‘ *in loco raso scriptae sunt A.*

1) *De collectae denariorum concessione cf. diploma Henrici, ducis et episcopi, eidem monasterio a. 1197 datum; Cod. dipl. r. Boh. I, num. 358.*

num. 22 (B). — Autographum usque ad a. 1784 in monasterii Lucensis tabulario servatum esse, docet elenchus eodem anno confectus, qui nunc etiam in tabulario terrae Moraviae asservatur.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 65, num. 57 (ad aa. 1202—1213; ex autogr., ut dicit) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 249, num. 535 (frgm. ad a. cc. 1213).

Charta nota temporis omnino caret; sed post annum 1201 confecta esse videtur, quod mense fere iulio eiusdem anni Georgius abbas de Luca adfertur (v. pag. 18 lin. 13), cui demum Gerardum abbatem, qui in charta nostra nominatur, successisse verisimile est.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Quoniam rerum transitoriarum transitus est, fuit et erit semper incertus, idcirco celebris antiquitas providens de futuro, posteritati reliquit firmiter tenendum, ut quidquid circa res prefatas ageret, hoc regalium sigillorum inpressione et legittimorum testium inscripcione confirmaretur. Inde est quod ego Rudgerus miles dignum duxi notum facere tam presentibus quam futuris christiane professionis veris cultoribus, me contradidisse more teutonico decimas integrales in omnibus vineis, que site sunt in monte, qui iacet iuxta villam Gnanlicz. Quod factum gloriosus marchio Morauorum Vadislaus in consecratione Lucensis ecclesie sollempnizavit, committens pontifici Ruberto Morauorum[a] excommunicandum; quod et factum est, adhibitis testibus tam sollempni collacioni. Ne ergo aliquis temerarius tam sollempne factum in irritum presumat deducere, venerabilis abbas prefate ecclesie Gerardus adhibere testes et presenti pagine inscribere procuravit. Nomina autem testium hec sunt: Imrammus castellanus, Detricus, Vernhardus, Olverammus,[b] Prosimirus, Henricus iudex, Sepoldus, Pomnenus, Boiek, Petrus, Velen; nomina vero clericorum: Sdislaus parrochianus de Chattow, Pertoldus[c] de Oleczouicz, Petrus, Marcus, Radzlaus, Przemisl, Albertus.

29.

Principes imperii, inter quos etiam Otakarus rex Bohemiae et Henricus marchio Moraviae apud Innocentium III papam de iis, „quae iuri dissona et honestati contraria a domino [Guidone episcopo] Praenestino, papae legato, in Romanorum regis electione sunt indecenter nimium perpetrata“ acerrime queruntur.[1] Rogant, ne Philippo, quem Romanorum regem uno consensu elegissent, unctionis beneficium deneget. *[1202 ineunte]*

Apographum exstat in Innocentii III registro super negotio imp., quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. VI) asservatur, fol. 18v ep. 60 [in editionibus 61] (R).

28. *a) hic scribae incuria quaedam excidisse videntur. — b)* ‚olv'amiu⁹' *B. — c)* ‚pretoldus' *B.*

29. 1) ‚Anno 1201 quinto non. iul. *[iul. 3]* Colonie in templo s. Petri Guido, Prenestinus episcopus cardinalis et apostolice sedis legatus, summi pontificis auctoritate Innocentii confirmavit electionem regis Ottonis et facta benedictione super eum, excommunicavit extinctis candelis omnes adversarios regis Ottonis.' *Ann. s. Gereonis Colon., Mon. Germ. SS. XVI, pag. 734; v. Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 217 c.*

Baluzius, Epp. Innoc. III, t. I, pag. 715, num. 61 — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 6, num. 6 (ex Raynaldi Ann. eccl. XIII, p. 70), = Erben, Reg. Boh. I, pag. 208, num. 464. — Weiland, Constitutiones (Monum. Germ. Leg. sect. IV) II, pag. 5, num. 6 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 65.

Epistula in uno loco atque eodem tractu composita esse non videtur. Verba eius pluribus conventibus, qui a mense septembri anni praeteriti fiebant (in primis in curia Bambergae habita) contexta esse, ad veritatem proxime accedit. Cf. Winkelmann, Philipp v. Schwaben, tom. I, pag. 255. — Romam epistula allata est per legatos, qui fuerunt: Eberhardus archiepiscopus Salisburgensis, Eberhardus abbas de Salem, Conradus (de Landsberg) marchio Orientalis aliique; v. Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 5777a.

30.

Innocentius III papa monasterium Teplense protegendum suscipit eique libertates ab Otakaro duce Bohemiae concessas atque bona, quae ei Hroznata comes donavit, confirmat. *Laterani [1202] apr. 1.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii Teplensis asservatur (A).

Hugo, Sacri et canonici ord. Praemonstr. annales II, probat. pag. DLXXIX. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 214, num. 469 (fragm. perperam ad an. 1203). — Potthast, Reg. pontif. num. 1656.

Signum scriptoris, quod in dextro membranae replicatae margine positum erat, cum membranae parte avulsa periit. In diplomatis tergo hoc signum conspicitur: q.

§ Innocentius § episcopus servus servorum dei, dilectis filiis ..[1] abbati et fratribus Teplensibus salutem et ‖ apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum et ‖ vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino ‖ filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam vestram cum omnibus bonis suis, que impresentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum iustis modis prestante domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem libertates et immunitates a nobili viro O.[a],[2] duce Boemie, vobis concessas, sicut in eius autentico plenius continetur,[3] bona etiam, que nobilis vir G.,[4] comes Boemie, ecclesie vestre concessit, sicut ea iuste ac pacifice possidetis, devotioni vestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani kalendis aprilis, pontificatus nostri [anno quinto].[b]

Bulla, quae e filis sericis appendebat, deperdita est.

---

30. *a)* ,O' *ex* ,E' *eodem atramento corr. A.* — *b) verba* ,anno quinto', *quae cum membranae parte avulsa perierunt, supplevi ex Annal. Praemonstr.*

1) *Iohanni.* — 2) *Otakaro.* — 3) *Vide supra num. 27.* — 4) *Groznata.*

31.

Innocentius III papa canonicis capituli Pragensis Danielem II episcopum criminum, quos in eum Arnoldus canonicus contulisset, absolutum esse indicat eisque mandat, ut ei de cetero debitam exhibeant reverentiam et honorem.

Laterani [1202] maii 5.

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. V) asservatur, lib. V fol. 7r, ep. 29 (R).

Baluzius, Epp. Innoc. III, tom. I, pag. 624, num. 29 — Bréquigny, Diplomata II, ps. I, pag. 87, num. 29, = Boczek, Cod. dipl. Mor. I, pag. 351, num. 374 (perperam ad ann. cc. 1198), = Palacký, Ital. Reise, pag. 18, num. 28 (reg.), = Migne, Patrolog. lat. t. 214, col. 981, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 209, num. 465. — Potthast, Reg. pontif. num. 1672 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5790.

Epistulae prior pars eiusdem papae litteras ad Eberhardum Salisburgensem archiepiscopum anno 1201 mense iulio vel augusto missas (v. num. 23) ex toto fere iisdem verbis repetit.

Capitulo Pragensi.[a] Veniens olim ad apostolicam sedem dilectus filius A.,[1] Pragensis canonicus, contra venerabilem fratrem nostrum ..[2] Pragensem episcopum proposuit coram nobis, quod cum esset filius sacerdotis, in ecclesiam fuit Pragensem intrusus et contra eiusdem ecclesie privilegium, imperiali ei liberalitate concessum[3] et per sedem apostolicam confirmatum, hominium dilecto filio nobili viro ..[4] duci Boemie prestitisset et regalia recepisset ab eo, sic subiciens Pragensem ecclesiam servituti. Proposuit etiam, quod uxorem evidenter haberet, de qua filios generavit; quod sigillum adulterinum confincxerit;[b] quod sit ebriosus, fornicator, * publicus istrio,[c] ita quod quadam vice cum duobus ioculatoribus contra tres alios istriones[d] certamine inito, enormiter fuerit[e] lesus in naso et eo fere, sicut apparet hodie, mutilatus; et unus reliquorum trium ioculatorum, contra quos decertabant,[f] qui ibidem interiit, ab eo creditur interfectus. Ad hec subiuncxit idem A.,[1] quod thesauro ecclesie Pragensis usque ad mille marcas per eum male distracto, consiliariis ipsius ducis usque ad quinquaginta villas et amplius conferre non timuit in grave Pragensis ecclesie detrimentum, et ipsi duci quoddam nobile castrum[5] dedit, quod eidem ecclesie pietatis intuitu fuit ab O., quondam Boemie duce, collatum. Unde predictum episcopum ad festum beati Martini[6] proximo tunc futurum meminimus nos peremptorio citavisse, sed tandem ad petitionem ipsius usque ad festum Resurrectionis Dominice[7] tunc primo venturum ipsi datas duximus inducias prorogandas. Idem vero episcopus per nuntios et litteras ad suam excusationem viarum discrimina, consecrationem crismatis imminentem, et quod filius[8] nobilis viri ..[9] Boemie principis esset per ipsum baptizandus tunc temporis, allegavit. Licet autem excusationes huiusmodi, sicut erant, frivolas extimantes ipsum reputaverimus contumacem, nec procuratores eius in causa possemus admittere criminali, eis tamen

31. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R.* — b) ‚confincxit' *R.* — c) *ita R;* ‚et publicus istrio' *ep. dd. 1201 iul./aug.* — d) ‚ioculatores' *habet epist. Innocentii III a. 1201 mense iul./aug. data (v. pag. 21, lin. 10).* — e) ‚fuit' *R, correxi ex epist. laudata.* — f) ‚decertabat' *R.*

1) *Arnoldus.* — 2) *Danielem II.* — 3) *Vid. Cod. dipl. Boh. I, num. 316.* — 4) *Vladislavo.* — 5) *Podivín.* — 6) *d. 11 nov. a. 1200.* — 7) *d. 25 mart. a. 1201. Cf. argumentum epistulae mense decembri 1200 datae supra num. 14.* — 8) *fortasse Vratislavus.* — 9) *Přemysli Otakari I.*

dilectos filios G[10] sancti Angeli et H.[11] sancti Eustachii diaconos cardinales concessimus auditores, ut, si possent, ipsum aliquatenus excusarent. Cumque predictus A.[1] coram eis repetiisset obiecta, ei fuit ex adverso responsum, quod cum olim super hoc ad venerabilem fratrem nostrum L.[g] [12] Magdeburgensem archiepiscopum, littere fuerint impetrate,[13] idem A,[1] qui contra episcopum solus agebat, in obiectorum se videns probatione deficere, depositis vestibus et pedibus nudis ad pedes eius humiliter se prosternens, veniam postulavit, et quod adversus eum calumpniose processerat, est confessus. Ceterum cum super hoc stare mandatis[h] eiusdem archiepiscopi iuravisset, ipse precepit eidem sub debito prestiti iuramenti, ut contra eundem episcopum de cetero talia proponere non auderet. Nos igitur intellectis per cardinales eosdem, que fuerunt hinc inde proposita, cum nobis ex ipsius A. confessione constaret, ipsum iuramentum huiusmodi prestitisse ac tale recepisse mandatum: super impetitione predicti episcopi silentium ei duximus imponendum; propter contumaciam tamen * episcopo citationem et purgationem propter infamiam indicentes et venerabili fratri nostro archiepiscopo Salzburgensi[14] per apostolica scripta mandantes, quatinus eundem episcopum denuntians ab officio pontificali suspensum, donec post purgationem suam iter arriperet ad sedem apostolicam veniendi: ab eo publice cum duobus episcopis et tribus abbatibus, qui bone opinionis existerent et vitam eius nossent, tam illo tempore, quam transacto, nisi aliquid[i] predictorum esset adeo manifestum, ut propter illud ab eiusdem ecclesie prelatione deberet merito amoveri, canonicam purgationem super obiectis reciperet; ex parte nostra iniungens eidem, ut usque ad dominicam, qua cantatur ‚Letare Jerusalem', proximo tunc futuram,[15] nostro se conspectui presentaret; quod si forsan in purgatione deficeret, aut nostro se contempneret conspectui presentare, ipsum a Pragensis ecclesie prelatione, sublato appellationis obstaculo, * amoveret, licentiam vobis auctoritate nostra concedens alium per electionem canonicam in episcopum eligendi. Ceterum cum predictus Salzburgensis archiepiscopus ad nostram presentiam a quibusdam principibus mitteretur,[16] vices suas dilectis filiis ..[17] preposito et H.[18] decano Salzburgensi delegavit, asserens quod episcopum ipsum ad presentiam suam bis peremptorie citavisset. Unde cum episcopus ad terminum sibi secundo prefixum nec ivisset, nec misisset aliquem responsalem, qui suam saltem absentiam excusaret, delegati predicti, sicut per suas nobis litteras intimarunt, in eum excommunicationis sententiam protulerunt. Sed quoniam episcopus tandem accedens ad eos, quod citatio archiepiscopi nullatenus pervenisset ad eum, proprio iuramento firmavit, absolutionis ei beneficium prestiterunt. Deinde discussa diligentius veritate, cum nullum depositione dignum de obiectis ei criminibus notorium invenissent, admiserunt purgationem ipsius, cum venerabiles fratres nostri ..[19] Ratisponensis et ..[20] Nuemburgensis episcopi et dilecti filii C.[21] de Breunou, B.[22] de Sazau, S.[23] de Cladorub abbates eum pariter compurgarent, et ipsum

31. *g)* ‚C' *perperam R.* — *h)* ‚mandato' *ep. a. 1201 m. iul./aug. data.* — *i)* ‚aliquod' *R.*

10) *Gregorium.* — 11) *Hugonem.* — 12) *Ludolfum.* — 13) *a. 1198 apr. 8; v. num. 1 huius tomi.* — 14) *Eberhardo II, a. 1201 m. iul. vel aug.; v. num. 23.* — 15) *a. 1202 mart. 24.* — 16) *mense ian. exeunte a. 1202 cum epistula quaerelarum, cuius summam v. supra num. 29.* — 17) *Wernhardo.* — 18) *Hermanno.* — 19) *Cunradus.* — 20) *Bertoldus.* — 21) *Cuno.* — 22) *Blasius.* — 23) *Silvester.*

tandem ab obiecta sibi absolventes infamia in integritatem bone fame restituere curaverunt et iniuncxerunt eidem, ut nostro se conspectui presentaret; quod ipse tam celeriter quam humiliter adimplevit. Nos igitur laboribus eius pio compatientes affectu et gravaminibus eius volentes in posterum precavere, ipsum cum gratie nostre plenitudine ad vos remittimus absolutum; discretioni vestre per apostolica scripta mandantes,[k] quatinus bone fame denuntietis eundem et ei de cetero sicut patri et pastori vestro debitam exhibeatis reverentiam et honorem, et si quis eum temere super predictis impetere forte voluerit, presumptionem eius, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis. Datum Laterani III nonas maii.

32.

Eberhardus II, archiepiscopus Salisburgensis, monasterio Reichersbergensi privilegia a praedecessoribus suis Eberhardo et Adalberto concessa renovat. — Inter testes: ‚Magister Arnoldus de Boemia.‘ *Laufen 1203 febr. 8.*

Urkundenb. d. Landes ob d. Enns II, pag. 489, num. 339 (ex autogr. monasterii Reichersberg.) — Meiller, Reg. arep. Salisburg., pag. 180, num. 44.

33.

Daniel II, episcopus Pragensis, ecclesiam sancti Laurentii in villa Rynarec dedicat villarumque, quae ad eiusdem ecclesiae parrochiam pertinent, nomina describit. — 1203 maii 20.

Apographum insertum est litteris Iohannis IV, episcopi Pragensis, dd. in Řečice 1305 sept. 5, quarum autographum in tabulario ecclesiae parrochialis in Rynarec asservatur (B). — Alterum apographum saec. XVII ab Ernesto, archiepiscopo Pragensi, anno 1629 confirmatum in tabulario archiepiscopali Pragensi [Registrata fasc. V (1628—36) num. 545] asservatur (C).

Emler, Reg. Boh. II, pag. 1155, num. 2639 (extr.).

In nomine domini amen. Nos Daniel, dei gracia Pragensis episcopus XVII, scire volumus tam presentes quam futuros presentes litteras inspecturos, quod nos anno dominice incarnacionis MCCIII, indictione II,[a] epacta VI, concurrente VI,[b] XIII kalendas iunii ecclesiam in villa, que vocatur Rynarcz,[c] et altare dedicavimus in nomine sancte et individue Trinitatis et in honore victoriosissime sancte Crucis ac in commemoracione sanctissime ac perpetue virginis dei genitricis Marie et omnium supernorum civium et beatorum spirituum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum atque[d] virginum et aliorum plurimorum

31. *k)* ‚madantes‘ *R.*

33. *a) ita B, C, pro* ‚ind. VI‘. — *b) ita B, C pro,* conc. II‘. — *c),* Rinarcz‘ *C.* — *d)* ‚adque‘ *B.*

sanctorum. In altari vero predicte aule dei horum continentur reliquie sanctorum: sancte Marie virginis, sancti Jacobi apostoli, sancti Bartholomei apostoli, sancti Laurencii martyris, sancti Georii[e] martyris, sancti Adalberti episcopi et martyris, sancti Wencezlai martyris, sancti Clementis pape et martyris, sancti Martini episcopi et confessoris, sancti Nycolai episcopi et confessoris, sancti Egidii confessoris, sancti Leonardi confessoris, sancti Benedicti confessoris et abbatis, sancti Brictii episcopi et confessoris, sancte Kunegundis virginis, sancte Matalberte virginis, XI milium virginum et aliorum sanctorum. Titulus vero huius ecclesie sancto Laurencio martyri annotatur cum indulgencia, quam ipsi ecclesie in Rynarcz[c] concedimus, perpetuo perduranda: in festo beati Laurencii XL dies et in anniversario dedicacionis singulis annis XL dies omnibus vere penitentibus et confessis ad ipsam supradictam ecclesiam hiis temporibus venientibus de iniuncta sibi penitencia misericorditer in Domino relaxantes. Dos vero predicte ecclesie hec est: duo lanei. Hec autem sunt ville ad eiusdem ecclesie parrochiam pertinentes cum suis iuribus et sua ibi iura spiritualia recipientes eciam prius quam per nos esset dedicata: Rynarcz,[g] Nemoyow,[h] Leskow,[i] Krsepelow,[k] Slauybors,[l] Wetrow,[m] Buchowa,[n] Sbimow,[o] Hostrowecz,[p] Benatky, Dluha Lhotha,[q] Ocruhla Lhota,[r] Smirchowecz,[s] Wisshoky,[t] Rowni,[u] Zaiechow,[v] Radymow,[x] Bedrichow,[y] Rayow,[z] Pozwatny,[aa] Wratishow,[bb] Metwezy,[cc] Rohouka.[dd] Et quicumque de hiis aliquid immutaverit, vel sepe dicte ecclesie abstraxerit, excommunicacionis incurrat sentenciam, quam contra eum vel eos proferimus in hiis scriptis. Datum anno et die supradicto, pontificatus nostri quinto.

34.

Otto IV, Romanorum rex, regiam dignitatem Bohemiae confirmat idemque Otakaro regi libertates, terras et castra quaedam concedit.

[Merseburgae 1203 cc. aug. 24]

Diploma hoc iam deperditum est, sed summa eius continetur confirmatione Innocentii III papae dd. Laterani 1204 apr. 15 (v. num. 39).

Ottonem regem omnia, quae iam Philippus anno 1198 Ottakaro concessit, denuo dedisse nemo non videt. Praeterea autem iam nunc fortasse quaedam ex illis addita sunt, quae Fridericus II in privilegio 1212 sept. 26 dato (v. num. 96) a se ipso demum adiecta esse dicit. Cf. Goll, K výkladu priv. Fridricha II (in Věstník král. české spol. nauk 1903, num. V) pag. 3. not. 4. — Provinciae atque arces, quae Otto IV hoc diplomate Otakaro regi dedit, eaedem esse videntur atque illae, quae altero Friderici II diplomate, quod a. 1212 sept. 26

33. *e)* ‚Georgii' *C.* — *f)* ‚Maltalbtae' *C.* — *g)* ‚cz' *eod. atramento superscr. B;* ‚Rinarcz' *C.* — *h)* ‚Nemogou' *C.* — *i)* ‚Lessou' *C.* — *k)* ‚Krzepelou' *C.* — *l)* ‚Slanybors' *B;* ‚Slaniborz' *C.* — *m)* ‚Wetrou' *C.* — *n)* ‚Bukoua' *C.* — *o)* ‚Sbimou' *C.* — *p)* ‚Hostrouecz' *C.* — *q)* ‚Dlauha Lhota' *C.* — *r)* ‚Okrauhla Lhota' *C.* — *s)* ‚Smirchouecz' *C.* — *t)*, Wissoky' *C.* — *u)* ‚Rouny' *C.* — *v)* ‚Zageczou' *C.* — *x)* ‚Radimou' *C.* — *y)* ‚Bedrzichou' *C.* — *z)* ‚Raiou' *C.* — *aa)* ‚Pozuatny' *C.* — *bb)* ‚Wratissou' *C.* — *cc)* ‚Neduedczy' *C.* — *dd)* ‚Rohouka' *deest B.*

datum est (v. num. 97), commemorantur. Sententiam hanc probant verba ,donamus et confirmamus', *quae in privilegio Friderici usurpantur. — Privilegium eodem fere tempore, cum Otakarus rex ab Ottone coronaretur, datum esse, ad veritatem proxime accedere videtur. De qua quidem coronatione cf. ea, quae Ann. Colon. max. ad a. 1204 referunt:* ,Boemus fidelitate promissa, ab ipso [*sc.* Ottone] coronatur et in festo sancti Bartolomei apostoli *[aug. 24]* a Guidone ecclesiae Romanae legato apud Marspurg in regem sollempniter consecratur.' *(Monum. Germ. SS. XVII, pag. 811.)*

35.

Innocentius III papa Lombardis scribit se in facto imperii bono zelo processisse; causas exponit, cur Ottonem IV regem praetulerit Philippo duci Sueviae eisque prosperos regis Ottonis successus contra Philippum auxilio Bohemorum partos indicat. *Anagniae [1203] dec. 11.*

Apographum exstat in Innocentii III regestro super negotio imperii, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. vol. VI) asservatur, fol. 25v, ep. 91 [in editionibus 92] (R).

Baluzius, Epp. Innoc. III, tom. I, pag. 730 = Migne, Patrolog. lat. tom. 216, col. 1097, — Palacký, Ital. Reise, pag. 18, num. 29 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 19, num. 14 (frgm. ex Raynaldi Ann. eccl.), — Erben, Reg. Boh. I, pag. 216, num. 473 (frgm.) = Brandl, Cod. dipl. Mor. VII, pag. 717, num. 48 — Posse, Cod. dipl. Saxon. I Hauptth., tom. III, pag. 60, num. 73 (frgm) — Potthast, Reg. num. 2040 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5854.

Archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prelatis, rectoribus, potestatibus, consulibus, marchionibus, comitibus et aliis nobilibus constitutis in Lombardia. — — Ecce etenim Dominus nostrum videtur approbasse consilium, vel nobis illud misericorditer inspirasse, cum rex ipse[1] de die in diem fiat se ipso robustior et regnum eius iugiter roboretur, et debilietur cottidie pars adversa, non tam humana manu, quam divina deiecta. Cum enim hoc anno dux Sueuie[2] supradictus terram nobilis viri langravii Turingie[3] fuisset ingressus et quandam civitatem ipsius cum suis fautoribus obsideret, rex ipse nutantibus[a] etiam quibusdam ex suis cum duce Boemie[4] et aliis, qui auxiliabantur eidem, in auxilium langravii properans, obsidentes obsedit;[5] et faciente cum eo Domino signum in bonum, Philippus[b] de Turingia in Saxoniam ad maiorem exercitum colligendum aufugit; set nec ibidem illum expectare presumpsit, immo ad civitatem, in qua sui obsidebantur, occulte revertens, relicto exercitu et disperso, cum paucis in Sueuiam latenter abscessit. Ceterum rex predictus non paucis castris et terris, que duci faverant, potenter acceptis, in locis, que ille prius habuerat, sollempnes curias

35. *a)* ,nu' *ex* ,no' *in loco raso correctum R. — b)* ,Ph' *R.*

1) *Otto IV.* — 2) *Philippus.* — 3) *Hermanni.* — 4) *Přemyslo Ottakaro I.* — 5) *v. Winkelmann, Philipp u. Otto IV, tom. I, pag 290, not. 1.*

celebravit, tam a langravio quam a duce Boemie, quem ipsi regem appellant,[6] et fratre ipsius marchione Morauie,[7] multis quoque comitibus, suppanis fidelitatis iuramenta recepit et eos de feudis suis sollempniter iuxta imperii consuetudinem investivit. — — Datum Anagnie III idus decembris.

36.

Innocentius III papa suppanis Bohemiae gratias agit, quod Guidonem episcopum Praenestinum, legatum apostolicum, honeste receperint ipsoque monente cum domino suo Bohemiam exeuntes Ottoni IV, Romanorum regi, fortiter adstiterint; hortatur eos, ut in fidelitate erga eundem regem persistant.

Anagniae [1203] dec. 12.

Apographum exstat in Innocentii III registro super neg. imp., quod in tabulario Vaticano secreto (inter Reg. Vat. vol. VI) asservatur, fol. 28r, ep. 101 [in editionibus 102] (R).

Raynaldi Ann. eccl. ad an. 1203 § 39 = Balbin, Miscell. hist. Bohem. dec. I, lib. VIII, pag. 5, num 5, = Boczek, Cod dipl. Mor II, pag. 20, num. 15; — Baluzius, Epp. Innoc. III, tom. I, pag 734 = Migne, Patrolog. lat. t. 216, col. 1106, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 216, num. 474 — Palacký, Ital. Reise, pag. 18, num. 30 (reg.) — Potthast, Reg num. 2051 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5862.

Suppanis Boemie.[a] Devotionem vestram in Domino commendamus, quod, sicut veridica multorum relatione comperimus, venerabilem fratrem nostrum . .[1] Prenestinum episcopum, apostolice sedis legatum, ob reverentiam dei et nostram humiliter recepistis[b] et curastis honorifice pertractare, ita quod ad commonitionem eius, relictis uxoribus et filiis vestris, in forti manu et brachio extento cum domino vestro Boemiam exeuntes, karissimo in Christo filio nostro, illustri regi O.,[2] in Romanorum imperatorem electo, potenter et viriliter astitistis; in accessu autem vestro ei plurimum honoris accessit, cum congressum eius ipsius fugerit inimicus, nec coram vobis ausus fuerit comparere, sed disparuerit potius et ad propria redierit, relicto exercitu et disperso. Super hoc igitur nobilitatem vestram prosequentes actionibus gratiarum, monemus et exhortamur attentius, quatinus, sicut bene cepistis, eidem regi de cetero fideliter et fortiter assistatis et foveatis ac promoveatis taliter partem eius, quod ipsius negotium in brevi, dante Domino, feliciter consumetur. Nos enim reputabimus nobis ipsis impensum, quicquid gratie et honoris ei duxeritis impendendum. Datum[c] Anagnie II idus decembris.

---

35. 6) *v. Winkelmann ibd.* — 7) *Henrico Vladislavo.*

36. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.* — *b)* ‚ftis' *eod. atramento corr. R.* — *c)* ‚Dat. ut supra' *R; supplevi ex ep. 98, quae Henrico duci Brabantiae missa est (Potth. n. 2048).*

1) *Guidonem.* — 2) *Ottoni IV.*

37.

Otto IV, Romanorum rex, Innocentio III papae gratias agit, quod regem Bohemiae, lantgravium Thuringiae et marchionem Moraviae in suas partes duxerit, eique de rerum suarum meliore conditione scribit.

[1203 mense dec.]

Apographum exstat in Innocentii III registro super neg. imp., quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. vol. VI) asservatur, fol. 28 r, ep. 105 [in edit. 106] (R).

Baluzius, Epp. Innoc. III, t. I, pag. 735 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 20, num. 16, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 217, num. 475 (frgm.), = Migne, Patrolog. lat. t. 216, col. 1108 — Posse, Cod. dipl. Sax. regiae, I Hauptth., tom. III, pag. 62, num. 70 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 230.

Cum papae responsum (Potthast, Reg. num. 2097) anno 1204 ian. 25 datum sit, litteras regis a. 1203 mense decembri scriptas esse verisimile est.

Sanctissimo patri ac domino I.,[1] dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, O.,[2] eadem gratia et sua Romanorum rex et semper augustus, salutem cum filiali dilectione. Cum post deum, pater sancte, vos semper habeamus propicium et benignum, sicut exaltatio et sublimatio[a] nostri honoris manifeste declarat, honorem nobis divinitus collatum deo et vobis semper velimus ascribere, cum in cinerem et favillam negocium nostrum redactum fuisset, si manus vestra vel auctoritas beati Petri in partem nostram non declinasset, hoc semper pre oculis habebimus, quoad usque vixerimus. Sane innotescere vobis cupimus, quod status noster de die in diem prosperatur; et hoc non excellentie nostre, sed deo et vobis et ecclesie Romane ascribimus. Regem Boemie,[3] langravium Thuringie,[4] marchionem Morauie[5] per potentiam non habuimus, sed per magnam vestram sollicitudinem et frequentem, de qua non dubitamus, sed de die in diem super hoc magis certificamur. Curiam enim sollempnem habuimus proxima quinta feria ante festum beati Martini,[6] in qua multi principes imperii fuerunt, archiepiscopi, episcopi, duces, comites et alii quam plurimi nobiles. — — —

38.

Innocentius III papa Leopoldo VI, duci Austriae, confirmat sententiam ab Eberhardo II archiepiscopo Salisburgensi latam, quod matrimonium iuramento promissum cum filia ducis Bohemiae contrahere non teneatur, cum pacti conditiones servatae non fuerint.

Anagniae [1204] ian. 7.

37. *a)* ‚sullimatō‘ *R.*

1) *Innocentio III.* — 2) *Otto IV.* — 3) *Přemyslum Otakarum I.* — 4) *Hermannum.* — 5) *Henricum Vladislavum.* — 6) *die 6 nov. Curiam hanc Susati (Soest) habitam esse sub epistulae huius finem rex refert.*

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom V) asservatur, fol. 97v, lib. VI, ep. 201 (R).

Bréquigny, Diplomata II, ps. I, pag. 400, num. 201 = Migne, Patrolog. lat. t. 215, col. 225, num. 201, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 217, num. 476 — Palacký, Ital. Reise, pag. 19, num. 31 (reg.) — Potthast, Reg. num 2083 — Meiller, Reg. der Babenberg. pg. 92, num. 49 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5875. — V. et. Meiller, Reg. archiep. Salisb., pag. 182, num. 54.

Nobili viro . .[1] duci Austrie.[a] Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod olim . .[2] filiam nobilis viri . .[3] ducis Boemie sub conditione desponsans, firmiter promisisti, immo etiam iuramento firmasti, quod eam duceres in uxorem, dummodo matrem eius[4] a se nullatenus separaret. Verum cum dux ipse matrem eius a se penitus separasset, contrahere cum filia noluisti, sed duce ipso a iuramento, quod tibi prestiterat, absoluto, ab eo quoque fuisti a iuramento, quod ipsi prestiteras absolutus. Cumque postmodum ad petitionem tuam inquisitionem horum venerabili fratri nostro . .[5] Salzburgensi archiepiscopo duxerimus committendam, ut statueret, quod crederet expedire: ipse cognita plenius veritate, te denunciavit ad copulam huiusmodi non teneri. Nos igitur denuntiationem ipsam, sicut inquisita et cognita veritate rationabiliter facta est, ratam haberi volumus et mandamus, et ne quis veniat contra eam, auctoritate apostolica prohibemus. Datum Anagnie VII idus ianuarii.[b]

39.

Innocentius III papa Přemyslo Otakaro I, regi Bohemiae, iura et privilegia ab imperatoribus quondam concessa et nuper ab Ottone IV, Romanorum imperatore electo, confirmata auctoritate apostolica confirmat.

Laterani 1204 apr. 15.

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. V) asservatur, fol. 124r, lib. VII, ep. 54 (R).

Bréquigny et du Theil, Diplomata II, ps. II, pag. 488 – Boczek, Cod dipl. Mor. II, pg. 23, num 19 (reg.), = Migne, Patrolog. lat. tom. 215, col. 339, num. 54, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 217, num. 477, = Jireček, Cod. iur. Boh. I, pag. 33, num. 20. — Palacký, Ital. Reise, pag. 19, num. 33 (reg.) — Potthast, Reg. num 2179 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5886.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, karissimo in Christo filio[a] . .[1] regi Boemorum illustri[b] salutem et apostolicam benedictionem.[c] Sic sibi spiritualis et materialis gladius mutue mutuant subventionis auxilium et vicissim

38. *a) Superscriptio colore rubro scripta est. R. — b) genuine* ‚VII ianuar̄ ib⁹' *sed transpositionis signis correctum, R.*

1) *Leopoldo VI.* — 2) *Nomen ignoratur.* — 3) *Přemysli Otakari I.* — 4) *Adelam.* — 5) *Eberhardo II.*

39. *a)* ‚Inn. — filio' *desunt R.* — *b)* ‚. . illustri regi Boemorum' *R, ubi superscriptio haec colore rubro scripta est.* — *c)* ‚sal. — benedictionem' *desunt R.*

1) *Přemyslo Otakaro I.*

communicant vires suas, ut defectus suos ope vicaria suppleant et uterque alterius perficiat imperfectum. Decet enim, ut sibi ad invicem suffragentur, et apud eos, qui gladium spiritualem non timent, ius ipsius armis gladius materialis alleget, et spiritualis temporali, cum necesse fuerit, auctoritatis sue robur impendat et tribuat super hiis, que minus essent valida sine ipso, valorem. Cum igitur karissimus in Christo filius noster illustris rex Otto, in Romanum imperatorem electus, iura et privilegia, que ab antiquo tibi et tuis predecessoribus ab imperatoribus fuere concessa, suo tibi duxerit privilegio confirmanda,[2] et tam libertates, quam[d] terras et castra et alia tibi concesserit: ut dispositioni regie auctoritas pontificalis accedat, concessiones ipsas, sicut ad honorem tam ecclesie quam imperii[e] sunt, auctoritate apostolica confirmamus et[f] presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo[g] omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani XVII kalendas maii, pontificatus nostri anno septimo.[h]

40.

Innocentius III papa magistro et fratribus hospitalis sanctae Mariae Teutonicorum Pragae possessiones, quas eis Vladislavus, marchio Moraviae, et Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, in Opava donaverant, confirmat.

Laterani 1204 apr. 15.

Autographum in membrana scriptum in tabulario regio Dresdensi asservatur (A).

Emler, Reg. Boh. IV, pag. 710, num. 1772 (summa).

In dextro membranae replicatae margine voces aliquot tribus lineis dispositae atramento pallido scriptae erant, quae scriptura iam legi non potest. Juxta filos, quibus bulla appensa est, ad sinistram eadem, ut videtur, manu, quae autographum scripsit, adnotatur: ‚Ric̄' [= Ricardus?]. *In autographi tergo in angulo superiore sinistro alio atramento scriptum est;* ‚fc//.', *a quibus litteris paullo ad dextram in membranae margine superiore alio atramento alia manus cancellariae apostolicae adnotavit:* ‚[co]r/ [*id est:* corrige] magistro hospital(is) sc̄e Mar(ie) Teutonicorum'. *In utroque angulo inferiore asteriscus cum quinque radiis pallido atramento delineatus est.*

⁝ Innocentius ⁝ episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis .. magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Teutonicorum[a] ‖ Pragensis salutem et apostolicam benedictionem. Annuere consuevit sedes apostolica piis votis et

39. *d)* ‚tam' *R.* — *e) sequitur* ‚concesse', *quod autem eodem atramento cancellatum est R.* — *f)* ‚et — communimus' *tantum voce* ‚etc' *indicantur in R.* — *g) Quae subsequuntur usque* ‚Datum' *tantum voce* ‚etc' *indicantur in R.* — *h)* ‚pont. n. a. sept.' *desunt in R.*

2) *Privilegium hoc iam deperditum est; v. num. 34.*

40. *a)* ‚hospital sc̄e Mar̄ Teut̄' *in loco raso eadem manus (eodem atramento) correxit A.* —

honestis petentium ‖ precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulatio‖nibus grato concurrentes assensu: possessiones, quas dilectus filius nobilis vir .. marchio Morauie, domus vestre fundator, et quas karissimus in Christo filius noster .. rex Boemorum illustris in Oppaua vobis pietatis intuitu concesserunt, quia[b] eas iuste et pacifice possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani XVII kalendas maii, pontificatus nostri anno septimo.

Autographo appendet e filis sericis coloris flavi et rubri bulla plumbea Innocentii III papae, eadem cuius imaginem dedit Diekamp in Mitth. d. Instituts f. österr. Gesch. III, tab. ad pag. 621, num. 5 et 26.

41.

Innocentius III papa Přemyslo Otakaro significat, se eum in posterum regem appellare velle eumque monet, ut primo quoque tempore a rege Ottone se faciat sollemniter coronari. *Laterani [1204] apr. 19.*

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. V) asservatur, fol. 122v, lib. VII, ep. 49 (R).

Raynaldi Ann. eccl. t. XIII ann. 1204 § 54 = Balbin, Miscell. hist. Bohem., dec. I, lib. VIII, pag. 6, num 7, = Lünig, Cod. Germ. dipl. I, pag. 958 — Bréquigny et du Theil, Diplomata II, ps. II, pag. 484 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 24, num. 20, = Migne, Patrolog. lat. tom. 215, coll. 333, num. 49, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 218, num. 478, = Jireček, Cod. iur. Bohem. I, pag. 34, num. 21 — Palacký, Ital. Reise pag. 19, num. 34 (reg.) — Potthast, Reg. num. 2186 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5887.

.. regi Boemorum illustri.[a] Licet ante tue promotionis tempora multi fuerint in Boemia regio diademate insigniti, numquam tamen potuerunt a predecessoribus nostris Romanis pontificibus obtinere, ut reges eos in suis litteris nominarent. Nos quoque tum predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, tum considerantes sollicite, quod a nobili viro Philippo[b] duce Sueuie te feceras coronari, qui cum coronatus legitime non fuisset, nec te, nec alium poterat legitime coronare, regem te hactenus non duximus nominandum. Verum cum ad commonitionem[c] apostolice sedis et nostram, relicto duce Sueuie, ad karissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Ottonem, in Romanum[d] imperatorem electum, te con-

40. *b)* ‚quia' *eodem atramento eademque manu in loco raso scriptum; genuine hic* ‚sicut' *positum esse videtur.*

41. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R. — b)* ‚Ph' *R. — c)* ‚nitionē' *in loco raso scr. R. — d)* ‚Romañ' *R.*

verteris usus consilio saniori, et ipse habeat te pro rege, tam intuitu precum eius quam tue devotionis obtentu, regem te de cetero reputare volumus et vocare. Tu igitur taliter gratiam tibi factam agnoscas et sic ingratitudinis vicium studeas evitare, ut tua devotio mereatur, quod et gratia tibi detur ex gratia, et data gratis perpetuo conservetur, provisurus attentius, ut quam citius poteris ab eodem rege Ottone te facias sollempniter coronari. Datum Laterani XIII kalendas maii.

42.

Innocentius III papa ecclesiae Pragensi libertates ab Otakaro, rege Bohemiae, concessas confirmat. *Laterani 1204 apr. 20.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropolitani Pragensis asservatur (A).

Erben, Reg. I, pag. 218, num. 479 (extr.). — Potthast, Reg. num. 2189.

In membranae replicatae parte sinistra iuxta filos, quibus bulla appensa est, eadem fere manus, quae autographum scripsit, atramento pallido adnotavit: ‚Ric̄‘ [= Ṛicardus?]. *In autographi tergo in angulo superiore sinistro alio atramento littera* ‚F‘ *scripta est. In tergi angulo inferiore sinistro nota quaedam erasa est; in dextro autem angulo inferiore signum quoddam conspicitur atramento pallido delineatum, quod in cancellaria apostolica factum esse videtur.*

‖Innocentius‖ episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis ..[1] preposito et capitulo Pragensis ecclesie salutem et ‖ apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivo‖lum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus gratum impertientes as‖sensum, donationes, que vulgo suode,[a] glaua et naroc appellantur, a karissimo in Christo filio nostro .. rege Boemorum illustri vobis factas intuitu pietatis,[2] sicut rationabiliter facte sunt, vobis et per vos ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani XII kalendas maii, pontificatus nostri anno septimo.

Autographo appendet e filis sericis flavei et rubei coloris Innocentii III papae bulla plumbea eadem atque in num. 40.

---

42. *a)* ‚suoδ‘ *A.*

1) *Christiano?* — 2) *Přemysli Otakari I privilegium iam non exstat.*

43.

Innocentius III papa Sigifrido II, archiepiscopo Maguntino, regis Bohemiae petitionem de metropoli in Bohemia erigenda indicat eique mandat, ut rei necessitate et utilitate diligenter cognita, sententiam suam sibi significet.

Laterani [1204] apr. 20.

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. V) asservatur, fol. 123r, lib. VII, ep. 51 (R).

Bréquigny et du Theil, Diplomata II, ps. II, pag. 486 = Würdtwein, Nova subsidia dipl. II, pag. 101, = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 24, num. 21 = Migne, Patrolog. lat. t. 215, col. 336, num. 51, — Palacký, Ital. Reise, pag. 19, num. 35 (reg.). — Erben, Reg. Boh. I, pag. 218, num. 480 (reg.) — Potthast, Reg. num. 2188 — Böhmer-Will, Reg. arep. Magunt. II, pag. 131, num. 49 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5888.

. .[1] archiepiscopo Maguntino.[a] Usque adeo se nobis in facto tuo hactenus pro maiori parte opposuit ecclesia Maguntina et sic contumaciter in sua obstinatione permansit, nec adhuc etiam adicit, ut resurgat, ut si ei vellemus pro meritis respondere, non solum quia te caput suum admittere despicit, membris possemus eam penitus mutilare. Sed quia non intelligit, quante dignitatis privilegium et honoris augmentum per sedem sit apostolicam consecuta, deberemus reducere caput ad caudam et primam novissimam facere ac novissimam prime preferre in perpetuam memoriam rebellionis ipsius et eius obprobrium sempiternum, ut ex pena ipsius alii discerent, quod non est tutum contra torrentem brachia dirigere et contra stimulum calcitrare. Verum quia personam tuam sincera diligimus in Domino caritate, pro te adhuc eidem ecclesie duximus deferendum, licet quanto magis differimus penam eius, tanto simus etiam eam gravius punituri, nisi quantocius expiaverit culpam suam et genimina viperarum, que in ea latebras suas fovent, pedibus tuis exhibuerint se calcanda et apud te cum filio prodigo proclamarint: pater iam non sumus digni vocari filii tui, fac nos sicut aliquos ex mercenariis tuis[2] et inter ipsos admitte, qui te pastorem nostrum et animarum nostrarum episcopum non admisimus hactenus, nec fuimus venerati. Sane supplicarunt nobis karissimus in Christo filius noster . . illustris rex et populus Boemorum, ut cum tu propter locorum distantiam et diversitatem linguarum minus sufficias circa eos metropoliticum officium exercere: nos qui vice Christi tenemur universis fidelibus providere sollicitudine pastorali, tum propter evidentem utilitatem, tum etiam propter necessitatem urgentem in Boemia, cum spaciosa et populosa sit multum, sedem metropoliticam statuere dignaremur, per quam non tam honori eorum quam saluti utiliter consulatur. Licet autem propter contumaciam ecclesie Maguntine petitio hec accelerari deberet potius quam differri:

43. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.*

1) *Sigifrido II.* — 2) *Cf. Luc. XV, 19.*

ne tamen contra te aliquid agere videremur, eam non statim admittendam, sed super hiis, que circa eam inquirenda fuerunt, mandamus inquiri, ut si forsan evidens utilitas et urgens necessitas id exposcat, provideamus ecclesie Maguntine, dum tamen a suo resipiscens errore ad mandatum apostolicum humiliter revertatur, ut per hoc non tam aliquid honori eius subtractum, sed additum videatur. Hec igitur fraternitati tue duximus intimanda, ut tuam nobis significes voluntatem, sciturus, quod si super hoc duxerimus procedendum, honori tuo sufficienter, dante Domino, curabimus providere. Datum Laterani XII kalendas maii.

44.

Innocentius III papa regi Bohemiae petenti, ut metropolis in Bohemia constituatur, rescribit de re esse deliberandum; necesse esse, ut ecclesia Maguntina assensum suum tribuat; T. subdiaconum in Bohemiam se legare, indicat, qui in rem inquirat; tum petitionem per sollemnes nuntios denuo sibi proponat, hortatur.

Laterani [1204] apr. 21.

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. t. V) asservatur, fol. 123v, lib. VII, ep. 52 (R).

Bréquigny et du Theil, Diplomata II, ps. II, pag. 487 = Würdtwein, Nova subs. dipl. II, pag. 103, = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 27, num. 23, = Migne, Patrolog. lat. t. 215, col. 337, num. 52, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 219, num. 481. — Palacký, Ital. Reise, pag. 19, num. 36 (reg.) — Potthast, Reg. num. 2191 — Böhmer-Will, Reg. arep. Magunt. II, pag. 131, num. 50 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5890.

. .[1] regi Boemorum illustri.[a] Monet nos tue nobilitatis devotio et fidei sinceritas exhortatur, ut in quibus cum deo et honestate valemus, petitiones tuas benignius admittamus. Cum enim consiliis nostris acquieveris hactenus et in posterum mandatis apostolicis te exponas, decet, ut devotioni tue dilectio nostra respondeat et sedes apostolica te honoret, cum tu eius honorem studeas efficaciter promovere. Sane per tuos nobis nuncios supplicasti et karissimus in Christo filius noster . .[2] Hungarie rex illustris pro te apud nos suppliciter intercessit, ut in Boemia metropolim construere dignaremur, cum spaciosa et populosa sit terra et ab ecclesia Maguntina, cui est metropolitico iure subiecta, tam[b] locorum distantia quam linguarum diversitate divisa, ut cum per Romanum imperium obtinere meruerit regiam dignitatem, per Romanam ecclesiam mereatur dignitatem metropoliticam obtinere. Licet autem tam te quam terram tuam velimus in quibus honeste possumus honorare, quia tamen arduum est negocium et petitio continet novitatem, mirari te nolumus et moveri,[c] si non protinus preces tuas duximus consumandas, cum magna deliberatione res egeat, ut quod dispositum fuerit,

44. *a) Superscriptio colore rubro scr. R. — b)* ‚quam' *R. — c)* ‚mirari' *errore scriptoris R.*

1) *Přemyslo Otakaro I.* — 2) *Emmericus.*

tanto stabilius perseveret quanto cum maiori fuerit maturitate statutum. Siquidem ostendenda nobis est prius et urgens necessitas et utilitas evidens, que fieri hoc exposcat, facultas et voluntas ecclesie, in qua sedes debet metropolitica stabiliri, et utrum in Boemia dioceses possint statui competenter, statuende metropoli supponende. Preterea convenienda et commonenda super hoc est ecclesia Maguntina, ne si aliter factum fuerit, venerabilem fratrem nostrum S.,[3] Maguntinum archiepiscopum, quem ereximus, deicere videamur, si ex hoc concitaverimus plus in eum ecclesie sue odium et scandalum civitatis. Ut reddamur igitur de omnibus certiores, dilectum filium T., subdiaconum et capellanum nostrum, virum utique litteratum, providum et discretum, nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, in Boemiam destinamus, qui super hiis et aliis, de quibus viderit inquerendum, inquirat, et plene nobis super hiis, que contingunt negocium ipsum, significet veritatem. Tu quoque non tantum per litteras tuas et populi, set per sollempnes nuncios tuos et episcopi ac ecclesie, quos talia petere deceat, petitionem tuam poteris innovare, ut super hiis melius procedere valeamus, prout viderimus expedire. Nos enim promptam gerimus voluntatem in hiis et aliis petitiones tuas, quantum cum deo possumus, exaudire. Tu ergo facias eundem subdiaconum secure ad presentiam predicti archiepiscopi Maguntini perduci et presentari litteras nostras capitulo Maguntino, ne si aliquid omissum fuerit ex hiis, que ipsi inquirenda commisimus, in negocio ipso plene procedere non possimus. Datum Laterani XI kalendas maii.

45.

Innocentius III papa canonicos et ministeriales Maguntinos de eorum rebellione adversus ecclesiam Romanam et archiepiscopum eorum facta obiurgat eisque significat regis atque populi Bohemorum de metropoli in Bohemia erigenda petitionem, cuius concessio ecclesiae eorum detrimento esse possit.

Laterani [1204] apr. 21.

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. V) asservatur, fol. 124r, lib. VII, ep. 53 (R).

Bréquigny et du Theil, Diplomata II, ps. II, pag. 488, — Würdtwein, Nova subs. dipl. II, pag. 106, = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 26, num. 22, = Migne, Patrolog. lat. t. 215, col. 338 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 219, num. 482 — Palacký, Ital. Reise, pag. 19, num. 37 (reg.) — Potthast, Reg. num. 2192 — Böhmer-Will, Reg. arep. Magunt. II, pag. 131, num. 51 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5889

Canonicis et ministerialibus Maguntinis spiritum consilii sanioris.[a] Supplicarunt nobis humiliter et devote karissimus[b] in Christo filius noster .. illustris

44. 3) *Sigifridum II.*

45. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R.* — b) *pro* ‚karissimus — utiliter' *in R legitur:* ‚etc. ut in ea, que mittitur archiepiscopo *[i. e. registri epist. 51]* in eundem fere modum usque: consulatur' *e qua quidem epistula partem hanc supplevi.*

rex et populus Boemorum, ut cum archiepiscopus vester propter locorum distantiam et diversitatem linguarum minus sufficiat circa eos metropoliticum officium exercere, nos, qui vice Christi tenemur universis fidelibus providere sollicitudine pastorali, tum propter evidentem utilitatem, tum etiam propter necessitatem urgentem in Boemia, cum spaciosa et populosa sit multum, sedem metropoliticam statuere dignaremur, per quam non tam honori eorum quam saluti utiliter[b] consulatur, ut sicut per Romanum imperium obtinere meruit regiam dignitatem, ita quoque per Romanam ecclesiam mereatur dignitatem metropoliticam obtinere. Licet autem multi[c] de ecclesia Maguntina, si[d] tamen dicendi sunt de ecclesia, qui suis exigentibus culpis precisi sunt ab ecclesiastica unitate propter rebellionis excessum et inobedientie vicium, in quo contra maiestatem divinam, Romanam ecclesiam et archiepiscopum suum obstinata mente perdurant, gravi meruerint animadversione puniri: nos tamen, qui correctionem paterno desideramus affectu, memores eius, que filia specialis et honorabile membrum apostolice sedis existit, non statim petitionem huiusmodi duximus admittendam; sed prius inquirere disposuimus, que super hiis fuerint inquirenda, ut si forte petitionem ipsam admittendam esse noverimus, provideamus in ea, sicut expedire viderimus, ecclesie Maguntine, dum tamen a suo resipiscens errore se non reddat indignam. Alioquin non nobis, sed vobis merito poteritis imputare, si forte, qui caput abicitis, membrum aliquod amittatis. Vestrum igitur erit taliter honori nostro deferre, ut et nos vestro debeamus deferre honori, providentes vobis in tempore oportuno, ne forte post tempus non providentie, sed penitentie vobis locus merito reservetur. Datum Laterani XI kalendas maii.

46.

Innocentius III papa Danieli II Pragensi et Roberto Olomucensi episcopis et [Vicemilo], archidiacono de Bechyně, indicat regem Bohemiae se hortante paratum esse ad subsidium Ottoni IV, Romanorum imperatori electo, eisque mandat, ut parochianos suos, qui regi eidem damnum aliquod afferre conati fuerint, poena afficiant.

Laterani [1204] apr. 21.

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. V), asservatur, fol. 124r, lib. VII, ep. 55 (R).

Bréquigny et du Theil, Diplomata II, ps. II, pag. 489 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 28, num. 24, = Migne, Patrolog. lat. t. 215, col. 339, num 55, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 220, num. 483. — Palacký, Ital. Reise, pag. 19, num. 38 (reg.) — Potthast, Reg. num. 2190 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5891.

. .[1] Pragensi et . .[2] Olomucensi episcopis et . .[3] archidiacono de Behin.[a] Cum karissimus in Christo filius noster P.,[4] illustris rex Boemie, iuxta mandatum

45. *c)* ,m' *ex* ,d' *statim inter scribendum corr. R. — d)* ,si' *ex* ,qui' *corr. R.*

46. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.*

1) *Danieli II.* — 2) *Roberto.* — 3) *fortasse Vicemilo.* — 4) *Přemysl.*

nostrum ad subsidium karissimi in Christo filii nostri illustris regis Ottonis, in Romanum imperatorem electi, sit expositus et paratus: pati nolumus nec debemus, ut ab aliquibus pregravetur, maxime dum in eius fuerit obsequio constitutus. Ut autem indempnitati ipsius auctoritate apostolica consulatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus, si qui forsan in preiudicium eius aliquid presumpserint machinari, unus quisque vestrum parrochianos suos laicos per censuram ecclesiasticam, clericos vero per subtractionem beneficiorum, sublato appellationis obstaculo, ab huiusmodi presumptione auctoritate nostra compescat. Datum Laterani XI kalendas maii.

47.

Innocentius III papa ad Emmerici, regis Ungariae, querelas respondens, se operam daturum esse promittit, ut ei damna restituantur, quae Joannitius, dominus Bulgarorum, illi intulerit, cum ipso rogante regi Bohemiae, Ottoni IV regi Romanorum foedere coniuncto, exercitum subsidio contra Philippum misisset.

[Romae 1204 sept. 15].

Exemplar insertum est litteris papae Leoni cardinali s. Crucis, legato apostolico missis, quarum apographum exstat in Innoc. III regestorum volumine II, quod in tabulario Vaticano secreto (inter Reg. Vatic. t. V) asservatur, fol. 141v—143r, lib. VII, ep. 127 (R).

Bréquigny et du Theil, Diplomata II, ps. II, pag. 545 = Migne, Patrolog. lat. t. 215, col. 413, — Palacký, Ital. Reise, pag. 19, num. 39 (frgm.) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 221, num. 486 — Potthast, Reg. num. 2284 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5903.

Epistula notis chronologicis omnino caret, sed verisimile data est eodem die atque epistula Leoni cardinali missa, quae data est: ‚Rome apud s. Petrum XVII kalendas octobris'.

— — Quod autem scripsisti, quoniam prefatus Iannitius[1] terram, quam pater tuus sorori tue,[2] imperatrici Grecorum, dedit in dotem, detinet occupatam, et terram Seruie, tue corone subiectam, adiuncta sibi paganorum multitudine copiosa crudeliter devastavit, ita quod preter eos, qui per eius tirannidem sunt perempti, non pauci christiani sunt in paganorum captivitatem deducti, eo videlicet tempore, quo precibus nostris inductus, rege Boemie a Philippi consortio separato et regi Ottoni coniuncto, cum ipso pro isto validum contra illum exercitum destinasti[3]: certissime noveris, nobis esse valde molestum, quicquid in tuam iniuriam et iacturam noscitur attemptatum, et ut tibi congrue satisfiat, nos diligens studium impensuros et operam efficacem. — —

48.

Robertus, episcopus Olomucensis, testatur Agnetem, viduam Cunonis de Potvorov, monasterio in Plasy villas quasdam, quarum nomina adferuntur, donavisse.

— 1204 —.

47. 1) *Johannes dictus Kalojan, rex Bulgariae. Vide Huber, Österr. Gesch. I, pag. 372, 377.* — 2) *Margarethae.* — 3) *Cf. Winkelmann, Philipp v. Schwaben I, pag. 288, nota 3.*

Apographum saec. XVIII praebet Bened. Scheppl, Lapis sepulchralis fundatoris et benefactorum... monasterii de Plassio (1744), cuius cod. ms. in tabulario Musaei regni Bohemiae asservatur, pag. 60 (B). — Alterum apogr. erat in Dobneri Annal. Hagec. tom. VII, cuius cod. ms. nunc latet, pag. 74 (D).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 23, num. 18 (ex D) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 222, num. 488 (frgm.) — Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutsch. in Böhmen XII, pag. 64, num. 17 (reg.).

Noverint tam presentes[a] quam futuri, quod cum ego Rubertus, Olomucensis episcopus, consecrarem ecclesiam maiorem Placensis monasterii, domina quedam Agnes nomine, nobilis cuiusdam viri Cunonis de Potworow[b] vidua, villas quasdam Placensi monasterio in eiusdem ecclesie consecratione contulit,[1] quarum hec sunt nomina: Mozidliscz,[c] Hluboki,[d] Vplevice,[e] Udrazka,[f] Zrubni.[g] Fuit autem eius ordinatio talis, ut de reditibus et proventibus harum villarum conventus Placensis haberet oleum et allecia in adventu domini et in quadragesima. Aliam autem villam Wladimiriz[h] nomine, quam emit, ad hoc ordinavit, ut de eius proventu commode et sufficienter procurentur in cena[i] domini pauperes et[k] advenientes. Ut autem hec essent rata et inconcussa, rogavit me ista sub excommunicatione ponere. Quod et feci. Quicunque ergo ista immutaverit, cuiuscunque conditionis sit vel dignitatis, sive sit episcopus, sive rex, sive abbas, sive monachus, sive clericus, sive laicus, a deo[l] omnipotente sit excommunicatus. Facta sunt autem[m] ista episcopatus domini Danielis, Pragensis episcopi, anno quinto,[2] cuius permissione ac voluntate maiorem ecclesiam prefati monasterii Placensis consecravi, anno ab incarnatione domini MCCIIII.[n]

Autographo appendebat sigillum Roberti episcopi, cuius imaginem praebet B. Quae quidem imago licet non sit accurata, tamen sigillum illud eadem forma confectum esse ostendit atque sigillum, quod chartae num. 78 appensum est.

49.

Innocentius III papa Roberto, episcopo Olomucensi, mandat, ut P. presbyterum, qui diaconatus gradu praetermisso ad sacerdotii ordinem promotus erat, poenitentia ipsi iniuncta, diaconum consecret. *Romae [1205] ian. 21.*

---

48. *a)* ‚praesentes' *et sic etiam infra semper* ‚ae' *pro simplici* ‚e' *B.* — *b)* ‚Potvorov' *D.* — *c)* ‚Mozidlik' *D.* — *d)* ‚Hluboky' *B, D;* ‚Glubochi' *habet charta Agnetis a. 1193 data.* — *e)* ‚Upleuice' *D;* ‚Vplewi' *charta Agnetis* — *f)* ‚Vdrascha' *charta Agnetis.* — *g)* ‚Srubni' *D.* — *h)* ‚Wladimierz' *D.* — *i)* ‚coena' *B.* — *k)* ‚et' *deest D.* — *l)* ‚domino' *D.* — *m)* ‚autem sunt' *B.* — *n)* ‚MCCIV' *B.*

1) *Litteras Agnetis de Potvorov anno 1193 datas v. in Cod. dipl. Boh. I, pag. 309, num 342. Villa* ‚Mozidliscz' *ibidem non adfertur; sed etiam istam ab Agnete monasterio Plassensi donatam esse, diploma Přemysli Ottakari regis a. 1214 maii 15 datum asseverat.* — 2) *Annus perperam expressus est, nam annos pontificatus sui Daniel episcopus ab anno 1198 (mense fere maio exeunte) computasse videtur; cf. num. 33.*

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. t. V) asservatur, fol. 166 r, lib. VII, ep. 192 (R). — Fragmentum exstat in Decr. Greg. IX, l. V, tit. 29 de cler. per salt. pr., c. 1.

Bréquigny et du Theil, Diplomata II, ps. II, pag. 613 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 34, num. 26, = Migne, Patrolog. lat. tom 215, col. 505, num. 192, = Erben, Reg. Boh. I, pag 224, num. 490 (exc.) — Palacký, Ital. Reise, pag. 19, num. 40 (reg.) — Potthast, Reg. num. 2381.

. . Olomucensi episcopo.[a] Tue nobis presentate littere continebant, quod, sicut ex relatione quorumdam bonorum virorum acceperas, P. presbyter, lator presentium, diaconatus ordine pretermisso, se fecit ad gradum sacerdotii promoveri. Cumque super hoc ab ipso quesisses diligentius veritatem, ipse tibi secreto humiliter est confessus, se pro certo nescire, si res taliter se haberet, sed ex quo boni viri hoc asserebant, inter quos fuerat conversatus, credebat assertioni eorum, eo quod ipse tempore, quo ordines inferiores suscepit, infra annos discretionis fuerat constitutus. Tu igitur ipsum ad apostolicam sedem transmittens, nobis humiliter supplicasti, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur eius miserie condolentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus condignam penitentiam pro huiusmodi negligentia iniungas eidem, et ea peracta, quia non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur, ipsum in diaconum ordinare procures, et sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine sacerdotis. Datum Rome apud sanctum Petrum XII kalendas februarii.

50.

Innocentius III papa Přemyslum Otakarum I, regem Bohemiae, monet, ut ad regis Ottonis, in Romanorum imperatorem electi, fidelitatis obsequium sine dilatione qualibet revertatur. *[Romae 1205 mart. ex.]*

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine III ‚super negotio imperii' inscripto, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. t. VI) asservatur, fol. 32 r, ep. 122a (R).

Baluzius, Epist. Innoc. III, t. I, pag. 743 = Migne, Patrolog. lat. tom. 216, col. 1125 — Posse, Cod. dipl. Saxon. reg. I Hauptth., t. III, pag. 74 num. 93. — Potthast, Reg. 2491 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5922.

Epistula iisdem verbis conscripta erat atque regestri epist. 122, quae lantgravio Thuringiae missa est, e qua eam restitui. Quae quidem epistula signo chronologico omnino caret. Cum autem eiusdem regestri ep. 119 (Potthast num. 2448), in qua de principibus quibusdam scribitur, qui Ottone rege relicto, eius adversario adhaereant, (teste codice ms. bibl. reg. Berolinensis lat. oct. nº 50 ep. 30) data sit Romae apud s. Petrum 1205 mart. 18, etiam epistulam nostram eodem fere tempore scriptam esse, verisimile est.

---

49. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R.*

.. regi Boemorum illustri.[a] Quia libere voluntatis arbitrium quanto violentius quis flectere nititur, tanto amplius in puritate sui propositi confirmatur: non credimus, quod violentia ..[1] ducis Sueuie tuam mutaverit voluntatem et animum[b] variarit, licet[c] ei coactus fueris militare. Cum ergo necessitate cessante, cessare soleat necessitatis effectus, serenitatem tuam[d] monemus et exhortamur attente et per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus cum tempus acceperis, ad karissimi in Christo filii nostri illustris regis Ottonis, in Romanorum[e] imperatorem electi, fidelitatis obsequium sine dilatione qualibet revertaris et sic in eius dilectione proficias, ut et in gratiam nostram proficere merearis.

51.

Philippus, rex Romanorum, pacem inter fidelem suum Johannem, abbatem Hersfeldensem, et cognatum suum Hermannum, lantgravium Thuringiae, factam litteris comprobat, in quibus inter alia dicitur: „Omnia damna abbati et fratribus suis a lantgravio et suis illata a tempore, ex quo Boemus hostis imperii conversus est in fugam[1] et nos lantgravium in nostram recepimus gratiam, ... ipse lantgravius debet restituere.“ *Norimbergae 1205 maii 23.*

Posse, Cod. dipl. Saxon. I Hauptth., t. III, num. 87 (ex autogr. tabularii Marburg.) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 109.

52.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Slavkoni comiti villam Týnčany ad ius reginae pertinentem donat, petente Constantia regina.

— 1205 [ante sept. 8].

Donatio haec anno 1207 demum litteris comprobata est. Vide infra num. 75.

Erben, Reg. I, pag. 224, num. 492.

53.

Innocentius III papa prioris et fratrum hospitalis Hierosolymitani in Bohemia existentium atque possessionum, quas in Bohemia et Moravia habent, protectionem suscipit. *Romae 1205 nov. 5.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario magni prioratus Melitensium Pragae asservatur (A).

---

50. a) ‚Nobili viro langravio Turingie‘ *R; cum autem post litterarum finem ibidem adnotetur:* ‚Scriptum est in eundem modum .. regi Boemorum illustri‘, *superscriptionem hanc editioni meae praefixi.* — b) ‚imu‘ *in loco raso scr. R.* — c) ‚et‘ *in loco raso scr. R.* — d) ‚monemus nobilitatem tuam‘ *R; mutavi secundum stilum curiae.* — e) ‚Romañ‘ *R.*

1) *Philippi.*

51. 1) *Apud Ilmam 1204 ante sept. 17; v. Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 85*[a] *et Winkelmann, Philipp v. Schwaben I, pag. 327.*

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 35, num. 27 = Migne, Patrol. lat. tom. 217, col. 149, num. 104, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 225, num. 491 (reg.) — Delaville Le Roulx, Cartulaire genéral des Hospit. de St. Jean de Jérusalem II, pag. 53, num 1224. — Potthast, Reg. pont. Rom. num. 2605.

In dextra membranae replicatae parte eodem fere atramento eadem ut videtur manu, quae autograpum scripsit, adnotatur: ‚Roff.‘ [= Roffridus] *In autographi tergo in sinistro angulo superiore alia manus eiusdem temporis scripsit:* ‚Mil‘.

⁝ Innocentius ⁝ episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis . . priori et fratribus hospitalis Ierosolimitani in Boe‖emia[a] constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam‖vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum ‖ perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis precibus inclinati, personas vestras et possessiones, que in Boemia et Morauia vobis pia sunt liberalitate collate, vel quas in posterum deo propitio iustis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc atemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum nonis novembris, pontificatus nostri anno octavo.

Autographo appendet e filis sericis flavei et rubri coloris bulla plumbea Innocentii III, eadem atque supra in litteris num. 40.

54.

Silvester, abbas Cladrubensis, praedium monasterii sui in villa Mladotice Meingoto, abbati Plassensi, vendit; pro quo quadraginta marcas et praedium in Piňovany se accepisse attestatur. — *1205* —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A). — Apographum saec. XVIII praebet cod. ms. in tabulario Musaei r. Boh., qui „Lapis sepulchralis fundatoris ... monii. . . de Plassio“ inscribitur, pag. 187.

Erben, Reg. Boh. I, pag. 225, num. 493 (exc.) — Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen XII, pag. 64, num. 18 (reg.).

Autographum ignota quadam manu scriptum est, quae scribae cuiusdam Cladrubensis esse videtur. — Chartae huius duplex autographum confectum esse ex eo apparet, quod in fine ipsius dicitur. Sed alterum autographum, abbatis Plassensis sigillo instructum, quod monasterio Cladrubensi datum est, iam antiquitus periisse videtur.

Quoniam mens humana sic a se per diversa rapitur, ut quam note rei concrescat oblivio,[a] nisi posterorum cognicioni litterali consignetur‖testimonio, no-

53. *a) ita A.*

54. *a)* ‚io‘ *in loco raso eadem manu correctum est, A.*

verit igitur etas presens et postera, quod ego S.[1] dei gracia dictus Cladrubensis abbas, anno verbi incarnati MCCV, ‖ tempore serenissimi Boemorum regis Ocdochardi, predium ecclesie nostre Mladethiz venerabili abbati M.[2] de Plaz ‖ unanimi fratrum nostrorum conniventia pro LXX marcis vendidimus. Quadraginta nempe marcis persolutis, in subpletionem taxate pecunie predium ecclesie sue in Pnevvan pro XXX marcis ecclesie nostre tradiderunt, ea nimirum conditione, ut si in posterum aliquam contradictionem ab aliquo patiantur, nostra responsione id ratum esse confirmetur. Ceterum ut inviolabilis perpetim maneat statuta conventio, qua utriusque abbatie provisum est utilitati, presens scriptum utriusque sigillo communitum apud nos et ipsos[b] censuimus conservandum.

Autographo appendet e scidula membranae sigillum de cera naturali confectum, formae rotundae (diametros 50 mm). In sigilli medio imago abbatis pectore tenus expressa conspicitur, qui manu dextra pedum gestat. Circumscriptio: ✢ ABBAS · CLADORVBЄNSIS.

55.

Innocentius III papa Eberhardo II, archiepiscopo Salisburgensi, abbati Admontensi et decano Gurcensi mandat, ut causam de matrimonio Přemysli Otakari, regis Bohemiae, qui Adela uxore legittima repudiata, sororem Andreae, regis Ungariae in matrimonium duxit, exquirant et cum fuerit sufficienter instructa, ad sedis apostolicae examen remittant. *Romae 1206 apr. 26.*

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine IV, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. VII) asservatur, fol. 84r—85r, lib. IX, ep. 60 (R).

Raynaldi Ann. eccl. a. 1206 § 24, 25, — Bréquigny et du Theil, Diplomata II, pars II, pag. 889 = Migne, Patrolog. lat. t. 215, col. 872 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 225, num. 496, — Posse, Cod. dipl. Saxon. reg. I Hauptth., t. III, pag. 76, num. 95 — Fragm. ap. Katona, Hist. crit. IV, pag. 583 et Fejér, Cod. dipl. Hung. II, pag. 372 (ad an. 1199) — Palacký, Ital. Reise, pag. 19, num. 41 (reg.) — Meiller, Reg. arep. Salisburg. pag. 188, num. 83 — Potthast, Reg. num. 2762 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 5962.

Epistulae prior pars ex eiusdem papae litteris, quae anno 1199 mense septembri exeunte vel octobri ineunte ad Ludolfum, archiepiscopum Magdeburgensem, eiusque coniudices missae sunt (v. num. 9), ad verbum fere descripta est.

..[1] Salzeburgensi[a] archiepiscopo et ..[2] abbati Admuntensi Salzeburgensis diocesis et .. decano Gurcensi.[b] Ex parte dilecti filii nobilis viri ..[3] marchionis Misnensis et A.[4] sororis ipsius nostris est auribus intimatum, quod cum karissimus in Christo filius noster .. Boemie rex illustris ipsam A. duxisset legitime in uxorem ac eam decem et octo annis et amplius velut uxorem legitimam pertractasset, filiis et

54. *b) ,ip' in loco raso eadem manu scriptum est, A.*

1) *Silvester.* — 2) *Meingoto.*

55. *a) ,Salzebgen' R. — b) superscriptio colore rubro scripta est R.*

1) *Eberhardo II.* — 2) *Wolframo.* — 3) *Theodorici.* — 4) *Adelae.*

filiabus ex ea susceptis: tandem suadente humani generis inimico, illam á suo consortio separavit, et venerabilis frater noster ..[5] Pragensis episcopus habito quorumdam prelatorum consilio in quodam monasterio, ad petitionem et mandatum ipsius regis, ipsa volente ad eos accedere, ut suas coram eis proponeret rationes, militibus eiusdem regis prohibentibus bis vel ter ingressum eidem, et ex parte illius appellatione ad sedem apostolicam interposita, sententiam inter eos divortii non est veritus promulgare; ac demum ipse rex quandam aliam, ..[6] sororem videlicet karissimi in Christo filii nostri A.[7], nunc * regis Vngarie, superduxit. Super hoc autem, cum ad nos querimonia devenisset, causam ipsam venerabili fratri nostro ..[8] Alberstatensi episcopo et coniudicibus eius[9] duximus committendam; qui postmodum eandem causam instructam ad nostram presentiam remiserunt. Cum denuo tibi, frater .. Salçburgensis, et bone memorie ..[10] Magdeburgensi archiepiscopis et dilecto filio Romario preposito Seburgensi[c] causam commisissemus eandem,[11] ipsi prefatum regem propter idem negotium citaverunt. Sed quoniam idem rex nuntios eorum, ut asseritur, fecit inhoneste tractari, ipsi non processerunt amplius super causa. Interea vero prefatus rex, correctus á Domino, sicut dicitur, et magna contra ipsum adversitate surgente, reversus ad semet ipsum, dixisse proponitur: Merito hec patior, quia legitimam uxorem meam sine causa dimisi et propter hoc filios meos filiasque confudi. Cumque reatum suum taliter recognosceret, convocatis maioribus terre sue, nichilominus etiam liberis et ministerialibus fratris eiusdem uxoris sue, iuravit ipse fecitque iurari per suos, quod superinductam expelleret ac legitimam revocaret; quod postmodum non implevit, licet illud per litteras signatas sigillo proprio confirmarit. Quamvis igitur ex apostolice servitutis officio simus omnibus in iustitia debitores, volentes tamen ita predictorum marchionis et sororis ipsius iustas petitiones admittere, ut prefatorum regis Boemie ac sororis regis Vngarie iustitiam non ledamus: discretioni vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus ad diem et locum partibus competentem vocatis coram vobis quos videritis evocandos, in ipso negotio mediante iustitia usque ad calculum diffinitive sententie, sublato appellationis obstaculo, procedatis et causam sufficienter instructam ad nostrum remittatis examen, prefigentes partibus terminum congruentem, quo per procuratores idoneos nostro se conspectui representent, sententiam auctore Domino recepture. Testes autem,[d] qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis veritati testimonium perhibere; nullis litteris veritati et iustitie[e] preiudicium facientibus, si que apparuerint a sede apostolica impetrate. Quod si non omnes hiis[f] exequendis potueritis interesse, tu, frater archiepiscope,

55. *c)* ,dil. filio .. preposito Romañ' *R.* — *d) quae subsequuntur usque* ,nullis', *voce tantum* ,etc' *indicantur in R.* — *e) pro* ,et iust. — impetrate' *in R* ,etc.' *tantum positum est.* — *f) pro* ,hiis — interesse' *tantum* ,etc' *legitur in R.*

5) *Daniel II.* — 6) *Constantiam.* — 7) *Andreae.* — 8) *Gardulfo.* — 9) *i. e.: Bertoldo episcopo Naumburgensi et Winnemaro abbati de Porta; v. supra pag. 15, lin. 27.* — 10) *Ludolpho.* — 11) *Litteras papae dedimus supra num. 20.*

cum[g] eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Rome apud sanctum Petrum VI kalendas maii, anno nono.

56.

Manegoldus, episcopus Pataviensis, decimarum commutationem inter monasterium Wilhering et ecclesiam in Gramastetten factam approbat. — Inter testes: ‚Růpertus Holomucensis episcopus.'

Pataviae 1206 iun. 19.

Urkundenb. d. Landes ob d. Enns II, pag. 504, num. 351 (ex autogr. monii. Wilhering).

57.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, ecclesiae Pragensi quandam terram regalem in territorio villae prebendalis Holubice sitam donat.

[1202—1207.]

Autographa bina in membrana scripta in tabulario capituli metropolitani Pragensis asservantur (A^1, A^2); quorum alterum (A^2) nunc latet.

Bartholdus Pontanus a Braitenberg, Bohemia pia, pag. 57 (frgm.) — Pessina, Phosphorus septicornis, radius II, pag. 40 = Balbín, Miscellanea hist. r. Boh. decad. I, lib. VI, pag. 13, num. 11. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 221, num. 485 (extr.).

Utrumque autographum manu scribae, quem ‚Otakarus 4' appellamus, scriptum est. — Charta notis omnibus chronologicis caret, sed post annum 1201 confecta sit necesse est, quod in ea Cristanus praepositus Pragensis vocatur, quippe qui dignitatem hanc non nisi post annum quem dixi assequi potuit. Ante annum 1207 chartam confectam esse ex eo cognoscimus, quod illo anno praepositi Pragensis munere iam Andreas fungebatur, qui inter testes chartae huius adhuc praepositus Melnicensis vocatur.

✝ ⁞ In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. ⁞ Regalem decet excellenciam commodis et profectibus ecclesiarum ferventer intendere et omnimodam occasionem ‖ inpedimentorum, que[a] rebus vel personis ecclesiasticis posset aliquatenus emergere, claro mentis intuitu previdere et previsam munimine regie dignitatis penitus rese‖care. Notum itaque sit omnibus presentibus et futuris presentem paginam inspecturis, quod ego Premislo, dei gracia rex Boemie, pro remedio anime mee utilitatibus Pragensis ‖ ecclesie devocius invigilans et eam munificis incrementis affectans dilatare, ut post a deo, bonorum omnium retributore, magna pro parvis, cęlestia pro terrenis, valeam percipere: in villa prebendali, que[a] dicitur Golubich, quandam terram, que[a] nostro regali dominio subiacebat et in teritorio[b] predicte ville prebendalis sita est, porcioni eiusdem prebende adiungendam perpetuo iure liberaliter concessimus. Ne autem in posterum huius

55. g) ‚cum — exequaris' *voce* ‚etc' *tantum indicatur in R.*

57. a) ‚quę' A^2. — b) *ita* A^1, A^2.

nostre largitatis donatio per aliquorum inprobitatem posset[c] aliqua falsi[d] suggestione[e] in irritum deduci, dignum deputavimus, quatinus omnes, qui nostre liberalitatis munus futuris temporibus attemptarent aliqua ducti temeritate violare, gladio anathematis ferirentur. Unde precępimus, ut dominus Daniel secundus, Pragensis episcopus, ad cuius quoque peticionem predictam donationem[f] fecimus, publice[g] sentenciam excommunicationis in eos, qui sepe iam dictam donationem[f] aliqua perversitate molirentur auferre, promulgaret. Ut autem omnia[h] rite et sollempniter facta esse comprobentur, presentem paginam nostri sigilli appensione precępimus roborari.[i] Petitores vero et testes huius donationis fuerunt hii: venerabilis II[us] Daniel Pragensis episcopus, Cristanus Pragensis prepositus et cancellarius, Andreas Pragensis canonicus et prepositus Melnicensis, Benedictus tunc notarius regis et Pragensis canonicus, Zlawek[k] comes cum filio suo Boguzlao, Dalebor, Bvdiwoy, Mstidrug[l] cum fratre suo Woyzlao.

Autographo A^1 appendet e filis sericis coloris albi et rubri sigillum rotundum de cera naturali confectum, duo latera habens, cuius diametros sunt 71 mm. In priore sigilli parte imago regis in solio sedentis conspicitur, qui corona capiti imposita, in manu dextra sceptrum, in sinistra globum cum cruce tenet. Circumscriptio: ✠ PAX · REGIS · OTACARI IN MANV · SCI WENCESLAI. *In parte aversa sanctus Venceslaus in solio sedens depingitur, qui manu dextra hastam cum vexillo tenet, sinistra scuto innititur. Circumscriptio:* ✠ SANCTVS · WENCEZLAVS · BOEMORVM · DVX. *Figurae in utraque sigilli parte expressae non nisi paulum ab illis differunt, quae in sigillo diplomatis num. 6 conspiciuntur; a quo quidem sigillo sigillum nostrum eo potissimum discernitur, quod singulae circumscriptionis litterae alio loco positae sunt. — Sigillo, quod diplomati nostro appendet, iam a. 1201 mense iulio Otakarus rex utebatur (v. num. 22). — Sigillum, quod autographo A^2 appendebat, iam avulsum et deperditum est.*

58.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Kladruby tabernas in villa eiusdem nominis donat, consentiente fratre suo Vladislavo.

[1202—1207.]

Apographum a magistro civium civitatis Kladrubensis a. 1629 mart. 17 vidimatum in tabulario regni Bohemiae asservatur (B).

Charta notis chronologicis omnino caret, sed inter annos 1202—1207 datam esse ex eo colligi potest, quod in ipsa Cristanus cancellarius nominatur.

§ In nomine sanctae et individuae trinitatis. § Przemysl, rex Boemorum. Dum gubernacula Boemici principatus a Domino, per quem omnis potestas in caelo et in terra est, consecutus essem et gloria et honore, divitiis quoque, omnes,

57. *c) sequitur* ‚p‘ *erasa A^2. — d) genuine* ‚fasi‘ *sed* ‚si‘ *eod. atramento in* ‚ls‘ *corr. A^1. — e) sequitur* ‚m‘ *(?) erasa A^2. — f)* ‚donacionem‘ *A^2. — g)* ‚publicę‘ *A^2. — h)* ‚omnia‘ *eadem manus eodem atramento superscripsit A^1. — i)* ‚i‘ *ex* ‚e‘ *in loco raso corr. A^1, A^2. — k)* ‚k‘ *ex* ‚c‘ *eod. atramento corr. A^2. — l)* ‚Mstidrvg‘ *A^2.*

qui ante me illic regnaverunt, praecederem[a]: utilitatibus ecclesiarum pro viribus prospicere decrevi, studens obsequio tali placere divinitati. Noverit itaque omnis tam futurorum quam praesentium aetas, me Cladrubiensi cenobio tabernas[b] in villa eiusdem nominis cum consensu Wladislai fratris mei et consilio Boemorum donasse. Sed quia quidquid apud homines fit, cita oblivione pręterit, idcirco praesentem cartam nostri impressione sigilli et testibus roboratam, in memoriam huius conscriptam, per manus Christiani cancellarii nostri eidem loco contradidi. Quicunque[c] vero hanc donationem in perpetuum violare praesumpserit, deleatur nomen eius de libro viventium et cum Dathan et Abiron descendat in infernum. Testes huius facti: Cristianus[d] cancellarius, Zmil, Cirnin camerarius[e] cum fratribus suis Brecizlao[f] et Dirsizlao,[g] Zulizlaus,[h] Georius, Beneda, Zstibor,[i] Chunradus, Hroznata.[k]

59.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, ecclesiae Olomucensis libertates antiquas renovat novisque large additis auget; episcopis villae Kroměříž possessionem liberam confirmat; praepositurae novissime creatae cancellariam et villam Uherce confert; canonicis liberam episcoporum electionem concedit.

In Olomuc 1207 .—.

Exstant duo autographa in membrana scripta, quorum primum in tabulario capituli metropol. Olomucensis (A^1), alterum in tabulario archiepiscopali Cromesirensi asservatur (A^2). — Diplomatis apographum usque ad nomen ‚Budisslaus' *totidem verbis insertum est confirmationi Innocentii III papae 1207 ian. 8 datae (B), cuius autographum in tabulario capit. Olomuc. asservatur. — Autographi A^1 exemplar insertum est etiam confirmationi Urbani IV papae 1262 apr. 22 datae (C).*

Richter, Augustini Olomucensis episcoporum Olomuc. series, Append. pag. 294 (ex C). — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 38, num. 31 (ex A^2) = Erben, Reg. I, pag. 228, num. 501 (extr.), = Jireček, Cod. iuris Bohem. I, pag. 36, num. 23, = Migne, Patrolog. lat., tom. 217, col. 153 — Kobliha, Urkundensammlung betreffend die Privilegien und Rechte des ... Metropolitankapitels zu Olmütz, pag. 1, num. 1 (ex A^1).

Utrumque autographum scriba, quem nota ‚Otakarus 5' signamus, manu sua exaravit. Ad eandem manum etiam haec Otakari regis diplomata revocanda sunt: diploma sine anno monasterio s. Petri in Olomuc (v. num. 60), et diploma a. 1223 mart. 2 eidem monasterio datum atque privilegium ordini s. Johannis Hierosolymitani a. 1213 dec. 31 concessum. Eiusdem scribae manu exaratum est etiam chartae autographum, quam Robertus episcopus Olomucensis a. 1213 monasterio s. Petri in Olomuc dedit. Idem scriba scripsit etiam Henrici Vladislavi marchionis Moraviae privilegium a. 1213 dec. 31 ordini s. Johannis Hierosolymitani concessum et Vladislavi II marchionis Mor. chartam a. 1225 maii 11 monialibus s. Petri in Olomuc datam. Eadem manus praeterea in aliquot Přemysli marchionis Moraviae chartis conspicitur (Erben, Reg. Boh. I, num. 861, 889 al.). Communis haec diplomatum origo, quae a variis

58. *a)* ‚praecedere' *B.* — *b) aut describentis errore hic numerus omissus est, aut* ‚tabernam' *corrigendum est.* — *c)* ‚Quiscunque' *B.* — *d)* ‚Kristianus' *B.* — *e)* ‚Zmil camerarius, Cirnin' *B.* — *f)* ‚Brecihlao' *B.* — *g)* ‚Dirschlo' *B.* — *h)* ‚Hulehlaus' *B.* — *i)* ‚Hstibor' *B.* — *k)* ‚Hronota' *B.*

personis variis monasteriis ecclesiisque data sunt, facillime explicatur, si scribam istum clericum quendam ecclesiae Olomucensis fuisse censeamus. Cui sententiae convenit, quod Otakarus rex in diplomate nostro praeposRiturae Olomucensi cancellariae munus assignavit. — In diplomate conficiendo auctor e diplomate Vladislavi II ducis Bohemiae aa. 1146—1148 dato (Cod. dipl. Boh. I, num. 157) nonnulla de libertatibus, quae ecclesiae concessae sunt, descripsit. — Diploma iam anno 1206 exeunte confectum esse ex eo cognosci potest, quod verba eius (usque ad ‚Budisslaus' *incl.), quae in utroque autographo uno impetu scripta sunt, Innocentii III papae confirmationi, quae data est Romae 1207 ian. 8, inserta sunt. Exemplar, quod confirmatio haec praebet, cum autographi A2 lectionibus potissimum concordat; sed ex autographo ipso descriptum non esse, lectiones demonstrant, quas in notis* [e], [f], [h] *damus. — In autographi A1 tergo manu quadam cancellariae apostolicae saec. XIII fere medii scriptum est:* ‚Istud est cum bull(a) privilegium, quod debet fieri ad instar.' *Ibidem in angulo inferiore dextro alia eiusdem temporis manus adnotavit:* ‚Petit dominus rex confirmari inserto tenore.' *Quas quidem annotationes tempore Urbani IV papae scriptas esse ex eo apparet, quod ipsius privilegium, quod datum est Viterbii 1262 apr. 22 autographi A1 verba accurate repetit. — Palacký, Dějiny3 I, ps. 2, 366 et ap. Erben l. l. pag. 624 diploma ex vano in suspicionem vocat. Vide etiam Dudík, Mähr. allg. Gesch. V, pag. 48 sq. et X, pag. 6 sq.*

(C.) In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Premisl,[a] dei gratia rex Boemorum tercius, venerabili[b] episcopo Olomucensi ‖ Ruberto suisque successoribus et Olomucensi ecclesie in perpetuum.[b] Cum regie dignitati cedat ad gloriam, quociens sanctam veneratur et sublimat ‖ ecclesiam, nostre placuit serenitati eius previdere[c] necessitati, ita ut nostre benignitatis experiatur beneficia, et nobis inde proveniant divini ‖ [mun]eris[d] emolumenta. Noverit itaque tam presens etas quam futura posteritas, quod antiqua Olomucensis ecclesie renovantes privilegia, dec[revimus[e] omnes] eius possesiones,[f] sive sint in Boemia, sive in Morauia, ab omni genere[g] tributorum, vectigalium[h] aliar[umque omnium exactionum] esse absolutas. Adicientes, ut nullus pro castrorum * edificatione vel reedificatione sive pro aliqua ingruenti expeditione[i] secundum [quod in] antiquis continetur privilegiis,[1] homines episcopatus et ecclesie audeat inquietare. Ius quod datur pro capite, sive pro fure, vel pro swod,[j] principi vel eius inbeneficiatis, venerabili patri nostro Ruberto[k] episcopo et eius successoribus et ecclesie[l] concessimus perpetuo obtinendum; hoc statuentes de fure: si in maleficio fuerit deprehensus manens in prediis ecclesie, sive capiatur et coram iuditio[m] convincatur, eius[n] bona furis remaneant ecclesie, fur vero[o] secundum quod placuerit principi puniatur. Si vero homines episcopatus et ecclesie in aliquo coram iuditio culpabiles inveniuntur, nec nobis nec iudicibus nostris curialibusque vel inbeneficiatis aliquid inde proveniat utilitatis, sed apud[p]

59. a) ‚Premissl' *litteris elevatis scriptum A2.* — b) ‚venerabili — perpetuum' *omittit B.* — c) ‚providere' *B.* — d) *quae uncis hic et infra includuntur, in A1 cum membrana putrefacta perierunt.* — e) ‚decrevimus' *deest A2.* — f) ‚possessiones eius habitas vel habendas' *A2.* g) ‚onere' *B.* — h) ‚collectarum' *addit A2.* — i) ‚expedicione' *A2.* — j) ‚vel pro swod' *omittit B.* — k) ‚Roberto' *B.* — l) ‚et ecclesie' *om. B.* — m) ‚iudicio' *A2.* — n) ‚eis' *B.* — o) ‚remaneant, ipse vero' *A2 et B.* — p) ‚aput' *A2.*

1) *In diplomate Vladislavi II ducis, quod dedimus in Cod. dipl. Boh. I, pag. 162, num. 157.*

episcopum et eius successores culpe perseveret satisfactio, nisi in quo tenetur satisfacere adversario. Cetera ut omnia breviter conprehendamus, omne ius, quod spectat ad usus principum, eis remittimus, ut plena et perfecta gaudeant libertate, nec ullus eis novas conditiones audeat inponere vel eorum iura mutare. Villam Cromezir cum foro et omni iure suo, quam quasi episcopo Olomucensi obligatam precedentium principum fatebatur invidia, cum felicis memorie Johannes episcopus,[2] a reverendo patre nostro Ruberto,[k] qui in presentiarum[q] est decimus, a principe Morauie Ottone nigro pro CCC marcis emerit,[3] ab omni inpetitione[r] nostra et successorum nostrorum absolvimus, sanctientes,[s] quod episcopus Olomucensis[t] et eius successores plenam in ea habeant, omni inpedimento remoto, pro velle suo disponendi facultatem. Cum autem omni iuri divino contraria inoleverat consuetudo, quod decedente episcopo bona illius in usus principum vendicabantur, visum fuit nostre pietati istam abolere abusionem, hoc decernendo, quod ultima fata decedentis episcopi ecclesie non cedant ad detrimentum, cum eius patroni beatus Petrus apostolus et Paulus et felix martyr Wencezlaus[u] aput[v] deum vivant in ęternum. Decedente ergo episcopo omnia episcopatus et ecclesie bona sub manu decani et prepositi ecclesie illius integra eius successori reserventur, nec aliquis ea audeat occupare vel[w] minuere vel in usus principum vendicare. Contigit autem,[x] quod ab antiquis temporibus ecclesia illa preposito carebat, unde visum fuit patri nostro Ruberto[y] in ea prepositum ordinare, qui [fra]tribus illius ecclesie debito modo provideret et eorum necessitati responderet. Set cum deceat regiam manum ubique pluere benef[icia, prepo]siture illi [cancellariam] nostram cum villa, que vocatur Vherchi,[z] ad quam decimus denarius cum decima aratrorum nostrorum spectat[aa] et omnium rerum ad uti[litatem] nostram [pertinen]cium,[bb] contulimus, interdicentes, ut nullus hec audeat inmutare. Libertatem etiam in episcoporum electione, quam quidam principes inpedire solebant, canoni[cis] illi[us] ecclesie secundum iura canonum libere et absolute concedimus et, ne in posterum irritetur, prohibemus. Ut autem hec omnia rata et inconcussa permaneant, hanc nostre serenitatis paginam nostro sigillo fecimus roborari et[cc] a venerabili patre nostro Ruberto[y] in die pasche publice excommunicari. Si quis autem contra hanc nostram venerit constitutionem, rerum suarum gravi multetur dispendio et deum cum sanctis suis sibi adversum in extremo senciat iuditio.[m] Huius rei sunt testes: Walterus decanus Olomucensis[t] et archidiaconus Znoemensis,[dd] Radosslaus archidiaconus Olomucensis, Bozko[ee] archidiaconus Prerowensis,[ff] Esau archidiaconus Brecizlauensis, Hermannus abbas Gradiscensis, Arnusth[gg] camerarius Olomucensis,[hh] Willalmus

59. *q)* ‚presenciarum' *A^2. — r)* ‚inpeticione' *A^2. — s) genuine* ‚sanctentes' *sed in loco raso corr. A^1. — t)* ‚Olom' *A^1, A^2,* ‚Olomonceñ' *B. — u)* ‚Vencezlaus' *B. — v)* ‚apud' *B. — w)* ‚et' *A^2, B. — x)* ‚etiam *A^2, B. — y)* ‚R' *B. — z)* ‚Vherci' *B. — aa)* ‚spectat' *deest A^2, B. — bb)* ‚pertinentium' *A^2. — cc)* ‚quoslibet ausu temerario contra eam venientes' *hic scribae incuria omissum est; cf. Cod. dipl. Boh. I, pag. 165, lin. 1. — dd) litterae* ‚et archidiač Znoem' *cum membrana destructa perierunt A^2. — ee)* ‚Bosko' *B. — ff)* ‚Prerouen' *B. — gg)* ‚Arnust' *A^2. — hh)* ‚Olomucensis' *omissum A^2, B.*

2) *II, 1104—1126 febr. 21.* — 3) *Vid. Cod. dipl. Boh. I, pag. 121, linea 4.*

Vsich,[ii] Zlauko,[jj] Bogusslaus Odoleni,[kk] Bogutha[ll] et Heinricus frater eius iudex Olomucensis, Medlo castellanus Olomucensis, Sudomirus,[mm] Petrus Ross,[nn] Predbor hebki,[oo] Sdisslaus Grutowich,[pp] Sudiwoy, Donatus, Sulizlaus cum filio Slawata,[qq] Johannes cum fratre Hren, Odolen, Rohhchę,[rr] Radosslaus,[ss] Pribizlaw[tt] Suarowich[uu] cum fratre Sdizlao,[vv] Semisslaus[xx] cum filiis, Kohhanus,[yy] Budisslaus,[zz]

Boruth,[a] Pomnen Jarogneuich, Bludo, Doben cum fratre Nedamiro, Jacobus, Lvthek, Zbrasslaw, Weliz, Welen, Buz, Bicen, Rathmir, Predbor Cenakowich, Woyzlav, Sezema, Luder, Neplah, Skyrben, Sudek, Sobehyrd de Clobuk, Woyteh cum fratre Domamiro, Smil cum fratre Andrea, Gron, Ondreiek.[b] Cononici[c] Olomucenses: Wratek, Vtessen, Sbygneu, Andreas,[d] Chuzcray, Bogusslaus,[d] Petrus, Jacobus, Syfridus, Stephanus.

Acta sunt hec in Olomuc anno ab incarnatione domini millesimo CCVII. Datum per manus Rapotonis notarii.

Pomnen[a] Jarognewich, Bludo, Doben cum fratre Nedamiro, Jacobus, Lutek, Zbrazlaw, Weliz, Velen, Buz, Bicen, Rathmir, Predbor Cenakowich, Voysslaw, Sezema, Luder, Neplah, Skyrben, Sudek, Sobehyrd de Clobuch, Voyteh cum fratre Domamiro, Smil cum fratre Andrea,[b] Gron, Ondreiek, Boruth[c] filius Wok, Prebor filius Bun, Stanimir filius Wlassin.[c] Canonici Olomucenses: Wratek, Vtessen, Zbignew, Andreas,[d] Chuzcray, Bogusslaus,[d] Petrus, Jacobus, Ziffridus,[e] Stephanus.

Acta sunt hec in Olomuc anno ab incarnatione domini millesimo C̊CVII.[f] Datum[g] per manus Rappotonis notarii.

Sigillum regis, quod utrique autographo in filis sericis coloris rubri flavi albi appensum erat, iam avulsum et deperditum est.

59. *ii)* ‚Vsszich' *A2;* ‚Usich' *B.* — *jj)* ‚Zlauco' *A2;* ‚Slauko' *B.* — *kk)* ‚Boguslaus Odol' *B.* — *ll)* ‚Boguta' *A2, B.* — *mm)* ‚Ssudomirus' *B.* — *nn)* ‚Ros' *B.* — *oo)* ‚hebky' *A2.* — *pp)* ‚Sdislaus Gruto' *B.* — *qq)* ‚Ssulizlaus c. fil. Zlauata' *B.* — *rr)* ‚Rohche' *B.* — *ss)* ‚Radoslaus' *B.* — *tt) genuine* ‚Pribizlai', *sed eodem atramento, quo infra testium nomina* ‚Boruth' *etc. addita sunt, corr. A1;* ‚Pribislau' *B.* — *uu)* ‚Swarouich' *A2;* ‚Suarouich' *B.* — *vv)* ‚Sdisslao' *A2;* ‚Scizlao' *B.* — *xx)* ‚Semizlaus' *A2;* ‚Semislaus' *B.* — *yy)* ‚Kohanus' *B.* — *zz) quae sequuntur, prorsus desunt in B.*

(A1.) a) ‚Boruth — per manus Rapotonis notarii' *alio atramento eadem manus scripsit.* — *b)* ‚Ondreiek' *eadem manus in spatio, ut videtur, vacuo relicto scripsit.* — *c) ita A1.* — *d)* ‚Andreas, Chuzcray, Bogusslaus' *eadem manus in spatio vacuo relicto addidit.*

(A2.) a) ‚Pomnen — mil. C̊CVII' *alio atramento scripta esse videntur.* — *b)* ‚Smil cum fratre Andrea' *atramento magis obscuro ead. m. scripsit.* — *c)* ‚Boruth — Wlassin' *eadem manus alio atramento magis distincto in spatio vacuo relicto addidit.* — *d)* ‚Andreas, Chuzcray, Bogusslaus' *atramento magis distincto ead. manus in spatio vacuo relicto scripsit.* — *e)* ‚Ziffridus' *ead. manus in spatio vacuo relicto addidit.* — *f)* ‚VII' *ex* ‚VIII' *radendo corr.* — *g)* ‚Datum — notarii' *eodem atramento, quo nomina* ‚Boruth — Wlassin' *(v. not. c) scripta sunt, eadem manus addidit.*

60.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, cum coniuge sua Constantia monialibus apud sanctum Petrum in Olomuc tres terras in villa Bukovany et quasdam terras ad castrum Olomucense pertinentes donat eisque carnificem unum in civitate Olomuc addit; homines ipsarum ab edificatione castrorum et a tributis liberat.

— — —

Charta in membrana scripta in tabulario archiepiscopali Cromesirensi asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 146, num. 144 = Erben, Reg Boh. I, pag. 231, num. 506 (fragm. ad ann. cc. 1207)

Charta manu scribae, quem nota ‚Otakarus 5' signavimus, exarata est (cf. prooemium ad num. 59). — Donationem, de qua hic agitur, ad a. 1206 exeuntem vel 1207 ineuntem spectare verisimile est, quod in charta ista iidem fere testes adferuntur atque in diplomate num. 59. Charta non est absoluta, nec sigillo umquam instructa erat. Mirum est, chartae argumentum non quidem totum, sed una parte sublata in regis diplomate, quod datum est anno 1223 mart. 2, iisdem fere verbis repeti. Qua de causa chartam non nisi propositionem esse puto, quae ad effectum adducta non sit, cum regis auctoritate non fuerit comprobata.

In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. Cum in sancta devotione in Christo pie vitam ducentibus ‖ religiosam quemlibet christianum sit necesse orationum muniri suffragiis, iustum profecto est, quatinus ‖ ipsorum inopiam nostram putantes, ex eis, que nobis ex largitate donationis affluunt divine, eorum supplea‖mus misericorditer defectum. Noverint itaque tam presentes quam futuri christiane professionis filii, quod ego Premizl, dei nutu tercius rex Boemorum et dux Morauorum, pro remedio peccatorum meorum nec non et predecessorum nostrorum cum coniuge mea Constancia, Boemorum regina, devotis virginibus circa sancti Petri ecclesiam in Olomuch Christo famulantibus tres terras ad Tynech spectantes in villa Bukowan dicta et quasdam ad Olomucense castrum pertinentes iure possidendas hereditario in perpetuum contulimus, addentes eis insuper carnificem unum in civitate Olomuch in subsidium hospitum ad ipsas advenientium. Pauperes vero earum a reedificatione castrorum et ab omnibus tributorum seu vectigalium ceterorumque huiusmodi exactionibus liberali munificencia absolvimus. Ut autem hoc nostre collationis donum robur habeat firmitatis ac deinceps temporum processu ratum teneatur, venerabilem Olomucensem episcopum Robertum perpetuo anathemate confirmare rogavimus scriptique presentis tenore et sigilli nostri regalis inpressione simul et nobilium nostrorum, qui presentes tunc aderant, attestacione ceterorumque testium adnotacione fecimus roborari. Huius autem rei testes sunt: Jarozlaw, Slawek, Cyrnin, Arnusth, Wilam, Predbor hebki, Boguzlaw Odolenowich, Petrus Rozss, Sdizlawek Grutouich, Blud, Doben, Pribizlaw, Paulik, Sobehyrd, Swezlau, Sulizlaw, Jacobus, Hinricus, Luder, Hren, Jan, Nepplah, Boruth, Borutha[a]

---

60. *a) Post hanc vocem ne punctum quidem factum est A.*

61.

Innocentius III papa Vladislaum, ducem Poloniae, reprehendit propter omnia, quae hactenus in libertatem ecclesiasticam attentavit, et propter mala, quibus ecclesiam Gnesnensem afflixit, eique significat, se [Danieli] Pragensi, [Roberto] Olomucensi, [Theoderico] Misnensi et Poloniensibus episcopis mandavisse, ut sententiam, quam [Henricus] archiepiscopus Gnesnensis in eum tulerit, faciant inviolabiliter observari, singulis dominicis et festivis diebus pulsatis campanis et candelis accensis solemniter innovantes eandem, nisi super eis, pro quibus censuram ecclesiasticam incurrerit, redeat ad mandatum ecclesiae.

Romae ap. s. Petrum 1207 ian. 4.

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine IV, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. VII) asservatur, fol. 132v—133v, lib. IX, ep. 216 [in editionibus 217].

Bréquigny & La Porte du Theil II, II, pag. 1028 = Migne, Patrolog. lat. tom. 217, col. 1060.— Gersdorf, Cod. dipl. Saxon. II Hauptth. tom. I, pag. 73, num. 76 — Palacký, Ital. Reise, pag. 19, num. 42 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 40, num. 32 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 227, num. 500. — Grünhagen, Regest. z. schles. Gesch. I, pag. 89, num. 108. — Potthast, Reg. pontif. 2948.

62.

Innocentius III papa Roberto episcopo et capitulo Olomucensi privilegia et libertates, quas Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, ecclesiae Olomucensi eiusque hominibus concessit, confirmat. *Romae 1207 ian. 8.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropol. Olomucensis asservatur (A). — Apographum exstat in transsumpto Mathiae, archiep. Maguntini, dd. 1326 iun. 13, cuius autographum in tabulario archiepiscopali Cromesirensi asservatur (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 41, num. 33 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 229, num. 502 (reg.), = Migne, Patrolog. lat. tom. 217, col. 153, num. 106 — Kobliha, Urkundensammlg. betr. die Privileg. d. Metropolitankapitels zu Olmütz, pag. 3, num. 2 — Potthast, Reg. pont. num. 2966.

In sinistro membranae replicatae margine scriptoris signum ‚b. f' *conspicitur. In autographi tergo in margine superiore atramento pallido litterae* ‚PR' *scriptae sunt; inferius in tergi medio nota quaedam cancellariae apostolicae erasa est.*

Innocentius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri ..[1] episcopo et dilectis filiis capitulo Olomoncensi salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum ‖ et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, venerabilis in Christo frater et dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus gratum impertientes assen‖sum, libertates et immunitates ecclesie vestre et eiusdem

62. 1) *Roberto.*

hominibus a karissimo in Christo filio P.[2] Boemorum rege illustri, concessas, cancellariam quoque regiam et alios redditus prepositure Olomoncensis ecclesie assignatos ‖ ab ipso, sicut[a] iuste ac pacifice possidetis et in eiusdem regis privilegio plenius continentur, vobis et per vos ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem evidentiam privilegium ipsum de verbo ad verbum huic nostre pagine duximus inserendum: C. In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Premi[z]l *etc.*[3] Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre[b] confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum[c] VI idus ianuarii, pontificatus nostri anno nono.

Autographo appendet e filis sericis coloris flavei et rubri Innocentii III papae bulla plumbea eadem atque in num. 40.

63.

Innocentius III papa Danieli II Pragensi et Roberto Olomucensi episcopis atque Hroznatae praeposito Teplensi mandat, cogant Těmam nobilem Bohemiae, ut terram quandam olim ab Friderico, duce Bohemiae, monasterio Zwettlensi donatam, quam per vim occupatam tenet, restituat. *Romae 1207 febr. 13.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario monii. Zwettlensis asservatur (A).

In membranae replicatae priore parte ad dextram haec scriptoris nota eadem manu scripta est: ‚Roff.' *[i. e.* Roffridus*].*

Innocentius episcopus, servus servorum dei, venerabilibus fratribus ..[1] Pragensi et ..[2] Olmuncensi episcopis et dilecto filio ‖ Roznat preposito de Tepla, Pragensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram dilectis filiis ..[3] abbate ‖ et fratribus sancte Marie de Zuetl, Cisterciensis ordinis, conquerentibus est delatum, quod nobilis vir Chimo, Pragensis ‖ diocesis, terram quandam, eorum domui a bone memorie Frederico,[a] duce Boemie, in helemosinam assignatam,[4] per violenciam detinet occupatam et reddere contradicit. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus dictum C.[5]

---

62. *a) post hanc vocem* ‚ea' *scriptoris incuria omissum est A.* — *b)* ‚nr̄e' *ex* ‚nr̄o' *radendo correctum est A.* — *c)* ‚Pet' *in loco raso scriptum, A.*

2) *Přemyslo.* — 3) *Sequitur privilegium Přemysli Otakari I (num. 59) usque ad nomen* ‚Budislaus' *(incl.) totidem verbis descriptum.*

63. *a)* ‚Fred' *A.*

1) *Danieli II.* — 2) *Roberto.* — 3) *Marquardo.* — 4) *vide Cod. dipl. Boh. I, num. 311.* — 5) *Chimam.*

ut terram ipsam supradictis fratribus sine difficultate restituat, ut tenetur, monicione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, simili districtione, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Rome apud sanctum Petrum, idus februarii, potificatus nostri anno nono.

Bulla, quae e filo cannabino appendebat, iam deperdita est.

64.

Innocentius III papa monasterii in Osek, Cisterciensis ordinis, possessiones quas nominatim recenset, et decimas atque libertates confirmat.

Laterani 1207 apr. 2.

Apographum servaverunt: codex ms. saec. XVII fere medii, qui ,Damascus ex cubiculo abbatis' inscribitur, pag. 226—227 (B), porro cod. ms. ,Privilegia Ossecensia' a. 1693 exaratus pag. 178 (C) et fratris Malachiae Welcker Historia monii. Ossecensis saec. XVIII conscripta, fol. 9v (D); qui omnes codices in tabulario monasterii in Osek asservantur.

Sartorius, Cistercium bis tertium, pag. 1011 paucis tantum verbis litterarum mentionem facit.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis ..[1] abbati et conventui de Ozzek,[a] Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum[b] impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu,[c] locum ipsum Ozzek cum omnibus pertinentiis suis,[d] Hagin,[e] Domazlawiz,[f] Hirdlouc,[g] Sconveld,[h] Duban,[2] Bognitz,[i] Hyrnscher,[j] Bilen,[k] Hoschniz,[l] Naposcherad,[m] in Odoliz[n] aratrum unum, Griwatetz,[o] Mnichow, Telci,[p] in Fridbach duos mansos[3]; in Betschou,[q] in Odoliz[r] et in Swinschitz[s] decimam, in monte Gnewin Mozta[t] decimam vini, Bresaz[u] decimam frumenti, in Merosowicz decimam vini cum decimis aliis[v] Grebessin, Ponte et Saidow[x] dari consuetis; preterea[y] remissionem collecte, que in vulgari

64. *a)* ,Ossek' *B, C.* — *b)* ,benevolum' *B, C, D,* — *c)* ,consensu' *B, C, D.* — *d)* ,locum — suis' *desunt B, C, D; supplevi tum forma cancellariae apostolicae consueta, tum testimonio chartarum spuriarum nixus, quas ab Otakaro a. 1203 apr. 24 et Daniele episcopo a. 1209 sept. 3 monium Osecense accepisse fertur.* — *e)* ,Haglin' *C;* ,Hain' *D;* ,Hirnscher' *post hoc nomen addit D.* — *f)* ,Donazlawiz' *B;* ,Donaslawitz' *C;* ,Damslawitz' *D.* — *g)* ,Hyrdloue' *B;* ,Hyrdlove' *C;* ,Hirdloc' *D.* — *h)* ,Schönfeld' *B;* ,Schönveld' *C.* — *i)* ,Bochnitz' *D.* — *j)* ,Hyrnscher' *hic omittit D.* — *k)* ,Byln' *B, C;* ,Billn' *D.* — *l)* ,Hoschnitz' *C, D.* — *m)* ,Potscherad' *D.* — *n)* ,Odolitz' *C, D.* — *o)* ,Grouwatz' *B, C.* — *p)* ,Telti, Münchow' *D.* — *q)* ,Betschon' *C;* ,Bretschan' *D.* — *r)* ,Odolicz' *B;* ,Odolitz' *C, D.* — *s)* ,Schwinschitz' *C;* Schwindschitz' *D.* — *t)* ,Hnewinmozta' *B, C.* — *u)* ,Bresan' *C.* — *v)* ,ex' *addit D.* — *x)* ,Seidow' *B;* ,Saydow' *D.* — *y)* ,praeterea' *et similiter infra* ,ae' *pro simplici* ,e' *B, C, D.*

1) *Hermanno (?).* — 2) *In charta spuria Danielis epi. a. 1209 sept. 3 data hoc loco in villarum elencho villa* ,Bresan' *adfertur.* — 3) *In eadem charta spuria* ,unum mansum' *legitur.*

bohemico berna vocatur, et absolutionem omnis iuris forensis et thelonii in provincia Belinensi et libertatem exeundi terram sine thelonio duabus semitis, Copicz[z] videlicet una et alia monasterio de Ozzek[aa] proxima, nec non[bb] redditus et possessiones pia vobis liberalitate concessa,[cc] sicut ea iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit,[dd] indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani IV nonas aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

65.

Innocentius III papa Sigfrido II, archiepiscopo Maguntino, eiusque suffraganeis et aliis ecclesiarum provinciae Maguntinae praelatis mandat, ut abbatem et fratres monasterii in Osek, Cisterciensis ordinis, eorumque possessiones contra invasores defendant. *Laterani 1207 apr. 3.*

Apographa saec. XVII exstant in cod. ms. ,Damascus ex cubiculo abbatis' inscripto pag. 227—229 (B) et in Libro privileg. monii. Ossecensis anno 1693 confecto, pag. 179 (C), qui in tabulario eiusdem monasterii asservantur.

Sartorius, Cistercium bis tercium pag. 1011 (argumentum tantum brevissimum praebet).

In litteris conscribendis eadem forma est adhibita atque in litteris Innocentii III papae, quae a. 1208 ian. 16 ad archiepiscopum Treverensem in favorem monasterii Miraevallis, Praemonstr. ord., datae sunt (Potthast, num. 3273). Priorem epistulae partem usque ,De monachis vero' *iisdem fere verbis repetit forma, quae postea Libro provinciali cancellariae apostolicae intexta est (apud Tangl, Die päpstl. Kanzleiordnungen, pag. 262. num. 29).*

Innocentius episcopus, servus servorum dei, venerabilibus fratribus ..[1] Maguntino[a] archiepiscopo et suffraganeis eius et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis,[b] prepositis,[c] plebanis et aliis ecclesiarum prelatis, in Maguntina[a] provincia constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plurima turbacione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonice sentencie severitas enervatur, ut viri religiosi, et hii[d] maxime, qui per sedis apostolice privilegia maiori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis iniurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat et pro fovenda pauperum innocentia se murum[e] defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii ..[2] abbas

64. *z)* ,Copitz' *C, D.* — *aa)* ,Ossek' *B.* — *bb)* ,et' *addunt B, C, D.* — *cc) ita B, C, D.* — *dd)* ,attentaverit' *B, C, D.*

65. *a)* ,Maguntinensi' *B, C.* — *b)* ,archidiaconis, decanis' *B, C.* — *c)* ,praepositis' *et sic etiam infra semper* ,ae' *pro* ,e' *simplici B, C;* ,praepositis, plebanis' *in aliis eiusdem formae littteris deest.* — *d)* ,hi' *B, C.* — *e)* ,murum se' *B, C.*

1) *Sigfrido II.* — 2) *Hermannus (?).*

et conventus monasterii de Ozzech,[f] Cisterciensis ordinis, tam de frequentibus iniuriis quam de ipso cotidiano[g] defectu iustitie conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt apostolicis excitari, ut ita eis videlicet in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent et pressuris, vestro[h] possint presidio respirare. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatenus illos, qui possessiones vel res seu domos predictorum fratrum vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea iniuste detinuerint, que predictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in fratres ipsos[i] contra apostolice sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti presumpserint promulgare, vel decimas laborum seu nutrimentorum ipsorum spretis apostolice sedis privilegiis extorquere, monitione premissa, si laici fuerint, publice candelis accensis excommunicationis sententia percellatis, si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis; neutram[k] relaxaturi sententiam,[l] donec predictis fratribus plenarie satisfaciant et tam laici quam clerici seculares, qui pro violenta manuum iniectione anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani[m] episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. De monachis vero et canonicis regularibus id servetur, ut si eiusdem claustri fratres manus in se iniecerint violentas, per abbatem proprium, si vero unius claustri frater in fratrem alterius claustri huiusmodi presumpserit violentiam exercere, per iniuriam passi et inferentis abbates absolutionis beneficium assequantur, etiamsi eorum aliqui, priusquam habitum receperint[n] regularem, tale aliquid commiserint, propter quod ipso facto excommunicationis sententiam incurrissent; nisi[o] excessus eorum esset difficilis et enormis, utpote si esset ad mutilationem membri vel sanguinis effusionem procesum, aut violenta manus in episcopum aut abbatem iniecta, cum excessus tales vel similes sine scandalo nequeant preteriri. Si vero in clericos seculares manus iniecerint, pro vitando scandalo mittantur ad sedem apostolicam absolvendi. Villas autem, in quibus bona predictorum fratrum vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quam diu ibi sunt, interdicti sententie supponatis. Datum Laterani III nonas aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

66.

Innocentius III papa abbatibus de Hradiště et Velehrad mandat, ut inquirant de sede episcopali Olomucensi ab ecclesia sancti Venceslai ad priorem ecclesiam cathedralem sancti Petri referenda. *Romae 1207 apr. 5.*

65. *f)* ‚Ossek' *B, C; correxi ad fidem autographi num. 69.* — *g)* ‚quotidiano' *B, C.* — *h)* ‚nostro' *B, C.* — *i)* ‚ipsos fratres' *B, C.* — *k)* ‚neutrum' *B, C.* — *l)* ‚sententiam' *deest B, C.* — *m)* ‚diaecesani' *B, C.* — *n)* ‚reciperent' *B, C.* — *o)* ‚si' *B, C.*

Apographum saec. XIV exstat in Libro privilegiorum eccl. Olomucensis, quod in tabulario capituli metropol. Olomucensis asservatur E I 27, pars II chart. pag. 158–159 (B). — Alterum apographum servavit Copiarium saec. XIV in tabulario archiepiscopali Cromesirensi fol. K II^v, num. 74 (C).

Wekebrod, Mährens Kirchengesch. I, pag. 157 (perperam ad ann. 1140, ex autogr., ut affirmat, tabularii monii. Gradicensis; qui alterum autographum in eccl. Olomucensis tabulario tunc servatum fuisse ibidem dicit). — Lechner in Zeitschr. d. Ver. f. Gesch. Mährens u. Schles. IV, pag. 132 (ex C, perperam ad ann. 1253), cuius lectiones corrigit Snopek in Časopis Matice Moravské XXV, pag. 52, num. 1 = Bretholz, Cod. dipl. Mor. XV, pag. 1, num. 1.

Innocencius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis ..[1] de Gradis[a] et ..[2] de Welegrad[b] abbatibus, Olomucensis diocesis,[c] salutem et apostolicam benedictionem. Insinuante venerabili fratre nostro ..[3] Olomucensi episcopo, nostris est auribus intimatum, quod, cum olim ecclesia beati Petri Olomucensis[d] extiterit cathedralis,[e] ..[4] bone memorie predecessor ipsius episcopalem sedem in quendam monticulum situm infra menia civitatis propter corruptum aerem transmutavit, ubi ecclesiam in honore sancti Wencezlai[f] studuit dedicare.[5] Procedente vero tempore princeps terre municionem quandam in monticulo ipso construxit et eandem ecclesiam muri ambitu circumclusit. Unde cum, ipsius canonicis non valentibus introire libere ad eandem, ecclesia memorata debitis officiis defraudetur, idem episcopus nobis humiliter supplicavit, ut de nostra connivencia sibi liceat episcopalem cathedram[g] ad ecclesiam referre priorem. Quocirca discrecioni[h] vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus inquisita super hiis diligencius et cognita veritate, statuatis inde, quod utile fuerit et honestum. Datum Laterani, nonis aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

67.

Innocentius III papa fratribus hospitalis sanctae Mariae Theutonicorum in Bohemia confirmat villas quasdam ab Otakaro, rege Bohemiae, et Vladislavo, marchione Moraviae, donatas, quarum nomina adferuntur.

Laterani 1207 apr. 11.

Autographum in membrana scriptum in tabulario regio Dresdensi asservatur (A).

Emler, Reg. Boh. IV, pag. 710, num. 1773 (reg.).

In membranae replicatae margine dextro eodem atramento eadem manus, quae autographum scripsit, notam ‚Pe' *[i. e.* Petrus*] posuit. In autographi tergo in medio margine superiore alio atramento pallido signum delineatum est huius formae:* ⊕.

66. *a)* ‚Gradiz' *C.* — *b)* ‚Weligradis' *B.* — *c)* ‚dyoc.' *B, C.* — *d)* ‚Olomucz' *C.* — *e)* ‚kathedralis' *C.* — *f)* ‚Wenceslai' *B.* — *g)* ‚kathedram' *C.* — *h)* ‚discreconi' *C.*

1) *Hermanno.* — 2) *Ticelino.* — 3) *Roberto.* — 4) *Henricus Zdik.* — 5) *Cf. Cod. dipl. Boh. I, num. 114 et 115.*

‖ Innocentius ‖ episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis fratribus hospitalis sancte Marie in Boemia ‖ salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petentium pre‖cibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis ‖ postulationibus inclinati, villas, que dicuntur Lupatin, Boseumenza, Repin, Luben et Borotizii cum aliis villis pertinentibus ad easdem, quas karissimus in Christo filius noster .. rex Boemorum illustris et dilectus filius nobilis vir .. marchio Morauiensis, frater eius, hospitali vestro dederunt intuitu pietatis, sicut eas iuste ac pacifice possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani III idus aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

Autographo appendet e filis sericis flavei et rubri coloris bulla plumbea Innocentii III eadem atque in num. 40.

68.

Theodericus, marchio Misnensis, et Matheus, abbas in Cella sanctae Mariae (Altzelle), attestantur matronam quandam, Čáslavam (‚Zazlauam') nomine, septem fere mansos de praedio monasterii Altzelle, quod Raube appellatur, ad tempus vitae suae emisse. — Inter testes: ‚Wrislavs filius regis Boemię.'

Oschatz 1207 apr. 12.

Posse, Cod. dipl. Saxoniae regiae, I Hauptth., tom. III, pag. 87, num. 107 (ex autographo Dresdensi).

69.

Innocentius III papa Danieli II Pragensi et Roberto Olomucensi episcopis atque praeposito Litoměřicensi controversiam, quae inter monasterium in Osek et Milhostum nobilem est de possessionibus ab ipso Milhosto quondam donatis, postea vero ablatis, decernendam committit.

Viterbii 1207 iul. 11.

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii in Osek asservatur (A).

Schoettgen, Analecta monasterii Ossecensis pag. 9 (perperam V. idus iunii) = Schoettgen & Kreysig, Diplomataria et script. hist. Germ. II, pag. 59 = Dobner, Annales Hagec. VI, pag. 614 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 41, num. 34, = Erben, Reg. I, pag. 229, num. 503 (fragm.) = Frind, Kirchengesch. Böhmens I, pag. 411, num. 10. — Scheinpflug, Die Urkk. im Klosterarch. zu Ossegg, in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutsch. in Böhmen VII (1869) pag. 189, num. 3 (reg.) — Potthast, Reg. pont. num. 3118 (omnes perperam ad iun. 9).

In membranae replicatae parte priore a filo, quo bulla appensa est, ad dextram eodem atramento atque autographum nota scriptoris scripta est: ‚J'. *In autographi tergo alio atramento crocei fere coloris littera maiuscula* ‚F' *delineata est.*

Innocentius episcopus, servus servorum dei, venerabilibus fratribus ..[1] Pragensi et ..[2] Olomucensi episcopis et dilecto filio .. ‖ preposito de Luthmeriç, Pragensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Suam ad nos dilecti filii ..[3] abbas et conventus ‖ de Ozzech, Cisterciensis ordinis, querimoniam destinarunt, quod cum nobilis vir M.,[4] Pragensis diocesis, quasdam pos‖sessiones eis liberaliter duxerit concedendas,[5] in quibus idem abbas et monachi monasterium postmodum construxerunt: quia propter latronum instantiam et incommoditates alias compulsi sunt ad locum alium se transferre, eos idem[a] miles bonis omnibus, que ipsis contulerat, spoliavit, fratres suos exinde violenter expellens. Propter quod bone memorie ..[6] ipsius monasterii abbas timore perterritus, sine sui capituli conniventia, super bonis ipsis cum milite composuit memorato in eiusdem monasterii preiudicium et gravamen. Quia vero nobis non constitit de premissis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione postposita, decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari.[7] Nullis litteris veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Viterbii V idus iulii, pontificatus nostri anno decimo.

Autographo appendet e filo cannabino bulla plumbea Innocentii III eadem atque in num. 40.

70.

Innocentius III papa abbati de Gerstyn, magistro Henrico de Witin et Tutoni de Heiburch plebanis, Pataviensis diocesis, mandat, ut causam quandam Medlicensis abbatis, in qua [R o b e r t u s] e p i s c o p u s O l o m u c e n s i s et [Wernherus] abbas de Sancta Cruce atque decanus de Sancta Agatha, Pataviensis diocesis, sententiam minus aequam protulerint, de novo inquirant et decidant.

Viterbii 1207 aug. 21.

Huber, Austria ex archivis Mellic. pag. 12 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 48, num. 40 (perperam ad a 1208) = Migne, Patrolog. lat. t. 217, col. 178 — Potthast, Reg. pontif. num. 3162.

71.

Philippus, Romanorum rex, Ottonem ducem Meraniae castrum Windberg et „comitatum quendam, qui durat a ponte, qui Regenbrugge dicitur, usque ad

---

69. *a)* ,"idē "eos' *A; (pronomen* ,eos' *primo omissum, deinde in loco raso, ubi antea* ,m' *erat, eadem manu additum et rectus verborum ordo signis superscriptis restitutus est).*

1) *Danieli II.* — 2) *Roberto.* — 3) *Hermannus?* — 4) *Milhost.* — 5) *Vid. Cod. dipl. Boh. I, pag. 320, num. 355.* — 6) *Ruthardus (?)* — 7) *Quo modo lis diiudicata fuerit, ignoramus; sed monasterium in Osek postea possessionem villarum, quae Milhost nobilis ad monasterium in Maštov fundandum donaverat, ne aliqua ex parte quidem recuperavit.*

fluvium, qui Ildse nuncupatur, et a fluvio Danubii usque ad terminum Boemie, quem memoratus dux potestate et iure tenebat imperii,“ Manegoldo episcopo Pataviensi pro feudo quodam ecclesiae Pataviensis et pro mille octingentis marcis condonasse, diplomate suo attestatur. — 1207 nov. 2.

Monum. Boica XXIX, pars I, pag. 539, num. 591 (ex autographo tabularii regni Bavariae Monachi) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 231, num. 508 (reg.) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 168.

72.

Philippus, rex Romanorum, monasterio Tennenbach (in Breisgau) possessionem curiae in Vorstetten confirmat. — Inter testes: ‚Otachir rex Boemie.‘

Augustae 1207 dec. 6.

Marian, Austria sacra I, 2, pag. 295, cuius lectiones ad fidem autogr. tabularii in Karlsruhe corrigit Mone in Zeitschr. f. d. Gesch. d. Oberrheins XI (1860), pag. 21 — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 45, num. 38 (reg.) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 232, num. 509 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 169.

Augustae tunc temporis curiam celebrem habitam esse Ann. Col. max. in Mon. Germ. SS. XVII, pag. 822 referunt. Ad hoc tempus etiam ea referenda esse videntur, de quibus Ann. Prag. ad a. 1207 commemorant: ‚Eodem anno Gunegundis, filia regis Philippi, data est in matrimonium Wenceslao, filio regis Prziemysl‘ *(Font. rer. Boh. II, pag. 283); cf. Winkelmann, Philipp v. Schwaben I, pag. 436, not. 1.*

73.

Philippus, rex Romanorum, capituli Salisburgensis possessiones protegendas suscipit et confirmat, petente Alberto praeposito. — Inter testes: ‚Odacrius Boemorum rex, Heinricus frater eius marchio Morauię.‘

Apud Augustam 1207 dec. 10.

Chmel in Sitzungsber. d. Akad Wien, t. XXVII, pag. 55, not. 2 (ex autogr. tabularii c. r. aulici Vindob.) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 171.

74.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Plasy donat terram in villa Jinonice cum monte adiacente, qui vocatur Vidovle.

Pragae 1207 —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A) — Apographum saec. XVIII exstat in cod. ms. tabularii Musaei regni Boh., qui ‚Lapis sepulchralis fundatoris monii. . . . de Plassio‘ inscribitur, pag. 66—67.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 44, num. 36 (extr.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 230, num. 505 (extr.) — Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutsch. in Böhmen XII, pag. 65, num. 19 (reg.).

Autographum manu scribae, quem ,Otakarus 3' vocamus, exaratum atque ab ipso verbis contextum est; cf. prooemium ad num. 27.

+ ‖ In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Primiszle, dei gratia rex Boemorum,[a] ‖ ‖ universis Christi fidelibus tam futuri quam moderni temporis. Equitatis ratio deposcit, ut nos, qui[b] deo largiente prin‖cipatum inter homines adepti sumus, ęcclesiis eius de donis, quę nobis large contulit, aliqua reddamus et ab aliis collata ‖ nostrę circumspectionis vigilantia custodiamus, nostre protectionis clipeo defensemus. Ille siquidem principatus habenas recte moderatur, qui laudabiliter ab aliis gesta inconvulsa conservare vel imitari non pigritatur. Proinde notum esse volumus tam posteris quam presentibus, quod ego P., rex Boemię, pro remedio animę meę, coniugis et parentum[c] meorum contuli ęcclesię beatę Marię de Plaz terram ad aratrum in villa Ninoniz cum monte adiacente, qui dicitur Widovle. Ut autem hoc posterorum memorię tenacius imprimatur, placuit factum scripto commedari et impressione sigilli nostri roborari, eorum etiam, qui affuerunt, seriatim nomina subnotari. Hec sunt nomina testium[d]: Daniel Pragensis ępiscopus, Robertus Olomucensis ępiscopus, Andreas prepositus Pragensis, Petrus prepositus de Stragov, comes Cirnin, Budiwoi iudex, Dewis dapifer, Boguta pincerna cum filiis suis Heinrico, Petro et Boguta, Woizlaus dapifer regine, Jaros celerarius, Cubes celerarius Wissegradensis, Pribizlaus miles, Methes villicus Bogutę, Driloth monetarius, Petrus, Hermannus, Bernardus, Syreth, mercatores. Acta sunt anno dominicę incarnationis MCCVII.

Data Prage per manum domini Rabodonis cancellarii.

Autographo appendet e filis sericis albis et viridis sigillum regis de cera naturali confectum idem atque in diplomate num. 57.

75.

(I) *Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Slavkoni comiti villam Týnčany, quae ad ius reginae pertinet, donat, petente Constantia regina.*

— 1205 [ante sept. 8].

(II) *Gerlacus, abbas de Milevsko, villam monasterii sui Černochov et possessiones quasdam in Třiskolupy et Kralupy cum Slavkonis comitis villa Týnčany commutat, Přemyslo rege praesente et consentiente.* *— 1207 —.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario Trebonensi asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 44, num. 37 (excerptum partis II). — Erben, Reg. Boh. I, pag. 224, num. 492 (I) et pag. 231, num. 507 (II).

Autographum scriba, quem ,Otakarus 6' vocamus, scripsit; cuius manus iam in nullo alio eiusdem regis diplomate autographo reperitur.

---

74. *a) reliquum lineae spatium 39 mm continens vacuum relictum est. — b)* ,qui' *eodem atramento superscriptum A. — c)* ,en' *ex* ,tu' *eodem atramento statim corr. A. — d) post hanc vocem in fine lineae sequitur spatium 24 mm longum vacuum relictum, A.*

(I.) In nomine sancte et individue trinitatis. Premizel, divina favente clementia rex Boęmorum. Noverint omnes fideles nostri, presentes scilicet et futuri, quod nos ob interventum dilectissime nostrę Con||stantię reginę fideli nostro Zlauconi quandam villam ad ius reginę pertinentem, Tynsan nominatam, cum omnibus appendiciis suis in reconpensationem fidelis servicii sui imperpetue[a] usum proprietatis donavimus[b]|| eo tęnorę, ut libero ipse Zlauwek fruatur arbitrio, hec tenendi, commutandi, dandi, posteris relinquendi seu quicquid sibi libuerit inde faciendi. Et ut hec nostra regalis donatio firma et inconvulsa per||maneat, hanc cartam inde conscribi et sigillis tam nostro quam reginę iussimus roborari. Actum hoc anno ab incarnatione domini MCCV, indictione VIII, anno ducatus domini Premizlonis VIII, regni vero VII. Postulatores et proximi testes huius rei post reginam fuerunt: Tsyrnin camerarius, Zmil de Tuhan et Mylhost. Sane Nedamyr ex precepto regis primo obequitavit et in silvis et agris terminos posuit. Dywis vero dapifer torrentem et rivos obequitavit, Witcone iuniore et tocius vicinatus nobilibus presentibus et pariter obequitantibus. Deinde cum rex autumpnali tempore ex venatione in Tynsan pranderet, et Heinricus Witcowitz pro ipsa villa regem interpellaret, prefatus Zmyl de Tuhan regem monuit et rogavit, ut manifeste diceret, utrum Zlauconi vel Heinrico ipsam villam dedisset. Sicque ad professionem regis abiudicato et remoto Heinrico, denuo obequitatum est Zlauconi, et ex ęodęm loco mittente et precipiente regę obęquitavit Budwoy iudex curię et cum eo Jan Dirnozci,[c] Jurik de Marsowitz, Dubazk Mztetitz, Zvdizlav de Cralewitz, Hyrdon Jancowitz, Zvda de Cralewitz et cum eis omnis vicinatus. Tercio equitavit Tsyrnin camerarius et Dyrzizlaus frater eius, Pribizlaus de Malcowitz, Jan de Ztozitz,[d] Herman Jacobitz, Mylozlav, et omnis vicinatus. (II.) Cum milicia hominis brevitate temporis coartetur,[e] ne bone fidei contractus processu temporis humanam memoriam excedentes in dubium aut in irritum revocentur, nonnumquam roborati littęrarum testimonio perpetuantur; vivit enim littera et per eam vivunt diutius actiones. Notum ergo sit tam presentibus quam posteris, quod ego Gerlacus, abbas de Myleuzk, et ego Zlauko comes prospicientes utilitatibus et commodis utriusque partis, commutationem quarumdam villarum voluntarię cęlębravimus coram rege Premizlone presente et consentiente, et coram multis testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis, inferius denotatis. Sunt autem hec villarum nomina: Tsyrnochow et in duabus villis, videlicet Trezcolup et Cralup, quecumque Georgius fundator noster habuit, hec ego Gerlacus abbas dedi Zlauconi comiti pro Tynsan et appendiciis suis, addens insuper sibi XL marcas puri argenti; fecimusque concambium hoc ex mutuo beneplacito sub tali pacto, ut pars parti, alter alteri emendet, quicquid unquam alterutrum questionis emerserit. Quod rationabiliter ut videtur factum, ne cui forsitan futuris temporibus

75. *a) ita A. — b) in fine lineae eadem manus litteris minoribus addidit; litterae* ‚navimus‘ *superscriptae sunt, A. — c) ita A pro* ‚Dirnozic‘ *(i. e. Drnošic). — d) genuine* ‚Ztoztitz‘, *sed radendo corr. A. — e) litterae* ‚oar‘ *iam paene evanuerunt A.*

veniat in dubium aut in scrupulum, presentem paginam inde conscribi fecimus et sigillis tam regis et reginę quam et nostris eam roboravimus. Actum anno dominicę incarnationis MCCVII, indictione X. Testes, qui huic contractui interfuerunt, sunt isti: dominus Daniel episcopus Pragensis, dominus Rv̊pertus Olomucensis, dominus Andreas prepositus Pragensis, et omnes fere canonici Pragenses, omnes fere abbates Boęmię presentes erant, coram primatibus terre, qui hoc factum laudaverunt et sua acclamationę corroboraverunt.

Autographo appendent e filis sericis albis et rubris duo sigilla de cera naturali confecta: 1) Sigillum regis fere integrum eadem forma expressum atque illud, quod diplomati num. 57 appensum est. 2) Sigillum reginae, cuius pars defracta desideratur, quod ad eandem formam revocandum est atque sigillum diplomati num. 21 appensum. Circumscriptionis pars quae superest litteras aliquot praebet, quae in sigillo diplomatis num. 21 perierunt: .....L CONSTANCIЄ DЄ.........IA BOЄMORVM ..Є...

76.

Innocentius III papa monasterium in Velehrad, Cisterciensis ordinis, protegendum suscipit, omnes possessiones ac bona eius confirmat eique iura et libertates plurimas concedit. *Laterani 1208 apr. 30.*

Apographum saec. XV praebet Codex privileg. monii. Velehradensis, qui in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur, fol. 93r—94v (B). — Aliud apogr. saec. XVIII exstat in codice ms. eiusdem tabularii, coll. Cerroni II num. 120, fol. 1r—3v (C).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 45, num. 39 (ex B) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 233, num. 511 (reg.), = Migne, Patrolog. lat., tom. 217, pag. 173, num. 124 — Potthast, Reg., pontif. num. 3388.

In privilegio conscribendo eadem forma adhibita est atque in privilegio, quod a. 1210 ian. 31 monasterio sanctae Crucis concessum est (Potth. num. 3899). Cuius quidem formae vetustissimum exemplum (quod paucis tantum verbis discrepat cum privilegio nostro) praebet Coelestini III privilegium a. 1193 iun. 10 monio. in Heisterbach datum (Jaffé, Reg. pont.2, num. 17014). Quae forma post concilium generale, a. 1215 habitum, paulum mutata in Libro provinciali cancellariae apostolicae descripta est; v. Tangl, Die päpstl. Kanzleiordnungen, pag. 229.

§ Innocentius[a] episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis ..[1] abbati monasterii Welligradi[b] eiusque fratribus tam presentibus[c] quam futuris regularem vitam professis in[d] perpetuum. § Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis[e] incursus aut eos a proposito revocet aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter,[f] dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et monasterium Wellicardi, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione

76. a) ‚Innocencius' *et similiter etiam infra* ‚c' *pro* ‚t' *B.* — b) ‚monasterii' *deest B, C;* ‚Welgdi' *B.* — c) ‚praesentibus' *et ita infra semper* ‚ae' *pro* ‚e' *simplici C.* — d) ‚inperpetuum' *B.* — e) ‚temeritate' *C.* — f) ‚Quapropter' *C.*

1) *Ticelino.*

suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis[g]: Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, grangias cum omnibus[h] pertinentiis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, tam de terris cultis quam incultis, sive de ortis et virgultis et piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine[i] abbatis sui licentia de eodem loco discedere; discedentem vero absque[k] communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere; quod si quis forte[l] retinere presumpserit, licitum vobis sit in ipsos monachos vel conversos regularem sententiam promulgare. Illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum[m] liceat alicui personaliter dari[n] seu alio modo alienari[o] absque consensu totius capituli vel maioris aut sanioris partis ipsius. Si que vero donationes vel alienationes aliter, quam dictum est, facte fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hec etiam prohibemus, ne aliquis monachus sive conversus sub professione vestre domus astrictus sine consensu et licentia abbatis et maioris partis capituli vestri[p] pro aliquo fideiubeat vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra pretium capituli vestri providentia constitutum,[q] nisi propter manifestam domus vestre utilitatem. Quod si facere presumpserit, non teneatur conventus pro hiis[r] aliquatenus respondere. Licitum preterea sit vobis in causis propriis, sive civilem, sive criminalem contineant questionem, fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium ius vestrum[s] in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus[t] episcopus vel quelibet alia[u] persona ad sinodos vel conventus forenses vos ire, vel iudicio seculari de propria substantia vel possessionibus vestris subiacere compellat, nec[v] ad domos[x] vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi vel

76. *g)* ‚vocab. exprim.' *B, C.* — *h)* ‚omnibus' *omittit B.* — *i)* ‚absque' *hoc loco legitur in Potthast n⁰ 3899 aliisque.* — *k)* ‚absque' *omittit B.* — *l)* ‚forte' *deest in B, C; addidi ex Po. 3899 al.* — *m)* ‚colatum' *B.* — *n)* ‚dare' *B, C.* — *o)* ‚alienare' *B, C.* — *p)* ‚vestri capituli' *B, C.* — *q)* ‚constitutus' *B.* — *r)* ‚his' *C.* — *s)* ‚nostrum' *B.* — *t)* ‚nullus' *B.* — *u)* ‚aliqua quelibet' *B.* — *v)* ‚ne' *B.* — *x)* ‚domus' *C.*

conventus aliquos publicos convocandi venire presumat, nec regularem abbatis vestri electionem impediat aut de instituendo vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Si vero episcopus, in cuius parochia domus vestra[y] fundata est, cum humilitate ac devotione, qua convenit, requisitus, substitutum abbatem benedicere et alia, que ad officium episcopale pertinent, vobis conferre renuerit: licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novitios benedicere et alia, que ad officium suum pertinent, exercere, et vobis omnia ab alio episcopo percipere, que a vestro[z] fuerint indebite denegata. Illud adicientes,[aa] ut in recipiendis professionibus, que a benedictis vel a[bb] benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint episcopi forma et expressione contenti, que ab origine ordinis noscitur instituta, ut scilicet abbates ipsi salvo ordine suo profiteri debeant et contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto vel quolibet alio ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio quolibet modo quicquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis episcopus diocesanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem gratiam et communionem apostolice sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat. Quod si sedes diocesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis; sic tamen, ut ex hoc imposterum[cc] propriis episcopis nullum preiudicium generetur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum Romane sedis, ut diximus, communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium, ordinationes monachorum auctoritate apostolice sedis recipere valeatis. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros pro eo, quod decimas non solvitis, sive aliqua occasione[dd] eorum, que ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo, quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate[ee] prestiterint vel ad laborandum adiuverint in illis diebus, in quibus vos laboratis et alii feriantur, eandem sententiam protulerint: ipsam tamquam[ff] contra sedis apostolice indulta prolatam duximus irritandam; nec littere ulle firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra tenorem apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Preterea cum commune interdictum terre fuerit, liceat vobis nichilominus[gg] in vestro monasterio, exclusis excommunicatis et interdictis, divina officia celebrare. Paci quoque ac tranquillitati vestre paterna imposterum[cc] solli-

76. *y)* ,nostra' *B.* — *z)* ,nostro' *B.* — *aa)* ,addicientes' *B.* — *bb)* ,a' *deest C.* — *cc)* ,in posterum' *B.* — *dd)* ,occasione' *deest B et C: supplevi secundum formam.* — *ee)* ,charitate' *C.* — *ff)* ,tanquam' *C.* — *gg)* ,nihilominus' *C.*

citudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas nec non et libertates[hh] et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre[ii] vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre[kk] constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatinus[ll] et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. § Amen.[mm] Amen. Amen §.

(R[nn]) Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss. (B. V.[oo])

✝ Ego Petrus Portuensis et sancte Rufine episcopus ss.
✝ Ego Johannes Albanensis episcopus ss.
✝ Ego Johannes Sabinensis episcopus ss.
✝ Ego Nicholaus Tusculanus[pp] episcopus ss.
✝ Ego Hugo Hostiensis et Velletrensis episcopus ss.

✝ Ego Cinthius[qq] tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis ss.
✝ Ego Soffredus tituli sancte Praxedis presbyter cardinalis ss.
✝ Ego Cencius[rr] sanctorum Johannis et Pauli presb. card. tituli Pammachii[ss] ss.
✝ Ego Benedictus tituli sancte Susanne presbyter cardinalis ss.
✝ Ego Petrus sancte Pudentiane tituli Pastoris presbyter cardinalis ss.

✝ Ego Gregorius sancti Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis ss.
✝ Ego Guido sancti Nicholai[tt] in carcere Tulliano diaconus cardinalis ss.
✝ Ego Johannes sancte Marie in via lata diaconus cardinalis ss.

---

76. hh) ‚et libertates' *desunt B, C; supplevi secundum formam.* — ii) ‚aufferre' *B, C.* — kk) ‚vestrae' *C.* — ll) ‚quatenus' *C.* — mm) *Quae subsequuntur usque* ‚Datum' *desunt B.* — nn) *In rotae medio legitur:* ‚Scs. Petrus ‖ Scs. Paulus. ‖ Innocentius papa III' *Circumscriptio autem hanc papae sententiam praebet:* ‚Fac mecum, Domine, signum in bonum' *(Psalm. 85, 17).* — oo) *Monogramma deest B, C.* — pp) ‚Tusculañ' *C* — qq), Curth' *C.* — rr) ‚Cencj' *C.* — ss) ‚Pamachii' *C* — tt) ‚Quid s. Nycholai *C.*

✝ Ego Guala sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis ss.
✝ Ego Octavianus sanctorum Sergii et Bacchi[uu] diaconus cardinalis ss.
✝ Ego Johannes sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis ss.

Datum Laterani per manum Johannis, sancte Marie in Cosmidin diaconi[vv] cardinalis, sancte Romane ecclesie cancellarii, II kalendas maii, indictione XI, incarnationis dominice anno MCCVIII,[xx] pontificatus vero domni[yy] Innocentii pape III[zz] anno undecimo.

77.

Innocentius III papa Otakarum I, regem Bohemiae, monet, ut cum iam necessitas, quae eum ab Ottonis, regis Romanorum, obsequio abduxerit, divino iudicio sit sublata, eidem regi in posterum patenter et potenter adhaereat.
[Sorae 1208 iul. ex. — aug. in.]

Apographum exstat in Innocentii III registro super negot. imp., quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. vol. VI) asservatur, fol. 38r ep. 157 [in edit. 156] (R).

Baluzius, Epist. Innoc. III, t. I, pag. 753 = Migne, Patrolog. lat., t. 218, col. 1149, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 233, num. 512 — Palacký, Ital. Reise, pag. 20, num. 43 (reg.) — Potthast, Reg. 3478. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6024.

Epistula nota temporis omnino caret, sed vel mense iulio exeunte vel augusto ineunte scriptam esse ex loco, quem in registro habeat, cognosci potest; proxima enim epistula, quae nota temporis non caret, illa est quam papa Ottoni regi misit augusti die 20 (Potth 3490). — Cf. etiam Winkelmann, Phil. v. Schw. u. Otto IV v. Braunschw. II, pag. 77, not. 3.

Illustri regi Boemie.[a] Sicut nuntiis et litteris tuis nobis multotiens intimasti, ab obsequio karissimi in Christo filii nostri regis Ottonis illustris non voluntas, sed necessitas te subduxit, integram ei fidem servans in pectore, quam non poteras in opere demonstrare. Cum ergo iam ipsa necessitas, divino iudicio sit sublata,[1] excusationem honestam pretendere non valeres, si ei de cetero non impenderes auxilium et favorem. Tu ergo, fili karissime, divine dispositioni consentiens, que causam ipsius regis evidenti iudicio approbavit, nostrum in hac parte iudicium approbando,[b] patenter et potenter eidem adhereas, fidem ei prestitam conservans illesam, ut per hoc divinam et apostolicam gratiam uberius merearis. Alioquin preter divinam offensam apostolicam quoque censuram incurreres, cum eidem regi nolimus in suo iure deesse, qui sumus omnibus in sua iustitia debitores.[c]

76. *uu)* ,bachi' *C.* — *vv)* ,diacon9' *B.* — *xx)* ,millesimo ducentesimo VIII' *C.* — *yy)* ,domini' *B, C.* — *zz)* ,tercii' *B.*

77. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.* — *b)* ,approbante' *R.* — *c) Post epistulam in R haec leguntur:* ,In eundem modum nobili viro langravio Thuringie. In eundem modum .. duci Brabantie, principio sic mutato: Certa multorum relatione didicimus, quod ab obsequio et cetera. In eundem modum aliis principibus, qui prefato regi adheserunt.'

1) *Philippo rege, die 21 iunii 1208 occiso*

78.

Robertus, episcopus Olomucensis, duas villas episcopatus sui cum duobus villis nobilis viri Orphani, filii Gothardi, commutat, Otakaro rege et Vladislavo marchione id concedentibus; idemque ecclesiam in Doubravnik in sanctae Crucis festo visitantibus indulgentiam dat. *Olomucii 1208 sept. 25.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario civitatis Brunnensis asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 49, num. 41 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 233, num. 513 (frgm.)

Autographum manu scribae, quem nota ‚Robertus 1' signavimus, scriptum est.

⁝ In nomine sancte et individue trinitatis. ⁝ R., dei gracia sancte Olomucensis ecclesie episcopus, omnibus qui sunt et erunt, ‖ in perpetuum. Universitatis negocia litteris mandata ex earum memoria trahunt firmitatem. Innotes‖cat igitur presentibus ac futuris, quod ego ⁝ Rubertus, ⁝ episcopus Olomucensis, cum[a] assensu[b] regis Bohemorum ⁝ Ottocari ⁝ et fra‖tris eius marchionis Morauorum ⁝ Wladizlai ⁝ in presencia quam plurium[c] nobilium utriusque terre, aprobante[d] domino decano W.[1] et unniverso[e] conventu eiusdem ecclesie cambivi ⁝ Orphano ⁝ vro[f] nobili, filio ⁝ Gothardi, ⁝ duas villas episcopatus mei, Dubraunic scilicet et Dragnik, et terram unius aratri in Dreuniche, pro duabus villis ipsius, Turane videlicet et Petrouich, que episcopatui meo proximiores erant. Verum ne super hac re successoribus meis[g] vel quibuslibet aliis litis relinquatur occasio, presentem paginam nominibus testium, qui huic commutationi interfuerunt, et sigillorum caractere, mei videlicet et ecclesie, perpetualiter confirmamus, relinquentes in mandatis, quod si quis hoc factum[h] infregerit, anathema sit. Testium autem nomina sunt hec: Waltherus[i] Olomucensis ecclesie decanus, Stephanus Olomucensis prepositus, Wtesen canonicus, Wratko canonicus, Esau canonicus et archipresbyter Prerouiensis provincie, Ysaac canonicus, Cusdrah canonicus, Andreas canonicus, Pretrus[k] canonicus, Radozlaus canonicus et archidiaconus provincie Olomucensis, Jacobus canonicus et magister, Sistridus[l] canonicus, Boguzlaus canonicus, Theodericus canonicus, Moyses canonicus et archipresbyter Brachizlauensis provincie, Sidebor canonicus, abbas Gradicensis,[2] abbas Uelgradensis,[m][3] Sudcô prepositus, Johannes, Sidon, Sudo capellani marchionis, Godeg, Radozlaus, Johannes, Blasius, Dobrouest, Dedus, Drugos[n] et Adrastus presbyteri et vicarii Olomucensis ecclesie, Bauarus camerarius Olomucensis, Zauisse castellanus, Doben iudex, Bludo, Jacobus,

78. *a)* ‚cum̊' *A.* — *b) in loco raso ex* ‚affectu' *eadem manu corr. A.* — *c) genuine scriba* ‚plurium' *scripsit, sed postea* ‚m' *littera erasa, signum abbreviationis superscripsit A.* — *d) ita A.* — *e)* ‚unniůſo' *A.* — *f) ita A incuria scriptoris loco* ‚viro'. — *g) post hanc vocem in lineae fine litterae* ‚ſt' *erasae conspiciuntur A.* — *h)* ‚factm̊' *A.* — *i)* ‚Waltheru⁹' *A.* — *k) ita A.* — *l) ita A loco* ‚Siffridus' — *m)* ‚uelḡdi̊' *A.* — *n)* ‚dr̊goſ' *A.*

1) *Walthero.* — 2) *Hermannus.* — 3) *Ticelinus.*

Kohanus, Buz, Dubache, Zlauata, Paulus beneficiarii[o] Olomucensis castri, Radozlau villicus noster.[p] Ob memoriam huius facti statuimus, ut quicunque ad ecclesiam de Dubraunik in festivitate sancte Crucis advenerit, quam diu ipsa steterit, septem dierum iniuncte pene[q] remissione donetur. Hec autem acta sunt publice in capitulo Olomucensi, hiis et aliis quam plurimis testibus presentibus, verbi incarnati anno MCCVIII, indictione XI, epacta I, concurrente II, dominicali littera E, pontificatus nostri anno VII. Data per manus canonici nostri Ysaac VII kalendas octobris.

Autographo appendent e filis sericis purpurei coloris duo sigilla formae rotundae de cera naturali confecta. — In primo sigillo cuius diametros 71 mm sunt, figura episcopi in solio sedentis conspicitur, qui infula capiti imposita, manu dextra pedum gerit, sinistra vero librum tenet. Circumscriptio: ✠ RVBERTVS · DEI · GRA · HOLOOVNCENSIS · ECCLE EPC. — *In altero sigillo, cuius diametros etiam 71 mm sunt, figura episcopi cum infula conspicitur, qui genibus nixus pedum umero dextro impositum habet et utraque manu ecclesiae cum duabus turribus speciem tenet. In utraque figurae parte inscriptio est:* HEIDR–ICᵘˢ EPC. *Circumscriptio ab imagine orbiculo seclusa haec est:* ✠ ECCLESIA — OLOMVCENSIS.

79.

Sigifridus II, archiepiscopus Maguntinus, monasterio in Walkenried octo mansos apud Rotenburg sitos tradit per manus Ottonis IV, regis Romanorum. — Inter testes: ‚Writzelaus, filius illustris regis Othacari Boemorum.'

Maguntiae 1208 nov. 20.

Urkundenb. f. Niedersachsen II, Die Urkk. des Stiftes Walkenried Abth. I, pag. 57, num. 68 (ex autogr. tabularii in Wolfenbüttel). — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 245. — Cf. Winkelmann, Philipp v. Schw. u. Otto IV v. Braunschw., t. II, pag. 119.

80.

Innocentius III papa Ottoni IV regi in Romanorum imperatorem electo significat, se quosdam principes, inter quos etiam regem Bohemiae iterum per scripta exhortatum esse, ut rebus eius faveant, eumque monet, ita se in singulis gerat, ut negotium eius exitum bonum habeat. *Laterani 1208 dec. 4.*

Apographum exstat in Innocentii III reg. super neg. imperii, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. vol. VI) asservatur, fol. 40r, ep. 168 (R).

Baluzius, Epp. Innoc. III, t. I, col. 757 = Migne, Patrol. lat., t. 216, col. 1157, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 234, num. 514 — Palacký, Ital. Reise, pag. 20, num. 44 (reg.) — Potthast, Reg. num. 3542. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6043.

---

78. *o) ex* ‚beneficiarius' *eodem atramento statim inter scribendum corr.* (bnficiarii) *A.* — *p)* ‚mr' *scribae incuria habet A.* — *q)* ‚pene' *A.*

Illustri regi Ottoni in imperatorem Romanorum electo.[a] Licet per dilectum filium magistrum Henricum, sancti Gereonis[1] scolasticum, generales ad omnes principes et speciales ad multos iam dudum litteras direxerimus, quales tue promotioni novimus expedire, quia tamen postmodum quam plures eorum nos consulere curaverunt, cui mallemus eos super imperio adherere, quosdam per iterata scripta fuimus exhortati, videlicet . .[2] Aquilegensem patriarcham, . .[3] Magdeburgensem archiepiscopum, Adolfum quondam Coloniensem, . .[4] Spirensem episcopum, . .[5] regem Boemie, . .[6] Austrie ac . .[7] Zaringie duces et quosdam alios, ut tibi potenter faveant et patenter,[8] in hiis et aliis satagentes honorem tuum indefessa sollicitudine promovere. Quocirca serenitatem regiam monemus attentius et hortamur, quatinus prima, media et novissima tua bona soli altissimo ascribendo, talem circa singula studeas te habere, quod honoris tui processus, qui operante divina gratia et nostra sollicitudine cooperante[b] prospere iam dirigitur, feliciter consumetur, de plenitudine gratie nostre securus, quod ad omnia, que tibi noverimus expedire, diligens studium impendemus et operam efficacem. Datum Laterani II nonas decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

81.

Innocentius III papa Sigifrido II Maguntino et Alberto Magdeburgensi archiepiscopis significat, quae de divortii sententia inter Otakarum, regem Bohemiae, et Adelam, sororem marchionis Misnensis, lata acta fuerint, eisque mandat, ut inquirant, utrum iudices, quibus legati sui causam hanc commiserint, merito ab ipso rege recusari possint. *Laterani 1208 dec. 11.*

Apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine V, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. t. VII A) asservatur, fol. 76 r, lib. XI, ep. 184 (R).

Baluzius, Epist. Innoc. III, t. II, pag. 232 = Migne, Patrolog. lat., t. 215, col. 1499, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 234, num. 515 — Posse, Cod. dipl. Saxon. regiae, I Hauptth., t. III, pag. 100, num. 127. — Potthast, Reg. 3561 — Mülverstedt, Reg arep. Magdeburg. II, pag. 131, num. 316 — Böhmer-Will, Reg. arep. Magunt. II, pag. 139, num. 101 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6050.

Maguntino[1] et Magdeburgensi[2] archiepiscopis.[a] Olim per litteras a venerabili fratre nostro . .[3] Auelbergensi episcopo et dilecto filio . . abbate

80. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R. — b) genuine* ‚cooperante sollicitudine‘ *sed transpositionis signo superscripto corr. R.*

1) *Coloniensis.* — 2) *Wolfgerum.* — 3) *Albertum.* — 4) *Conradum.* — 5) *Otakarum; v. supra num. 77.* — 6) *Leopoldum VI.* — 7) *Bertholdum.* — 8) *Litterae a. 1208 mense iul. exeunte vel augusto ineunte missae sunt; v. Potthast, Reg. num. 3477—3480.*

81. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.*

1) *Sigifrido II.* — 2) *Alberto.* — 3) *Sigebodone.*

in Sichem nobis destinatas accepimus, quod cum O., illustrem regem Boemie, super causa matrimonii, que vertitur inter ipsum et nobilem mulierem A.[4], sororem . .[5] marchionis Misnensis, auctoritate tam nostra quam legatorum nostrorum[6] peremptorie citavissent, parte mulieris ipsius in eorum presentia comparente, idem rex contumaciter se subtraxit. Cum autem ab eiusdem mulieris fuisset parte propositum, quod memoratus rex B. presbyterum, quem prefati iudices cum litteris citatoriis miserant ad eundem, temere capi fecerat et arcte custodie mancipari, ac iidem[b] iudices post peremptoriam diem biduo expectassent, si forsan aliquis pro prefato rege in eorum presentia compareret: quia demum iam die tertia probato per testes idoneos, quod pervenerant littere citationis ad ipsum, suam manifeste contumaciam cognoverunt, excommunicationis in eum sententiam protulere. Cum igitur dictus rex diceretur recusasse predictos iudices ut suspectos, venerabili fratri nostro . .[7] Hostiensi episcopo et dilecto filio L.[8], tituli sancte Crucis presbytero cardinali, quibus tunc fuerat pro causis imperii ac ecclesie ad partes illas officium legationis iniunctum, dedimus in mandatis, quatinus iuratoria cautione ab ipso rege recepta, quod iuri pareret, beneficium impenderent absolutionis eidem et inquirerent, si tamen possent ad hoc intendere, per se ipsos, vel facerent per aliquos idoneos viros inquiri, utrum predicti iudices ab ipso possent rationabiliter recusari; qui[c] si forent rationabiliter recusati, audirent causam vel facerent audiri, appellatione remota, ita quod cum esset usque ad sententiam in ipsa processum, nobis remitteretur instructa, prefixo partibus termino competente, quo se per procuratores idoneos nostro conspectui presentarent, iustam auctore deo sententiam recepture; alioquin partes ad priorum iudicum remitterentur examen. Verum quoniam ipsi legati propter miserabilem illum eventum, qui rerum statum inopinata morte principis[9] immutavit, de arrepto legationis itinere recedentes, hiis intendere nequiverunt, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus absoluto prefato rege secundum formam prescriptam, inquiratis sollicite per vos ipsos, utrum iudices antedicti possint ab eo rationabiliter recusari, et in ceteris mandatum apostolicum, quod predictis fuit legatis iniunctum, sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, exequi procuretis. Datum Laterani III idus decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

82.

Innocentius III papa Otakaro, regi Bohemiae, consilium a se petenti suadet, ut Ottonis IV regis rebus potenter et patenter faveat, praesertim cum eidem regi iureiurando sit astrictus. *Laterani 1208 dec. 12.*

81. *b)* ‚idem' *R.* — *c) ita* (q) *distincte R; Baluze et post eum alii* ‚quod' *legunt.*

4) *Adelam.* — 5) *Theodorici.* — 6) *Hugonis card. episcopi Ostiensis et Leonis tit. s. Crucis presb. cardinalis, quibus a. 1207 mense maio legationis officium commissum est; cf. infra num. 88.* — 7) *Hugoni.* — 8) *Leoni.* — 9) *Philippi regis, qui 1208 iun. 21 occisus est.*

Apographum exstat in Innocentii III ‚reg. super negot. imp.‘, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. vol. VI) asservatur, fol. 41r, ep. 177 [in edit. 176] (R).

Baluzius, Epp. Innoc. III, t. I, col. 758 = Migne, Patrolog. lat., t. 216, col. 1160, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 235, num. 516. — Palacký, Ital. Reise, pag. 20, num. 45 (reg.) — Potthast, Reg. num. 3562 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6051.

. . illustri regi Boemie.[a] Super eo, quod a nobis de negotio imperii per tuum nuntium et litteras requisisti, serenitati tue hoc duximus respondendum de corde puro, conscientia bona et fide non ficta consilium tibi dantes, quatinus cum karissimus in Christo filius noster[b] illustris rex Otto, in imperatorem Romanorum[c] electus, magnifice iam procedat, potenter ei faveas et patenter, quia procul dubio tibi magis credimus expedire, ut rei finem preveniens, non expectans, nunc, antequam invalescat ex toto, quasi ex discretionis proposito satagas id efficere, quam demum, cum invaluisset omnino, in necessitatis articulo forsan idem cogereris implere; presertim cum ad hoc ex iuramento sibi prestito tenearis. Credimus enim, quod erga te taliter se habebit, quod merito sibi poteris esse devotus, et nos, a quorum sanis consiliis deviaturus ipse non creditur, ad tui dilectionem eum efficaciter inducemus. Datum Laterani II idus decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

83.

Innocentius III papa monasterium in Zábrdovice tuendum suscipit eiusque bona confirmat. *Laterani 1209 apr. 3.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A). — Apographum saec. XVII exstat in Annal. mon. Zabrdovic. (cod. ms. tabularii terrae Brunnae num. 296) fol. 14v.

(Hugo) Sacri et canonici ord. Praemonstrat. annales II, probat. pag. 732. — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 52, num. 46 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 236, num. 518 (exc.), = Migne, Patrolog. lat., t. 217, col. 192, num. 137, — Potthast, Reg. num. 3697.

In membranae replicatae margine dextro eadem, ut videtur, manus adnotavit: ‚Guill(elmu)s‘, *in margine sinistro autem litterae* ‚p. f.‘ *alio atramento scriptae sunt. In autographi tergo in sinistro margine superiore littera* ‚f‘ *alio atramento scripta est; in tergi medio vero hoc signum conspicitur:* Ω.

⁑Innocentius⁑ episcopus servus servorum dei, dilectis filiis Arnuldo priori et fratribus de Za‖berduwiz, Premonstratensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et‖ honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad‖ debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus inclinati, ecclesiam vestram, in qua divino estis obsequio man-

82. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R. — b) genuine* ‚filius noster in Chr‘, *sed signis superscriptis correctum, R. — c)* ‚Romañ‘ *R.*

cipati, cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis, dante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, spe[c]ialiter autem Zyretitz, Çancowiz, Otradiz et Borcowaz villas et alia, que iuste ac pacifice possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis[a] infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani III nonas aprilis, pontificatus nostri anno duodecimo.

84.

Manegoldus, episcopus Pataviensis, commutationem praediorum inter Tiemonem, Pataviensem canonicum, et Rudigerum militem, cognomine Biber, eiusque uxorem factam confirmat. — Inter testes: ‚Witigo de Planchinberc.'

In villa Gramastetten 1209 iul. 6.

Monum. Boica XXIX, 2, pag. 280, num. 3 (e cod. VI tradit Patavien.) = Urkb. d. Landes ob d. Enns, II, pag. 524, num. 363.

85.

Daniel II, episcopus Pragensis, bona quaedam ecclesiae suae, quorum nomina adferuntur, fratribus monasterii in Plasy pro praediis, quae in Motoly et Račetice habebant, permutando dat. *— 1209 —.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A). — Apographum exstat in Benedicti Scheppl, Lapis sepulchralis fundatoris ... monii. de Plassio (ms. tabularii Musaei regni Boh.) pag. 188—189.

Erben, Reg. Boh. I, pag. 237, num. 520 (extr. ex A). — Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutsch in Böhmen XII, pag. 66, num. 22 (reg.)

Autographum manu scribae, quem nota ‚Daniel 1' (= ‚Otakarus 3') signavimus, scriptum et ab ipso etiam verbis contextum est; cf. prooemium diplomatis num. 27. — In temporis nota scribae incuria epactae, indictiones et concurrentes anni 1208 adferuntur.

+ ‖ In nomine sanctę et individuę trinitatis. ‖ Notum[a] sit universis tam presentibus quam etiam posteris nostris, quod ego dei ‖ gratia sancte Pragensis ęcclesię episcopus D.[1] cum consilio canonicorum meorum fratribus nostris deo famulantibus in Plaz hęc predia ecclesie nostrę pro ‖ suis in concambium contradidimus: hominem unum cum terra in villa, que dicitur Ninowiz, alterius hominis terram in Chossur pro ‖ predio eorum, quod habebant in villa, quę dicitur Mothol.

83. a) ‚nostre confirmationis et protectionis' *sed transpositionis signis superscriptis corr. A.*

85. a) *prima litterae* ‚N' *hasta ex littera* ‚e' *elevata radendo correcta est A.*

1) *Daniel II.*

Itemque aliud predium nostrum, quod habemus in villa, quę dicitur Scecowiz, dedimus eis pro hereditate, quam habebant in Rascediz. Et ut hoc concambium inviolabile in perpetuum perseveret, in testimonium confirmationis decem marcas addiderunt. Quicumque igitur clericorum seu laicorum hoc privilegium concambii infringere attemptaverit, auctoritate dei et omnium sanctorum anathema sit. Hęc sunt nomina testium: episcopus Daniel, Pribizlaus decanus, Andreas prepositus, Christophorus archidiaconus, Walcvnus, Viecemil, Mirozlaus, Vitko, Boguzlaus, Eppo, Burcardus, Benedictus, Johannes, magister Petrus, Clemens, Sdizlaus et omnes alii canonici. Isti sunt laici: Martinus pincerna cum tribus filiis suis, Erchembertus dapifer, Vtha, Juric, Reinardus cum filiis suis, Vlricus frater Johannis[b] et alii multi. Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis MCCVIIII, epacta I, indictione XI, concurrente II.

Autographo appendebant e scidulis membranae duo sigilla, quorum alterum iam deperditum est. Superest tantum sigillum primum (ecclesiae Pragensis), cuius pars defracta desideratur; quod quidem sigillum eadem forma expressum erat atque tertium sigillum diplomatis num. 348 in tomo I huius operis.

86.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, una cum coniuge sua Constantia canonicis ecclesiae Olomucensis pro anima filii sui Vratislavi villam Nedachlebice donat eiusque hominibus exemptiones et libertates large concedit.

Cromesir 1209 —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropolitani Olomucensis asservatur (A). — Apographum saec. XIV exstat in Libro privil. eccl. Olomuc., qui in eodem tabulario asservatur, fol. 31.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 51, num. 45 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 235, num. 517 (fragm.).

Autographum scriba, quem ‚Otakarus 7' vocamus, manu sua exaravit, cuius litterae eandem formam atque scriptura codicum habent. Quem scribam ecclesiae Olomucensis clericum fuisse, verisimile est. — Locus qui de libertatibus est, repetit verba diplomatis, quod anno 1207 ecclesia Olomucensis ab eodem rege accepit (v. num. 59).

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, quod ego Primuzil, dei gracia ‖ rex Boemorum, unâ cum coniuge mea Constancia, regina Boemie, assensu baronum nostrorum villam, que Nedaclebiz ‖ nuncupatur, pro remedio anime[a] filii nostri Wratizlai omniumque predecessorum nostrorum canonicis Olomuncensis ecclesie ‖ sub iure episcopatus contulimus possidendam. Quoniam autem recte locantur beneficia, ubi crescunt vite merita, ibi decenter impertitur gracia, ubi cum premiis cumulatur

85. *b) ‚i' ex ‚e' in loco raso corr. A.*

86. *a) ‚a' in loco raso scriptum est, ubi genuine ‚i' positum erat. A.*

gloria: ob hoc eandem villam ab omni honere tributorum, vectigalium, collectarum seu denariorum, qui quatuordecim vocantur, vel aliarum * exactionum volumus perpetuo esse absolutam; adicientes, ut nullus pro castrorum edificacione[b] vel reedificatione, nullus pro aliqua ingruenti expedicione * homines predicte ville audeat inquietare. · Ius eciam, quod datur pro capite, eis concessimus *; hoc de fure sanctientes, ut si in eadem villa capiatur et coram iudicio convincatur, canonicis bona furis remaneant, ipse vero curie tradatur puniendus. Si autem homines eiusdem ville coram iudicio culpabiles inveniuntur, nec nobis, nec iudicibus nostris, curialibus quoque vel inbeneficiatis aliquid inde utilitatis' proveniat, set apud canonicos culpe perseveret satisfactio, nisi in quo tenetur satisfacere adversario. Preter hec utilitati Olomuncensis ecclesie providentes, in eadem villa ad preces venerabilis patris nostri Ruperti tabernam liberali munificencia concessimus. Ut autem hec nostra donacio robur firmitatis obtineat, et ne factum nostrum oblivionis desidia sepeliatur, sigilli nostri munimine roboramus et testium approbacione confirmamus. Testes autem sunt isti: Rupertus episcopus, Andreas Pragensis prepositus,[c] Benedictus protonotharius, Arnoldus decanus, Hinsaltus, Zlauco, Bouzlaus filius eius, Heinricus filius Witechonis, Bludo et Onso filius eius, Luderius, Neplach, Andreas, Petrus filius Medlonis, Pardus, Twirsa, Stanimirus, Doben cum tribus filiis, Nedamirus frater Doben, Gron, Zewize, Bawarus, Stibor, Zemizlaus, Wurso, Nedamirus frater eius, Zvlizlaus, Stizlaus, Woino, Beneda, Chochan, Hermannus abbas de Grediz, Thizelinvs abbas de Welgrad. Hec autem acta sunt anno millesimo ducentesimo nono, indictione duodecima, epacta duodecima, concurrente tercio, in loco Olomuncensis episcopi, qui vocatur Cremesir.

Autographo duo sigilla in filis sericis rubri coloris appensa erant, quae nunc iam avulsa et deperdita sunt.

87.

Innocentius III papa Roberto, episcopo Olomucensi in terram sanctam profecturo, ut illos de comitatu ipsius, qui peregrinationis tempore clericis vim attulerint, a poenis canonicis absolvere possit, facultatem concedit.

Laterani 1210 apr. 9.

Autographum in membrana scriptum in tabulario archiepiscopatus Olomucensis Cremsirii asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II pag. 53, num. 47 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 238, num. 521 (fragm.). — Potthast, Reg. num. 3973.

In membranae replicatae margine dextro nota quaedam scriptoris atramento pallido scripta erat, quae iam recte legi non potest, cuius vox ultima haec esse videtur: ‚Johs'; *in margine sinistro manus eiusdem temporis simili atramento pallido haec adnotavit:* ‚℞ iϑ) apr. ‖ Jo. de Placeñ' (?). *In autographi tergo in sinistro angulo superiore alio atramento adnotatum est:* ‚R. E'; *in tergi medio manus quaedam cancellariae apostolicae scripsit:* ‚✝ V. E.'

86. *b)* ‚ci' *in loco raso scriptum est. A.* — *c)* ‚pre' *in loco raso eadem manu scriptum A.*

Innocentius episcopus servus servorum dei, venerabili fratri .. Olomucensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Cum pro tui redemp‖toris amore signum crucis assumpseris et proficisci disponas in subsidium terre sancte, presentium tibi auctoritate con‖cedimus, quatinus, si quos forsan de comitatu tuo, dum in sancta peregrinatione permanseris, ex iniectione manuum in ‖ clericos violenta in canonem acciderit incidere sententie promulgate, liceat tibi eos secundum ecclesie formam absolvere; iniungendo ipsis, quod talibus consuevit iniungi, nisi, quod absit, tam gravis et enormis fuerit subsecutus excessus, quod merito propter hoc ad sedem debeant apostolicam laborare. Datum Laterani V idus aprilis, pontificatus nostri anno tercio decimo.

Autographo appendet e filo cannabino Innocentii III papae bulla plumbea eadem atque in litteris num. 40.

88.

I. *Innocentius III papa Adelae, sorori Theodorici marchionis Misnensis, quae de divortio inter ipsam et Otakarum regem Bohemiae acta fuerint, fusius perscribit eique mandat, ut in festo sancti Martini proxime venturo per responsales idoneos coram se compareat, ut causa finem debitum sortiatur.*

II. *In eundem fere modum Otakaro, regi Bohemiae, scribit.*

III. *Iisdem fere verbis Constantiae, sorori Andreae regis Ungariae, idem mandat.*

Laterani 1210 apr. 13.

Apographum saec. XIV medii exstat in Innocentii III regestorum vol. V, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. t. VIII) asservatur fol. 12r—13r, lib. XIII, ep. 50 (R).

Baluzius, Epp. Innoc. III, t. II, col. 429 = Lünig, Cod. Germ. dipl. I, pag. 958 = Migne, Patrolog. lat. t. 216, col. 238, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 238, num. 522 (fragm.) — Posse, Cod. dipl. Saxoniae I Hauptth., t. III, pag. 114, num. 146. — Palacký, Ital. Reise, pag. 20, num. 46 (reg.) — Potthast, Reg. num. 3975 — Böhmer-Will, Reg. arep. Magunt. II, pag. 144, num. 143 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6086.

Epistulae prior pars repetit verba fere omnia epistulae, quae anno 1201 mense aut maio aut iunio archiepiscopo Magdeburgensi eiusque coniudicibus missa est (v. num. 20).

(I.) Nobili mulieri A.,[1] sorori nobilis viri marchionis Misnensis.[a] Dudum ad aures nostras ex parte tua questione perlata, quod cum karissimus in Christo filius noster .. rex Boemorum illustris te duxisset legitime in uxorem ac decem et octo annis et amplius velud coniugem legitimam pertractasset, filiis et filiabus ex te susceptis, ac venerabilis frater noster ..[2] Pragensis episcopus ad petitionem et mandatum eiusdem regis, te volente ad eum[b] accedere, ut tuas coram eo proponeres rationes, sed a satellitibus memorati regis prohibita, * post appellationem ad nos interpositam divorcii sentenciam promulgasset, a qua fecisti per capellanum tuum infra decendium[c] appellari: eodem rege superducente postmodum caris-

88. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R. — b)* ‚causam' *errore scriptoris habet R. — c) = decem dies;* ‚decennium' *perperam R.*

1) *Adelae.* — 2) *Daniel II.*

simam in Christo filiam C.,[3] sororem carissimi in Christo filii nostri ..[4] regis Vngarorum illustris, post diversas litteras super eodem negocio impetratas demum venerabilibus fratribus nostris ..[5] Halberstatensi et ..[6] Nuemburgensi[d] episcopis et dilecto filio ..[7] abbati de Porta dedimus in mandatis,[8] ut vocatis ad suam presenciam, quos noscerent evocandos, inquirerent diligencius veritatem, et quod invenirent, per suas nobis litteras intimarent, ut ex eorum relatione sufficienter instructi, procedere liberius in ipso[e] negocio valeremus. Ipsi vero testes postea receperunt ex tua parte productos, qui iuraverunt pro utraque parte dicere veritatem, et depositiones eorum propriis sigillis inclusas ad nostram presenciam transmiserunt. Verum cum procurator tuus et nuncius eiusdem regis, propter hoc ad sedem apostolicam constituti, coram dilecto filio nostro P.,[9] tituli sancti Marcelli presbytero cardinali, quem ipsis dedimus auditorem, aliquamdiu litigassent, et procurator ipse attestationes easdem approbandas assereret, et nuncius ex adverso eas, utpote lite non contestata et post appellationem ad nos legitime interpositam inordinate receptas, peteret reprobari: nos * intellectis[f] per cardinalem ipsum utrimque propositis, attestationes prefatas nec approbandas duximus, nec etiam reprobandas, sed eas tempori discussionis[g] decrevimus reservari, ut tunc contra illas allegaretur a partibus vel[h] pro illis, venerabili fratri nostro ..[10] Salzburgensi archiepiscopo et eius coniudicibus iniungentes, ut partibus ad locum ydoneum convocatis, omni excusatione ac contradictione[i] cessantibus, reciperent testes, quos pars tua vel regis, cum nondum didicissetis testificata, super processu Pragensis episcopi vel predictorum iudicum duceret producendos, ita quod tu testes, quos prius induxeras, vel alios, si velles, inducere minime vetareris, cum non renunciasses testibus producendis, et gesta omnia redacta in scriptis * ad sedem apostolicam destinarent, prefigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui presentarent, sentenciam recepture. Qui quoniam propter impedimenta varia procedere nequiverunt, venerabilis frater noster H.,[11] Hostiensis episcopus, et dilectus filius L.,[12] tituli sancte Crucis presbyter cardinalis, qui tunc legationis officio in Teutonia fungebantur, auctoritate tam nostra quam sua ..[13] Auelbergensi episcopo, tunc electo, et .. sancti Georgii et .. de Sychem abbatibus iuxta prescriptam formam idem negocium commisere.[14] Qui post multos cause circuitus, sicud[k] ex litteris predictorum episcopi et abbatis de Sychem nobis innotuit,[15] memorato regi, qui propter contumaciam manifestam fuerat excommunicatus ab eis, absolutionis beneficium impenderunt, ab eodem recepta iuratoria cautione, quod pareret iusticie coram ipsis. Cui cum diem et locum ad prosequendum[l] negocium perhemptorie[k] assignassent, propter contumaciam suam demum in

---

88. *d)* ,Hambembergensi' *perperam R.* — *e)* ,ipso' *deest R; addidi auctoritate epistulae num. 9 nixus (vide supra pag. 9, lin. 10).* — *f)* ,intelectis' *R.* — *g)* ,discutionis' *R.* — *h)* ,et' *R.* — *i)* ,occasione' *R.* — *k) ita R.* — *l)* ,procequendum' *R.*

3) *Constanciam.* — 4) *Andreae II.* — 5) *Gardulfo.* — 6) *Bertoldo.* — 7) *Winnemaro.* — 8) *Litterae haec cc. a. 1200 datae, iam deperditae sunt.* — 9) *Petro.* — 10) *Eberhardo II, cuius coniudices erant Ludolphus, archiepiscopus Magdeburgensis, et Romarius, praepositus Seeburgensis; v. supra num. 20.* — 11) *Hugo al. Hugolinus.* — 12) *Leo.* — 13) *Sigebodoni.* — 14) *Episcopo Havelbergensi causa commissa est verisimillime a. 1207 mense maio exeunte vel paullo post; cf. Böhmer-Ficker, Reg. imp.* $V_{,3}$ *pag. 1519.* — 15) *Cf. supra epistulam num. 81.*

priorem eum sentenciam reduxerunt, recipientes testes ex tua parte productos. Cum autem postmodum iteratos clamores nostris auribus inculcasses, et nos deliberaverimus cum fratribus nostris, quid ad expediendum negocium tociens impeditum agere deberemus, hoc tandem occurrit, ut sub examine nostro causa eadem ventilata finem debitum sortiretur. Unde venerabili fratri nostro ..[16] Maguntino archiepiscopo dedimus in preceptis, ut ex parte nostra partibus pro termino peremptorio kalendas octobris[17] proximo preteritas assignaret, infra quas per se aut responsales idoneos cum omnibus, que ad causam necessaria noscerent, nostro se conspectui presentarent sententiam recepture.[18] Supradicte quoque C.,[19] sorori regis Vngarie, quam sibi rex Boemie copularat, citationis tenorem iussimus intimari, ut si vellet, ad defensionem suam idoneos dirigeret responsales. Porro cum nuper dilecti filii .. tuus et .. ac .. tam ipsius regis quam C.,[19] sororis regis Vngarie, procuratores, propter hoc ad sedem apostolicam accessissent: procurator tuus depositiones testium coram primis et secundis iudicibus productorum petiit publicari et tibi beneficium restitutionis impendi, sentencia predicti Pragensis episcopi reprobata, ad assertionem propriam roborandam multis iuris canonici et civilis argumentis inductis. Procuratores vero partis adverse attestationes ipsas aperiendas non esse dicebant, neque secundum eas in negocio procedendum, quoniam iudices lite non contestata et iuris ordine pretermisso, ac post appellationem ad nos legitime interpositam, pro eo, quod locum suspectum assignaverant ipsi regi, in negocio processerant memorato, et quia prefata soror regis Vngarie ad causam evocata non fuerat, ad quam eiusdem negocii defensio pertinebat. Cum enim ipsa, postquam super sentencia divorcii inter te ac sepedictum regem a prefato episcopo promulgata extitit coram multis prelatis Vngarie facta fides, eidem regi fuerit in conspectu ecclesie copulata: ea indefensa et non citata, que in quasi possessione[m] ipsius regis, cuius restitutio petebatur, tunc temporis existebat, non debuit in negocio supradicto procedi, maxime cum expressum fuerit in litteris transmissis eisdem, ut vocarent quos noscerent evocandos. Unde non solum rex, sed et ipsa quoque C. debuit evocari, cum talis fuisse nostra intentio videretur ex eo, quod ultime citationis tenorem non solum regi, sed etiam dicte nobili mandavimus intimari, ut si vellet, prefixo termino ad defensionem suam idoneos dirigeret responsales. Predicta vero probare procuratores ipsi multis rationibus nitebantur. Attestationes quoque secundo loco receptas eadem pars proposuit respuendas, cum iudices, qui testes receperant, postquam ab eis, utpote manifeste suspectis, ad nos fuerat appellatum, eiusdem regis nuncio propter hoc ad sedem apostolicam specialiter destinato, duxerint in negocio procedendum. Ex eadem insuper fuit parte propositum, quod tu nequaquam

---

88. *m)* ‚possessionē' *R.*

16) *Sigifrido II.* — 17) *die 1. octb. a. 1209.* — 18) *Litterae papae ad archiepiscopum Maguntinum, quae primis anni 1209 mensibus missae esse videntur, iam perierunt.* — 19) *Constanciae.*

eras restitutionem postulans audienda, cum spoliata fueris auctoritate iudicis, qui presumitur legitime processisse, nec absque ipsius C.[19] poteras preiudicio et iactura restitui, que in prefati regis quasi possessione ecclesie auctoritate tunc erat, cum is,[n] qui auctore pretore possidet, iuste possidere regulariter videatur. Eadem quoque pars proponebat te non debere contra sentenciam predicti episcopi Pragensis audiri, quam tua sponte olim duxeras approbandam, maxime cum ex parte predicte sororis regis super consanguinitatis linea inter te ac prefatum regem in continenti probationes legitime offerrentur; cum etsi ferretur forsitan sentencia contra regem, nichilominus eius esset executio[o] differenda, ne antedicte C.[19] circa possessionem regis posset preiudicium generari, sicud[p] in quodam alio casu non multum huic absimili dicimur[q] difinisse. Ceterum ad hoc, quod premissum est, lite non contestata priores iudices processisse, fuit ex tua parte responsum, quod hoc pars altera non poterat allegare. Cum enim confiteretur litem coram Pragensi episcopo contestatam, qui divorcii sentenciam promulgavit, in appellationis causa, que intelligitur eadem cum priori, litem non oportuit denuo contestari. Sed etsi litem non fuisse coram episcopo contestatam pars eadem fateretur, cum tamen testes fuerint ab ipsa producti contra te, non poterat allegare, quod lite non contestata testes minus legitime produxisses,[r] cum frustra legis auxilium invocet, qui committit[s] in legem. Sed nec dicta soror regis Vngarie, ymmo[t] rex solummodo debuit a iudicibus memoratis citari, quem causa principaliter contingebat, cum principali questione decisa, causa ipsius C.,[19] que accessoria videbatur, per consequenciam sopiretur; maxime cum ad defensionem[u] cause, que publice agebatur, si sibi preiudicari timebat, se potuerit obtulisse. Sed nec omnes, quos questio mota contingit, ad examinationem evocantur ipsius, sicud[p] in multis casibus est videri civilibus legibus conprehensis, quamquam ad cautelam et ex gracia speciali mandaverimus archiepiscopo Maguntino, ut citationis tenorem supradicte nobili nunciaret. Proposuit etiam procurator tuus non posse partem alteram allegare, quod attestationes ultime post appellationem ad nos interpositam a iudicibus fuerint inordinate recepte, cum postmodum eorumdem iudicio se promiserit iuramento interposito parituram, propter quod renunciasse appellationis beneficio videbatur. Contra quod pars adversa dicebat, quod sub conditione fuerat prestitum huiusmodi iuramentum, nisi videlicet regis nuncius propter hoc specialiter ad nostram presenciam destinatus mandatum ex parte nostra contrarium reportaret. Restitutionem quoque a te petitam, a dicta sorore regis impediri non posse dicebat, eo pretextu videlicet, quod auctore pretore ceperat possidere. Nam ex facto episcopi, qui post appellationem ad nos legitime interpositam inordinate processerat, huiusmodi fuerat auctoritas usurpata. Sed nec consanguinitatis obiectu per eam poterat restitutio impediri, cum et rex ipse hoc idem allegans minime audiretur. Illud nichilominus frivolum esse dicebat, quod tu approbasse sentenciam

88. *n)* ‚is‘ *eodem atramento superscr. R.* — *o)* ‚exequutio‘ *R.* — *p) ita R.* — *q)* ‚dicuntur‘ *R.* — *r)* ‚produxcisses‘ *R.* — *s)* ‚commitit‘ *R.* — *t)* ‚ymo‘ *R.* — *u)* ‚defentōnem‘ *R.*

dicebaris, cum per approbationem tuam sentencia nequiverit robur sumere, que irrita fuerat ipso iure. Cum igitur super hiis et aliis utrimque propositis nobis nequiverit fieri plena fides super processu Pragensis episcopi, coram nobis lite legitime contestata et quibusdam testibus super ipso pro parte regis receptis, universis exceptionibus salvis, de procuratorum utriusque partis assensu tam tibi quam parti adverse dilationem usque ad festum sancti Martini primo venturum[20] duximus concedendam; presencium tibi auctoritate mandantes, quatinus, nisi forsan interim inter vos honesta poterit concordia provenire, in eodem termino, quem tibi peremptorium assignamus, per responsales ydoneos et sufficienter instructos super omnibus, que spectant ad causam, compareas coram nobis, ut per nos causa ipsa diligenter examinata finem debitum sorciatur. Datum Laterani idus aprilis, pontificatus nostri anno XIII°.

(II.) ⟨Scriptum est in eundem fere modum:⟩ illustri regi Boemorum. Datum Laterani ⟨etc. ut in alia⟩.

(III.) ⟨In eundem fere modum scriptum est:⟩ nobili mulieri C.,[19] sorori .. regis Vngarie, ⟨usque:⟩ duximus concedendam. Unde memoratis regi et nobili dedimus in mandatis, quatinus, nisi forsan interim inter eos[v] ⟨etc. ut in alia in eundem fere modum usque:⟩ finem debitum sorciatur. Tibi quoque mandamus, ut, si volueris, procuratorem ad eundem terminum pro te dirigas sufficienter instructum. Datum ⟨ut in alia⟩.

89.

Innocentius III papa Sigifrido II archiepiscopo Maguntino, Alberto archiepiscopo Magdeburgensi, Ekberto episcopo Bambergensi, Otakaro regi Bohemiae, Hermanno lantgravio Thuringiae et Ottoni duci Meraniae, qui ad ipsum per nuntios et litteras rettulerunt, quae ad Ottonem IV imperatorem amovendum suscepissent, gratias agit; auxilio promisso, ut negotium susceptum diligenter atque assidue prosequantur, admonet. *Laterani 1210 oct. 30.*

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnensi (inter Cerronianos num. 292) asservatur, pag. 241—242 (C).

Emler, Font. rer. Boh. V, pag. 123 not — Bretholz, Ein päbstliches Schreiben gegen Kaiser Otto IV, Neues Arch. d. Ges. f. ält. deutsche Gesch. XXII, pag. 294 — Dobenecker, Reg. Thuring. II, num. 1468 (reg.)

Innocencius,[a] episcopus[b] servus servorum dei, venerabilibus fratribus[b] . .[1] Moguntino et . .[2] Magdeburgensi archiepiscopis et . .[3] episcopo Bambergensi

88. *v)* ,vos' *R.*

20) *die 11 nov. a. 1210.*

89. *a)* ,Innocencius III' *C.* — *b)* ,episc. — fratribus' *deest C, supplevi secundum formam; etiam sequentes punctos addidi.*

1) *Sigifrido II.* — 2) *Alberto.* — 3) *Ekberto.*

nec non karissimo in Christo filio ..[4] illustri regi Boemie ac dilectis filiis ..[5] lantgravio Thuringie et ..[6] duci Meranie salutem[c] et apostolicam benedictionem.[c] Nuncciis et litteris vestris ea qua decuit benignitate susceptis,[7] vestroque intellecto processu, licet semiplane descripto, gavisi sumus in Domino[8] et in potencia virtutis ipsius, discrecionem ac devocionem vestram multipliciter commendantes, quod ad conterendum draconem, quem Dominus ad illudendum illi formavit,[9] inhiantem vos ac alios devorare inmaniter, incepistis magnanimiter operari, prosternendo tyrannum tam ecclesie quam imperio pestilentem. Ne igitur adiciat[d], ut resurgat, nobis et vobis et aliis principibus, tam ecclesiasticis quam mundanis, est summopere providendum, ut nec fraudibus possit seducere, nec viribus prevalere, quia novissima eius forent deteriora prioribus, nec iam draconis[e] tantum nequiciam, sed leonis eciam seviciam exerceret, nichil penitus inconcussum relinquens, quia nec rebus parceret nec personis, simul in unum spiritualia et corporalia confundendo. Quia vero ‚nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno dei,‘[10] neque qui ceperit, sed qui perseveraverit, a Domino commendatur,[f] quamvis potissima pars huius negocii principium quidem extiterit, cuius si medium bonum fuerit, optimus utique finis erit: prudenciam vestram rogandam duximus et monendam, per apostolica scripta vobis mandantes, quatenus in incepto proposito sagaci consilio et efficaci studio procedatis, nichil de contingentibus omittentes, sed ad consummacionem ipsius opes inpendatis et operas, iuri et viribus[g] innitentes,[h] in Domino principaliter confidendo, qui conteret sathan sub pedibus vestris[11] dabitque vobis de tyranno triumphum, qui nitebatur vos et alios in extremam redigere servitutem. Quantum namque sit hoc[i] in secula valiturum ad conservandum non solum dignitates et iura principum, verum eciam et pacem et iusticiam populorum, vestra prudencia non ignorat. Quare pro tali et tanta re nullatenus dubitetis per vos et alios quoscumque potestis opus honestius laborare, de auxilio et favore nostro securi, quoniam in eodem proposito sumus[k] persistentes et firmiter[l] vobis et aliis ad hoc fideliter intendentibus parati sumus impendere consilium et auxilium oportunum, nec desistimus operari quecumque ad hoc negocium promovendum agnoscimus expedire, quod magnifice iam cepit per dei graciam prosperari. Datum Laterani, III kalendas novembris, pontificatus nostri anno XIII°.

89. *c)* ‚sal. — benedict.‘ *supplevi secundum formam* — *d)* ‚accidat‘ *corrigendum esse putat Bretholz; quae quidem emendatio non necessaria esse videtur; vide pag. 39, lin. 15:* ‚nec adhuc etiam adicit, ut resurgat‘; *cf. Psalm. XL, 9:* „Numquid qui dormit, non adiiciet, ut resurgat?“ — *e) ex* ‚draconem‘ *eod. atram. corr. C.* — *f)* ‚commendantur‘ *C.* — *g)* ‚iuris et iuribus‘ *distincte C;* ‚curis et viribus‘ *corrigendum esse putat Bretholz.* — *h)* ‚innittentes‘ *C.* — *i)* ‚li‘ *scriptoris incuria C; lectionem* ‚huius‘ *proponit Bretholz, idemque post hanc vocem* ‚promissum‘ *vel simile omissum esse suspicatur.* — *k)* ‚sum‘ *C.* — *l)* ‚formam‘ *C; correxit Bretholz.*

4) *Otakaro I.* — 5) *Hermanno.* — 6) *Ottoni.* — 7) *Litterae principum fortasse mense augusto a. 1210 scriptae sunt; cf. Dobenecker, Reg. Thuring. II, num. 1465.* — 8) *Cf. Philip. IV, 10.* — 9) *Cf. Psalm. CIII, 26.* — 10) *Luc. IX, 62.* — 11) *Cf. Rom. XVI, 20.*

90.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, vectigalia a fratre suo Friderico duce quondam ecclesiae in Vyšehrad donata confirmat idemque tertium denarium in naulo sub monte Děvín eiusdem ecclesiae canonicis addit.

— 1211 mense apr.

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli colleg. Vyšehradensis asservatur (A). — Apographum insertum est confirmationi Venceslai I regis dd. 1251 iun. 4, cuius autographum in eodem tabulario exstat.

Bartholdus Pontanus a Braitenberg, Bohaemia pia, pag. 74 (frgm.) — Berghauer, Protomartyr poenitentiae, pag. 216 (argum. et testes) — Hammerschmidt, Gloria et maiestas.... Wissehradensis ecclesiae, pag. 165 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 243, num. 525.

Autographum manu scribae, quem nota ,Otakarus 8' signavimus, exaratum est. Quem quidem scribam ecclesiae Vyšehradensis clericum fuisse suspicor. In diplomate conscribendo scriba privilegium adhibuit, quod Friderico duce auctore anno 1187 maii 2 eidem ecclesiae datum est (v. C. D. reg. Boh. I, num. 317); e quo nonnulla ad verbum descripsit. — In temporis nota annus 1212 quidem adfertur, sed indictio, epactae atque concurrentes diploma ad a. 1211 revocant. — Palacký ap. Erben l. l. pag. 624 diploma suspectum esse iudicat, ne uno quidem argumento allato. Re vera sigillum, quod diplomati appendet, posteriore tempore ad genuini sigilli speciem formatum esse videtur, sed litterarum forma autographum ad tempus, quod in ipso indicatur, referendum esse demonstrat. Praeterea diplomatis argumentum, cur in dubitationem vocetur, nihil plane invenio.

⁞ Ego Premizl, ⁞ Boemorum tercius rex, videns donationem predecessorum meorum, et precipuę fratris mei felicis memorię ducis ⁞ Friderici, ⁞ violari ab hiis, ‖ quibus minus nota erat hęc donatio, ob spem retributionis vitę ęternę necessarium duxi renovare, quę talis est. Omnis acquisitio, quę provenire solet in istis: ‖ zuvod, narok et quod vulgo glaua[a] dicitur, super omnes homines, ubicunque fuerint, pertinentes ęcclesię, sit in usum fratribus et preposito nunc et imperpetuum. Venditio seu ‖ collecta generalis, si quando fuerint[b] super homines ęcclesię, fratribus et preposito sit nunc et in sempiternum. Si quis vero ex hominibus ęcclesię supplicio capitis dampnatus fuerit, possessio quidem eius ęcclesię, caput cedat laqueo. Huic etiam donationi fratris mei per apparitionem beati ⁞ Petri ⁞ et flagellationem in dorso suo revelate, novam addimus beatissimi principis apostolorum ęcclesię, videlicet tercium denarium in naulo sub monte Devin; nam duos denarios ab antiquo canonici Wissegradenses semper habuerunt. Hęc statuta presentibus et futuris nota esse cupientes, in foro per fideles nostros Zlauconem magnum, Cyrninum camerarium, Budiuoy iudicem curię et Boguzlaum subcamerarium publico preconio proclamari iussimus, coram vero primatibus nostris scripto ac sigillo nostro confirmavimus, adicientes, si quis inimicus dei aliquid inde minuere voluerit, ultricibus flammis[c] ęterni supplicii deputetur cum Juda et diabolo dampnandus in eternum et ultra. Facta est autem hęc nova donatio tercii denarii de naulo in cena Domini[1] ad altare sancti Uiti, episcopo Pragense Daniele

90. *a) ante hanc vocem littera ,d' erasa est A. — b) ita A. — c) sequ. foramen in membrana A.*

1) *Martii die 31.*

chrisma consecrante, et domino rege ibidem missam audiente, sub his testibus: magno Zlaucone, Cyrnin camerario, Boguzlao subcamerario, Budiuoy, Zlauata filio Othezlai, Benes filio Hermanni, Marquardo fratre eius, Jaros, Willehelmo, Zbizlao, Heinrico filio Vitconis, Uitcone fratre eius, Martino filio Ceztone, Milgozt, Wacemilo, Bauaro filio Dlugomili, Wissemiro, Iuan, Blasey forensi iudice, Uoyzla gogol, Hirdon, Reynhardo iudice reginę, Zudone castellano de Wissegrad, Boguzlao de Praga; canonicis Pragensibus: Andrea preposito et cancellario, Arnoldo decano, Walkino, Johanne magistro, Boguzlao, Laurentio, Benedicto notario, Pribizlao, Martino, Pomneno. Hacta sunt autem hęc anno dominice incarnationis, millesimo ducentesimo duodecimo,[d] indictione XIIII^{a}, epacta IIII^{a}, concurrente V^{to}, mense aprili.

Autographo appendet e filis sericis coloris albi, flavi et rubri sigillum de cera nigra confectum eiusdem formae atque illud, quo diploma num. 57 instructum est. Cum autem nullum Otakari regis genuinum sigillum de cera nigra confectum sit, sigillum nostrum posteriore tempore e genuino eiusdem regis sigillo imitando expressum esse verisimillimum est.

91.

Theodericus, marchio Misnensis, fidelem suum Henricum de Kohren praedium septem mansorum in villa Raube monasterio sanctae Mariae in Altzelle donavisse testatur. — Inter testes: ‚Wrezlaus filius regis Boemię.'

Oschatz 1211 aug. 26.

Posse, Cod. dipl. Sax. regiae I Hauptth., tom. III, pag. 123, num. 158 (ex autographo tabulari regii Dresdensis).

92.

Robertus, episcopus Olomucensis, villam Soběbřichy Lupo cuidam iure hereditario vendit.

[1208—1211.]

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropolitani Olomucensis asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 36, num. 29 (perperam ad ann. cc. 1206) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 227, num. 498 (fragm.).

Autographum scriba, quem ‚Robertus 2' appellamus, scripsit; cuius manus iam in nulla alia Roberti episcopi charta in conspectum redit. In chartae fine scriba nomen suum Radoslaus esse dicit; qui procul dubio unus idemque est atque ille, quem Roberti episcopi charta anno 1208 sept. 25 data in presbyterorum ecclesiae Olomucensis numero adfert. — Charta notis temporis omnibus caret, sed ante annum 1207 non esse scriptam ex eo cognosci potest, quod in testium serie Esau archidiaconus Přerovensis et Moyses Břeclavensis nominantur, quorum uterque non nisi post annum 1207 dignitatem hanc assequi potuit. Anno 1211 charta non est posterior, quod inter testes Ticelinus abbas Velehradensis adfertur.

90. d) *ita procul dubio scribae incuria A.*

Notum sit tam presentibus quam futuris, quod ego Robertus, dei gratia Olomucensis ęcclesię episcopus, villam, que dicitur Sobebruh, pro novem marcis Lupo vendidi hereditario ‖ iure possidendam. Sed quia gestis hominum novercari solet processus temporum, nisi testium auctoritate et sigilli munimine roboretur,[a] ideo dignum duximus ‖ presentem paginam et testium auctoritate ac sigilli ęcclesię nostrę munimine roborare. Testes autem sunt isti: Waltherus decanus et Znohemensis archidiaconus, ‖ Stephanus prepositus, Esav Prerouiensis archidiaconus, Radoslaus Olomucensis, Moyses Brachislauensis, Vthessen, Wrathco, Ysaac, Andreas, Petrus, Theodricus, Conradus, Cuzcrai, Jacobus magister, Siphridus, Johannes, Sdeborius, abbas Uueligradensis Theclinus, Smil, Andreas, Godata, Sebrith, Jan, Bogumil, Bratron, Zuest, Crasota, Hinca, Sobich, Bathik, Jurik, Jacub, Radek, Crisan, Woislau, Sdich, Caston, Pribin, Miloslau, Bogun, Bogusa, Wojteh, Milgost, Wojtha, Blasej, Piuona, Ranach, Hual, Sdislau, Gilia, Beris, Othaslav, Radoslaus qui scripsit.

Autographo appendet e membranae scidula fragmentum sigilli ecclesiae Olomucensis, de cera alba confecti, quod eadem forma expressum erat, atque illud, quod chartae num. 78 appensum est.

93.

Manegoldus, episcopus Pataviensis, Gundacharo de Steyer, nemus in finibus Bohemiae circa castrum suum Wildberg culturae exponenti, ibidem decimas novalium in feudo confert; in cuius nemoris limitum descriptione „antiqua via, que Sovmwech dicitur, versus Boemiam directa“ commemoratur.

Pataviae 1212 ian. 24.

Monum. Boica XXIX, pars II, pag. 71, num. 50 (e cod. traditionum eccl. Pataviensis IV) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 244, num. 527. — Cf. Hasenöhrl in Arch. f. österr. Gesch. 82, pag. 445 sq.

94.

Otto IV, imperator Romanorum, et Theodericus, marchio Misnensis et Orientalis, foedere facto alter alteri in omni necessitate sua contra omnem hominem auxilium promittunt. Praeterea imperator pollicetur, se Vratislavo, marchionis nepoti, regnum Bohemiae concessurum eumque adiuturum esse, ut ipsius regni possessionem assequatur.

Apud Frankfurt 1212 mart. 20.

Autographum, quod usque ad annum 1830 in tabulario serenissimae familiae Welficae asservabatur, nunc latet.

Scheid, Origines Guelficae III, pag. 807 = Weiland, Constitutiones (Mon. Germ., Leg. sect. IV) tom. II, pag. 48, num. 39 = Cod. dipl. Saxoniae regiae I Hauptth., tom. III, pag. 127, num. 163. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 245, num. 528 (extr. ex Menke, Script. III pag. 1130) — Brandl, Cod. dipl. Mor. VII, pag. 717, num. 49 (reg.) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 472 — Dobenecker, Reg. Thuring. II, num. 1500.

92. a) *ita A incuria scribae pro* ‚roborentur‘.

Hec est forma conventionis facte inter O.,[1] invictissimum Romanorum imperatorem semper augustum, et Thidericum, marchionem Missenensem et Orientalem[a]: Predictus marchio Misnie fide data promisit et iuravit, quod abhinc, ut in antea, domino imperatori assistet et eum iuvabit, specialiter contra papam Innocentium in presenti discordia, aut si alias eum iniuste vellet gravare; et simili modo contra Odacrium regem Boemie et H.[2] lantgravium Thuringie, et generaliter contra omnem hominem viventem, in omni necessitate sua; et quod nunquam eum deseret; et hec omnia bona fide observabit, sine fraude et malo ingenio. Ut autem hec conventio firmius observetur, pro eo et cum ipso et de sua voluntate et mandato, similiter data fide, promiserunt et iuraverunt nobiles et homines sui: Geuehardus de Quernuorde comes, Burchardus de Mannisuelt comes, Henricus de Schwartzburc comes, Cunradus de Zana, Henricus de Chorun, Burchardus de Glinde, Guntherus de Rochisberc. Et hoc idem data fide promittent et iurabunt alii nobiles infeudati sui: Hermannus advocatus de Salik, Johannes de Lubin, Henricus de Scuditz, Dudo de Domo, Harmannus de Lobdiburc, Erkinboldus de Wizenueltz. Hoc idem eodem modo fide data promiserunt et iuraverunt: Albertus dapifer de Burne, Cunradus pincerna, Gotzwinus de Branditz, Bodo de Ilburc, Otto de Liechtinhagin.[b] Et hoc idem eodem modo iurabunt alii sui ministeriales, scilicet Henricus de Chamborc, Conradus de Landisperc, Otto advocatus de Ilburc, Otto de Pouch, Henricus de Sladebach, Eckehardus et Henricus fratres de Crozne, Cunradus de Cleberc. Sub hac forma et conditione data fide promissum et iuratum est, et ab hiis, qui nondum iuraverunt, data fide promittetur et iurabitur, ut, si aliquo modo, quod absit, marchio Misnensis, secundum quod promissum et iuratum est, non observaret, omnes intrabunt Bruniswic, et inde nunquam recedent sine domini imperatoris licentia et voluntate. Insuper ad maiorem securitatem predicte conventionis observande, filios ministerialium suorum tredecim marchio Misnensis domino imperatori pro obsidibus dabit, scilicet filium Geuehardi de Zurbeke, filium Wolcmari de Chanburc, filium Borhardi de Trebezin, filium Ludolphi de domo Grimme, filium Guntheri de Dewitz, filium Hagenonis de Doblin, filium Alberti de Ziznick, filium Friderici Caratz de Donin, filium pincerne Henrici, filium Friderici de Groiz, filium Godefridi Kiseling, filium Thietdoldi de Nidecke. Hec autem conditio observabitur de obsidibus: quod si marchio quemadmodum promissum et iuratum est, quod absit, non observaverit, liberam habebit dominus imperator facultatem de ipsis obsidibus faciendi quod ei placuerit, et erunt[c] in eo statu, qui vulgariter vergiselt dicitur. Predictos autem obsides secundum dictas conditiones tenebit dominus imperator a proximo pascha[3] usque ad biennium, et tunc ipsos marchioni restituet; ita tamen, quod tunc patres obsidum vel alii ministeriales marchionis

94. *a)* ‚Orientis' *Scheid.* — *b)* ‚Liethtinhagin' *ibd.* — *c)* ‚erit' *ibd.*

1) *Ottonem IV.* — 2) *Hermannum.* — 3) *mart. 25 a. 1212.*

eque idonei et totidem numero promittent et iurabunt secundum quod supradicti, tam infeudati, quam ministeriales marchionis, promiserunt et iuraverunt. Si vero aliquis denominatorum obsidum vel morte interveniente vel aliquo casu alio domino imperatori dari non posset, alius eque idoneus domino imperatori dabitur loco illius, omnibus aliis in suo vigore permanentibus. Ex alia parte dominus Otto Romanorum imperator promisit fide data T.[4] marchioni Misnensi, quod sibi bonus et propitius dominus abhinc ut in antea erit, et quod ei assistet et eum iuvabit contra omnem hominem in sua iustitia et omni necessitate et nunquam eum deseret. Et quod regnum Bohemie concedet nepoti marchionis Wratizlao et ad optinendum eum iuvabit et optentum defendet, marchione in omnibus et diligenter cooperante; et hoc observabit bona fide et sine fraude et malo ingenio. Et hoc pro eo et de eius voluntate et mandato promiserunt data fide et iuraverunt: frater eius H.[5] palatinus comes Rheni, Albertus de Arnistein et Gerhardus burggravius de Liznic, Albertus burggravius de Aldenburc, Gunzcelinus dapifer, Henricus de Coldiz, Henricus de Widha, Henricus de Drackinuelz, Henricus de Crematzoue, Hermannus de Schoneburc. Sub hac autem conditione promissum est et iuratum, quod si forte, quod absit, ex parte domini imperatoris non observaretur convenientia, omnes isti, qui iuraverunt, civitatem Misnam intrabunt, nec inde recedent sine licentia marchionis, excepto solo dapifero, qui in hoc casu Goslariam intrabit, inde nunquam recessurus sine voluntate et licentia marchionis.

Actum apud Frankinuurt, anno dominice incarnationis MCCXII, XIII kalendas aprilis, indictione XV.

95.

Otto IV, imperator Romanorum, omnia bona domus sanctae Mariae Theutonicorum Hierosolymitanae tuenda suscipit. — Inter testes: ‚Heinricus marchio Morauie.‘ *Apud Norimbergam 1212 maii 10.*

Hennes, Cod. dipl. ord. s. M. Theut., pag. 11 — Posse, Cod. dipl. Saxoniae I Hptth., tom. III, pag. 128, num. 164 (tantum testes ex autogr.) — Erben, Reg. Boh. I, pag 246, num. 529 — Brandl, Cod. dipl. Mor. VII, pag. 718, num. 50 (reg.) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 479 (perperam ad mai. 15).

In temporis nota autographum incuria scriptoris annum 1213 quidem adfert, sed diploma recte ad an. 1212 pertinere indictio XV docet. — Cf. Chron. reg. Colon. (Mon. Germ. Scr. in usum schol., pag. 232): ‚Imperator *[Otto]* apud Nurinberg celeberrimam curiam circa pentecosten *[maii 13]* habuit. Ubi omnibus qui presentes erant principibus causam werre inter ipsum et papam innotescit. R e g n u m e t i a m B o e m i e, a b i u d i c a t u m O d o a c r i o r e g i per sententiam principum, filio ipsius [Wratizlao], presentibus suppanis et pluribus nobilibus terre, cum sex vexillis assignat. Nam matrem iuvenis, sororem scilicet marchionis de Missene, repudiaverat et filiam regis Ungarie duxerat; *(cod. 2 add.:* cum Moguntino etiam

94. 4) *Theoderico.* — 5) *Henricus dux de Brunswich.*

et lantgravio contra ipsum imperatorem ad eligendum alium regem conspiraverat).' *Cf. Palacký, Dějiny³ I, 2, pag. 122; Winkelmann, Phil. v. Schw. u. Otto IV, tom. II, pag. 302, not. 2; Dudík, Mähr. Gesch. V, pag. 72, not. 1; Bretholz, Mocran et Mocran in: Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. Ergzbd. VI, pag. 236 sq.*

96.

Fridericus II, Romanorum imperator electus et Siciliae rex, Otakaro, regi Bohemiae, dignitatem regalem, patrui sui Philippi regis instar, confirmat eique et successoribus eius regnum Bohemiae gratuito concedit; regni terminos confirmat; regum Bohemiae iura et officia perscribit.

Basileae 1212 sept. 26.

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A).— Apographum insertum est confirmationi Karoli IV regis, Pragae 1348 apr. 7 datae, cuius autographum in eodem tabulario asservatur (B). — Aliud apographum Przibik de Radenin dictus Pulkava suo Chron. Boh. ad a. 1212 inseruit (C).

[Joh. B. Eysen] Deductio d. i. nothwendige Ausführung ... derer Ursachen, darumb K. Ferdinandus II des Regiments in Kgr. Böheim ... verlustigt. Beilagen, num. 16 — Londorp, Acta publ. I, l. IV, pag. 770 — Goldast, De Boh. regni ... iuribus ac privileg. commentarii, Append. docum. (ed. 1627) pag. 21, (ed. 1719) pag. 27, num. 13 — Habernfeld, Bellum Bohemicum, pag. 83 — Balbín, Miscell. hist. reg. Boh., Decad. I lib. VIII, vol. 1, pag. 6 num. 8 — Lünig, Des Teutschen Reichsarchivs tom. VI, Part. spec. cont. I, Forts. 1, pag. 4, num. 2 — ibd. pag. 23, num. 23 (ex B) — Io. Ern. comes de Thun, Album augustissimae ... domus Habsburgico-Austriacae, pag. 41 — Dumont, Corps univers. diplomatique I, ps. 1, pag. 144 — Sommersberg, Scr. rer. Siles. I, pag. 921, num. 3 — Menke, Script. rer. Germ. III, pag. 1710 (ex C) — Ludewig, Reliq. manuscr. XI, pag. 284 (ex C) — Dobner, Mon. hist. Boem. III, pag. 206 (ex C); idem IV, pag. 254, num. 48 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 60, num. 52 — Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, tom. I, pag. 216 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 247, num. 531 (ex A) — Jireček, Cod. iur. Boh. I, pag. 38, num. 24 = Kalousek, České státní právo (ed. 2) pag. 561 — Markgraf in Script. rer. Siles. VII, pag. 21 (ex B) — Weiland, Constitutiones (Mon. Germ. hist., Leg. sect. IV) tom. II, pag. 54, num. 43 (ex A) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 671.

Autographum ab eodem scriba (Henrico de Parisius) scriptum est, qui etiam diplomata num. 97 et 98 exaravit; (cf. Philippi, Zur Gesch. d. Reichskanzlei unter den letzten Staufern, col. 20, 21). Accedit, quod tria haec diplomata ab eodem auctore verbis composita sunt, ut stili proprietates quaedam in omnibus repetitae manifesto declarant. — (In autographi membrana replicata manus saec. XIV adnotavit: ‚℞ per Johannem de Glacz II'; *quam notam ad Karoli IV confirmationem revocandam esse ex eo colligitur, quod Joh. de Glacz a. 1348 apr. 7 registratoris munere fungebatur). — Diplomatis prior pars procul dubio satis accurate repetit verba diplomatis deperditi, quod a. 1198 mense septembre Philippus, rex Romanorum, Otakaro regi dedit (v. num. 3). Praeterea diploma, quamquam id nominatim non commemoratur, iura etiam confirmat, quae Otto IV, Romanorum rex, a. 1203 in regem Bohemiae contulit (v. num. 34). — Quae Bachmann, Gesch. Böhm. I, pag. 448 et 877—881 de diplomate nostro protulit, prorsus mendosa sunt; cf. Goll, K výkladu privilegia Fridricha II (Věstník král. české společnosti nauk 1903, nº V) et Novotný in Český časopis historický IX, pag. 292 sq. — De testibus et nota temporis cf. Ficker, Beiträge z. Urkundenlehre II, pag. 78 et 345.*

Fredericus,[a] divina[b] favente clementia Romanorum imperator electus et semper augustus, ‖ rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Cum decor et potestas imperii nostrum preces‖serit statum, ut non solum ceterorum principum dignitates, verum etiam sceptra regalia a nostra confe‖rantur maiestate, gloriosum reputamus ac magnificum, quod in tanto nostre largitatis beneficio et aliis crescit regie dignitatis augmentum, nec ob hoc eminentia nostra aliquod patitur detrimentum. Inde est, quod nos attendentes preclara devotionis obsequia, que universa Boemorum[c] gens ab antiquo tempore Romano exibuit imperio tam fideliter quam devote, et quod illustris rex eorum Ottacharvs a primo inter alios principes specialiter pre ceteris in imperatorem nos elegit et nostre electionis perseverantie diligenter et utiliter astiterit: sicut dilectus patruus noster, pie memorie rex Philippus, omnium principum habito consilio, per suum privilegium instituit,[1] ipsum regem constituimus et confirmamus et tam sanctam et dignam constitutionem approbamus; regnumque Boemie liberaliter et absque omni pecunie exactione et consueta curie nostre iusticia sibi suisque successoribus in perpetuum concedimus; volentes, ut quicumque ab ipsis in regem electus fuerit, ad nos vel successores nostros accedat, regalia debito modo recepturus. Omnes etiam terminos, qui predicto regno attinere videntur, quocumque modo alienati sint, ei et successoribus suis possidendos indulgemus. Ius quoque et auctoritatem investiendi episcopos regni sui integraliter sibi et heredibus suis concedimus; ita tamen, quod ipsi ea gaudeant libertate et securitate, quam a nostris predecessoribus habere consueverunt. De nostre autem liberalitatis munificentia statuimus, quod illustris rex predictus vel heredes sui ad nullam curiam nostram venire teneantur, nisi quam nos apud Babenberc vel Nurenberc celebrandam indixerimus, vel si apud Merseburc curiam celebrare decreverimus, ipsi sic venire teneantur; quod si dux Polonie vocatus accesserit, ipsi sibi ducatum prestare debeant, sicut antecessores sui, quondam Boemie reges, facere consueverunt; sic tamen, ut spatium sex eddomadarum[d] veniendi ad predictas curias eis ante prefigatur; salvo tamen, quod si nos vel successores nostros Rome coronari contigerit, ipsius predicti regis Ottachari[e] vel successorum suorum relinquimus arbitrio, utrum ipsi trecentos armatos nobis transmittant,[f] vel trecentas marchas persolvant. Ad huius autem constitutionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Henrici de Parisius, notarii et fidelis nostri, scribi et bulla nostra aurea iussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.[g] Huius rei testes sunt isti: archiepiscopus

96. a) ‚Fredericus' *litteris maiusculis ornatis in spatio prius vacuo relicto scriptum est A.* — b) ‚ðjuina' *A.* — c) ‚Boemoꝝ' *A.* — d) *ita notarii errore A.* — e) ‚Ottacħi' *A.* — f) ‚sm' *ex* ‚f̄t' *statim inter scribendum correctum A.* — g) *quae subsequuntur (nomina testium et nota temporis alio quidem atramento, sed eadem manu scripta sunt A.*

1) *Privilegium hoc iam deperditum a. 1198 cc. sept. 8 datum erat; vide supra num. 3.*

Barensis;[h] episcopus Tridentinus, episcopus Basiliensis, episcopus Constantiensis, episcopus Curiensis; abbas Augensis, abbas sancti Galli, abbas de Wiceburc, Bertoldus de Nisphe[i] regalis curie prothonotarius; comes Vlricus de Chiburc, comes Rodulfus de Habechesburc et langravius de Alsatia, comites Loduicus et Hermannus de Froburc; comes Warnerus de Hohenburc, Arnoldus nobilis de Wart, Rodulfus advocatus de Raprehteshiwilare, Rodulfus de Ramensberc, Albero de Tanehuse camerarius et alii quam plures magnates et nobiles et liberi, quorum testimonio[k] hoc privilegium constat esse confirmatum.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo, mense septenbris,[l] quintedecime indictionis, regni vero domini nostri Frederici, illustrissimi Romanorum imperatoris electi et semper augusti, regis Sicilie, quintodecimo.

Datum in nobili civitate Basiliensi[m] per manus Vlrici viceprothonotarii, sexto kalendas octobris, feliciter amen.

Autographo appendet e filis sericis coloris rubri Friderici II bulla aurea Sicula. In priore bullae parte imago regis conspicitur in solio sedentis, qui manu dextra globum cum cruce, sinistra vero sceptrum gestat. Circumscriptio: ✠ FREDERIC' DĪ GRĀ REX SICIL DVCAT' APVL 7 PRINCIP̄ CAP̄. — *In altera bullae parte murus cum tribus turribus effingitur cum inscriptione:* RE—GNV̄ ‖ SICILIE. *Circumscriptio autem haec est:* ✠ XP̄S VINCIT XP̄S REGNAT · XP̄S INPERAT. — *Bullae imaginem dedit Philippi, Zur Geschichte d. Reichskanzlei unter den letzten Staufern, tab. VI, num. 5a et 5b.*

97.

Fridericus II, Romanorum imperator electus et Siciliae rex, Otakaro I, regi Bohemiae, pro rebus strenue gestis proprietatem suam Floss et castra quaedam ac bona, quorum nomina adferuntur, in perpetuam possessionem donat et confirmat.

Basileae 1212 sept. 26.

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A). — Apographum insertum est confirmationi Karoli IV imperatoris datae Norimbergae 1358 iun. 30 (B). — Aliud apographum Pulkava intexuit suo Chron. Bohemiae ad a. 1212 (C).

Weitere Ausführ. des d. Stadt Asch betr. Unterr. (Wien 1772) pag. 7, n. b (ex A) — Dobner, Monum. hist. Boem. III, pag. 208 (ex C) — Pelzel, Karl IV, tom. II, Urkb. pag. 264, num. 256 (ex B) — Schultes, Directorium dipl. II, pag. 481 — Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, tom. I, pag. 218 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 248, num. 532 (frgm. ex A) — Jireček, Cod. iur. Boh. I, pag. 41, num. 25 — Posse, Cod. dipl. Saxoniae regiae I Hauptth., tom. III, pag. 132, num. 169 (fragm. ex A) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 672.

96. *h)* ‚s' *in loco raso eadem manu scripta est; post hanc vocem octo fere litterae erasae sunt. Reliqua testium nomina in columnas secundum ordinem divisa sunt; cuiusque columnae finem puncto semicirculo imposito significavi. — i) ita scriptoris incuria pro* ‚Nifphen' *A. — k)* ‚nio' *in loco raso eadem manu scriptum est A. — l) ita A. — m)* ‚Basil' *A.*

Autographum ab eodem scriba exaratum et ab eodem auctore verbis compositum est atque num. 96 et 98. — De testibus et nota temporis cf. Ficker, Beitr. z. Urkundenlehre II, pag. 78 et 345. — Diploma, quamquam id praecipue non commemoratur, sine ulla dubitatione possessiones confirmat, quae iam Otto IV rex anno 1203 mense augusto Otakaro regi dono dedit (v. num. 34).

In nomine sancte et individue trinitatis amen. ‖ Fredericus,[a] divina favente clementia Romanorum imperator electus ‖ et semper augustus, rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Ad excellen‖dos regie celsitudinis titulos, eorum votis nos uberius acclinare decrevimus, quorum fidem ac devotionem circa universa negotia nostra promovenda integram ac inconvulsam certiori experientia didicimus. Dignum namque ac honestum arbitramur fore, ut eorum, qui promotioni nostre ab exordio assistere non dubitaverunt, tanto sollertius obsequiis respondeamus, ut etiam eorum exemplo plerosque alios ad favorem nostrum fabilius[b] allicere valeamus. Nos itaque animadvertentes preclara devotionis obsequia, que illustris rex Boemorum Ottacharus intimo cordis affectu cum universa Boemorum gente hactenus nobis exibuit ac etiam Domino largiente in perpetuum est exibiturus: suis ad presens in quantum possumus respondere cupientes obsequiis, notum facimus tam presentibus quam futuris, quod nos eidem regi Boemie donamus et confirmamus ac in perpetuam possessionem tradimus proprietatem nostram Vlozze cum ministerialibus, servis, cuiuscunque fuerint conditionis, omnique iuris integritate quarumlibet possessionum, prout avus noster Fredericus,[c] pie memorie gloriosus Romanorum imperator augustus, emit a domina Adleida comitissa de Clewen. Item donamus ei et confirmamus castrum, quod dicitur Svarcenberc, cum ministerialibus, servis, cuiuscunque sint conditionis, omnique iuris integritate quarumlibet possessionum, ut dictus avus noster emit a duce[d] Henrico de Medelic. Item donamus ei et confirmamus provintiam, que Milin dicitur, cum Richenbach et omnibus pertinentiis suis. Item donamus ei et confirmamus castrum Lichtemstein cum omnibus pertinentiis suis. Eidem etiam regi concedimus in pheodum et confirmamus possessiones Mantile et Lve cum omnibus pertinentiis suis. Preterea castrum Donin cum suis pertinentiis donamus et confirmamus, si illud a marchione Missenense absolvere poterimus; si vero ipsum castrum absolvere non poterimus, quicquid tres ab eodem rege electi imperii principes, qui tunc in gratia nostra fuerint, cum tribus supanis decreverint, facere satagemus. Ut autem nostre liberalitatis donatio, concessio ac confirmatio maiori nitatur robore et evidentiori future successioni pateat veritate, presens privilegium per manus Henrici de Parisius, notarii et fidelis nostri, scripbi[e] et bulla nostra aurea iussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.[f] Huius rei testes sunt archi-

97. *a)* ‚In nom. — Fredericus‘ *litteris maiusculis ornatis scripta sunt A. — b) ita pro* ‚facilius‘ *scribae incuria A. — c)* ‚Fređ‘ *A. — d) litterae* ‚uce‘ *in loco raso, sed eadem manu scriptae sunt A. — e)* ‚ſcpbi‘ *A. — f) quae subsequuntur usque ad finem lineis magis contractis alio atramento, sed eadem manu scripta sunt; testium nomina in columnas secundum ordinem eodem modo atque in num. 96 divisa sunt.*

episcopus Barensis; episcopus Tridentinus, episcopus Basiliensis,[g] episcopus Constantiensis, episcopus Curiensis; abbas Augensis, abbas sancti Galli, abbas de Wiceburc, Bertoldus de Nifphe regalis curie prothonotarius; comes Vlricus de Chiburc, comes Rodulfus de Habechesburc et langravius de Alsatia, comites Lodvicus et Hermannus de Froburc; comes Warnerus de Hohenburc, Arnoldus nobilis de Wart, Rodulfus advocatus de Raprehteshiwilare, Albero de Tanehuse, Rodulfus de Ramesberc et alii quam plures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo, mense septenbris,[h] quintedecime indictionis, regni vero domini nostri Frederici, illustrissimi Romanorum imperatoris electi et semper augusti, regis Sicilie quintodecimo.

Datum in nobili civitate Basiliensi[g] per manus Vlrici viceprothonotarii, sexto kalendas octobris, feliciter amen.

Autographo appendet e filis sericis rubris bulla aurea eadem atque in num. 96.

98.

Fridericus II, Romanorum imperator electus et Siciliae rex, Henrico Vladislavo, marchioni Moraviae, eiusque heredibus „Mocran et Mocran" cum omni iure et pertinentiis concedit et confirmat, salvo servitio, quod inde curiae imperiali debetur. *Basileae 1212 sept. 26.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A).

Balbin, Miscell. hist. reg. Bohem., Dec. I, l. VIII, vol. 1, pag. 164, num. 1 — Lünig, Des Teutschen Reichsarchivs tom. VI, Partis spec. cont. I, forts. 1, pag. 246, num. 147 — Dobner, Monum. hist. Boem. IV, pag. 254, num. 47 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 62, num. 53 — Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frider. II, tom. I, pag. 220 — Erben, Reg. Boh I, pag. 248, num. 533 (fragm.) — Jireček, Cod. iur. Boh. I, pag. 43, num. 26 — Bretholz, Mocran et Mocran, in Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch., Ergzbd. VI, pag. 253 et Zeitschr. f. Gesch. Mähr. u. Schles. V, pag. 319 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 673 — Imago phototypice expressa exstat in Kaiserurkk. in Abbild. fasc. VI, tab. 10[b].

Autographum ab eodem scriba exaratum et ab eodem auctore conscriptum est atque num. 96 et 97. — De diplomate uberius disseruit Bretholz l. l., qui nomina ‚Mocran et Mocran' *marchionatum Moraviae significare demonstrat.*

In nomine sancte et individue[a] trinitatis amen. ‖ Fredericus,[b] divina favente clementia Romanorum imperator electus et semper ‖ augustus, rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Cum decor[c] et potestas ‖ imperii nostrum precesserit statum, dignum tamen ac honestum arbitramur fore eorum votis uberius

97. *g)* ‚Basil' *A.* — *h) ita A.*

98. *a) inter* ‚in' *et* ‚dividue' *scriba eosdem punctos* (⁝) *posuit, quibus reliquae invocationis voces distinctae sunt A.* — *b)* ‚In — Fredericus' *litteris maiusculis ornatis scripta sunt A.* — *c)* ‚o' *ex* ‚b' *statim inter scribendum radendo corr. A.*

acclinare, quorum fidem ac devotionem circa universa negotia nostra promovenda integram ac inconvulsam certiori experientia didicimus. Inde est, quod nos advertertes[d] grata ac preclara devotionis obsequia, que Henricus, nobilis marchio Morauie, hactenus tam fideliter quam devote nobis exibuit ac etiam Domino largiente in antea est exibiturus, suis ad presens in quantum possumus respondere cupientes obsequiis, notum facimus tam presentibus quam in evum successuris, quod nos eidem marchioni et heredibus suis de nostre liberalitatis munificentia concedimus et confirmamus Mocran et Mocran[e] cum omni iure et pertinentiis suis, salvo servitio, quod inde curie nostre debetur. Ad huius autem confirmationis et concessionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Henrici de Parisius, notarii et fidelis nostri, scripbi[f] et bulla nostra aurea iussimus communiri anno, mense et indictione subscriptis.[g] Huius rei testes sunt: archiepiscopus Bari[h]; episcopus Tridentinus,[i] episcopus Basiliensis,[k] episcopus Constantiensis, episcopus Curiensis; abbas Augensis, abbas sancti Galli, abbas de Wiceburc, Bertoldus de Nisphe[l] regalis curie prothonotarius; comes Vlricus de Chiburc, comes Rodulfus de Habechesburc et langravius de Alsatia, comites Loduicus et Hermannus de Froburc; comes Warnerus de Hohenburc, Arnoldus nobilis de Wart, Rodulfus advocatus de Raprehteshiwilare et alii quam plures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo, mense septenbris,[h] quintedecime indictionis, regni vero domini nostri Frederici, illustrissimi Romanorum imperatoris electi et semper augusti, regis Sicilie quintodecimo.

Datum in nobili civitate Basiliensi[k] per manus Vlrici viceprothonotarii, sexto kalendas octobris,[m] feliciter amen.

Autographo appendet e filis sericis rubri coloris bulla aurea eadem atque in num. 96.

99.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, ecclesiae Pragensi terram in villa Babenice, quam Vitus de Babenice per vim occupatam tenuit, restitutam confirmat. — *1212* —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropolitani Pragensis asservatur (A).

---

98. *d) ita A (pro* ,animadvertentes'*). — e)* ,Mocrā' *A. — f)* ,ſcpbi' *A. — g) testium nomina, quae eodem modo atque in num. 96 in columnas disposita sunt, et nota temporis lineis magis contractis procul dubio alio atramento scripta sunt A. Cf. Ficker, Beitr. z. Urkundenlehre II, pag. 78. — h) ita A. — i)* ,tdentn⁹' *A. — k)* ,Basił' *A. — l) ita (loco* ,Nifphen'*) A. — m)* ,sexto kal. oct.' *nonnullasque alias voces in temporis nota in spatium vacuum relictum additas esse suspicatur Philippi, Zur Gesch. d. Reichskanzlei unter d letzten Staufern, pag. 69 et Kaiserurk. in Abbild., Text, pag 134; quam sententiam observatione mea comprobare non possum.*

Erben, Reg. Boh. I, pag. 249, num. 534 (fragm.).

Autographum manu scribae, quem nota ,Otakarus 3' signavimus, exaratum est; de quo vid. prooemium ad num. 27.

✝ ⁝ In nomine sancte[a] et individue trinitatis amen. Otakarus, dei gratia, qui et Premisel.[b] ⁝ || Notum esse volumus omnibus, tam presentibus, quam in futurum successuris, quod Uitus de Pabienizc, qui multo tempore in eadem villa Pabienizc terram ęcclesię || Pragensis ad aratrum violenter occupatam detinuit, volens in proprietatem sibi redigere, in presentia nostra et capituli Pragensis prefatum predium recognovit esse de proprieta||te predicte ęcclesię Pragensis. Nos autem regia auctoritate nostra, ne sepe nominata ęcclesią[c] in eodem predio in posterum ut hactenus aut gravaretur, aut aliquatenus posset impediri, prefatum predium, ut moris est, in foro proclamatum eidem ęcclesię libere restituimus. Ne autem hoc factum nostrum aliquis successorum nostrorum in irritum revocaret, presentem paginam munitione nostri sigilli iussimus roborari. Huius quoque rei hii sunt testes: Zlauco camerarius, Budiwoy iudex curie, Zbramirus, Bicen Jarohnewi, Boguzlaus Reinartich, Andreas prepositus Pragensis et cancellarius regis, Arnoldus decanus Pragensis, Johannes scolasticus, Uiteco archidiaconus Satcensis, Benedictus, Eppo, Martinus canonici Pragenses, Boguzlaus filius Zlauconis subcamerarius regis, Uvoizlaus notarius curie, Engelscalcus Wissegradensis canonicus et regis scriba. Acta[d] sunt hec anno MCCXII, epacta XV, indictione XV, concurrente VII.

Autographo appendet e scidula membranae sigillum regis de cera naturali confectum, quod eadem forma expressum est atque in diplomate num. 57. — In dextra membranae replicatae parte rima facta est, cui etiam alterum sigillum alligetur; quod sigillum numquam appensum esse videtur; atqui incertum est, cuiusnam sigillum illud fuerit.

100.

Fridericus II, Romanorum rex, civibus Cremonensibus omnia privilegia et iura ab avo et patre suo eis concessa confirmat. — Inter testes, „qui huic confirmationi interfuerunt", adferuntur: ,Odacarus rex Boemie' *et* ,Heinricus marchio Morauie'. *Apud Ratisbonam 1213 febr. 15.*

Böhmer, Acta imperii selecta, pag. 772, num. 1075 — Emler, Reg. Boh. II, pag. 1156, num. 2640. — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 689.

De his, quae tunc Ratisbonae acta sint, cf. ea, quae Sicardi Chronicon ap. Muratori, Script. rer. Ital. VII, pag. 623 refert: ,[Fridericus] postmodum apud Ratisponam solemnem curiam celebrans, a rege Bohemiae et ab aliis multis principibus fidelitates accepit.'

---

99. *a) genuine scriba* ,sce' *posuit, sed litteris* ,ce' *statim erasis, vocem sine compendio scripsit A — b) post hanc vocem in fine lineae spatium 57 mm continens verisimillime ad verba* ,rex Boemie' *addenda vacuum relictum est A. — c) ita A. — d)* ,Acta — conc. VII' *atramento magis distincto, sed statim eademque manu scripta sunt A.*

101.

Fridericus II, Romanorum rex, coenobii Berchtesgadensis protectionem suscipit eique omnes possessiones confirmat. — Inter testes: ‚Odakrius rex Boemię‘ *et* ‚Heinricus marchio Morauię.‘ *Apud Ratisbonam 1213 febr. 15.*

Monum. Boica XXX, pars 1, pag. 2, num. 601 — Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frider. II, t. I, pag. 243 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 249, num. 536. — Brandl, Cod. dipl. Mor. VII, pag. 718, num. 51. — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 690.

102.

Fridericus II, Romanorum rex, monasterium Scotorum sancti Jacobi Ratisbonae cum ecclesia sancti Petri in defensionis suae mundiburdium suscipit. — Inter testes: ‚Odacrius rex Boemię‘ *et* ‚Heinricus marchio Morauię.‘

Apud Ratisbonam 1213 febr. 16.

Monum. Boica XXX, pars 1, pag. 7, num. 602 (ex autogr.) — Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. I, pag. 246 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 249, num. 537 — Brandl, Cod. dipl. Mor. VII, pag. 718, num. 52 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 691.

103.

Fridericus II, Romanorum rex, universis imperii fidelibus per totam Lombardiam, marchiam Veronensem, Tusciam et Romaniolam constitutis significat se Fridericum episcopum Tridentinum constituere in istis partibus legatum suum generalem et ei vicariam ad tempus vitae eius in feudum concedere. — Inter testes: ‚Otackerius rex Boemie.‘ *Ratisbonae 1213 febr. 16.*

Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frider. II, t. I, pag. 249 — Monum. Germ. Leg. sect. IV: Constit. t. II, pag. 56, num. 45 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 692.

104.

Innocentius III papa Danieli II, episcopo Pragensi, scribit de convocando a se concilio generali ad exstirpanda ecclesiae vitia, reformandos mores et tollendas haereses, tum etiam ad suadendum principibus ac populis christianis succursum et subsidium pro Terra sancta recuperanda. Mandat ei, ut post duos annos et dimidium kalendis novembris[1] *ipsius conspectui se praesentet.*

Laterani 1213 apr. 19.

Epistula in eundem modum conscripta erat atque illa „Archiepiscopo et .. episcopis .. abbatibus et prioribus per Viennensem provinciam constitutis“ missa, cuius apographum exstat in Innocentii III regestorum vol. V, quod in tabulario secr. Vaticano (inter Reg. Vatic. t. VIII) asservatur, fol. 142, lib. XVI, ep. 30 (R).

104. 1) *1215 nov. 1. Concilium hoc celebratum est Laterani anno 1215 nov. 11—30; v. Potthast, Reg. pontif. I, pag. 437.*

Baluzius, Epp. Innoc. III, t. II, col. 756 = Migne, Patrolog. lat. t. 216, col. 823, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 250, num. 538 (fragm.) — Palacký, Ital. Reise, pag. 20, num. 47 (reg.) — Cf. Potthast, Reg. pontif. num. 4706—4708. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6140.

Daniele episcopo die 4 aprilis a 1214 mortuo, Andreas successor eius Romam ad concilium venit, quem ibidem a. 1215 nov. 22 (in die s. Ceciliae) in episcopum ordinatum esse Ann. Pragenses referunt; v. Font. rer. Boh. II, pag. 283. — Elenchus continens „Nomina cardinalium, patriarcharum, archiepiscopum, episcoporum, qui interfuerunt universali concilio Innocentii pape", quem ed. J. Werner in Neues Arch. d. Ges f. ält. deutsche Gesch. XXXI, pag. 586 praeter Pragensem etiam [Robertum] ‚Ulmocensem' *episcopum concilio interfuisse dicit. — Cf. et. Krabbo in Quellen u. Forschg. aus Italienischen Arch. u. Bibl. X, pag. 283.*

105.

Innocentius III papa „Pragensi episcopo[a] et abbatibus, prioribus et universis Christi fidelibus per Boemiam constitutis" de Terrae sanctae negotio scribit eosque ad subsidium evocat, magnas indulgentias illis qui crucem assumpserint promittens.

[1213 apr. 19—29]

Litterae in eundem modum conscriptae sunt atque illae „universis Christi fidelibus per Maguntinam provinciam constitutis" missae, quarum apographum exstat in Innocentii III regestorum volumine V, quod in tabulario secr. Vaticano (inter reg. Vat. tom. VIII) asservatur, fol. 140^{v}—141^{v} lib. XVI, ep. 28 (R).

Baluzius, Epist. Innocentii III, tom. II, pag. 752 = Migne, Patrolog. lat. t. 216, col. 817 — Potthast, Reg. pontif. num. 4725 — Cf.: Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6141.

106.

Robertus, episcopus Olomucensis, claustro monialium apud sanctum Petrum in Olomuc possessiones quasdam, quae accurate describuntur, donat eique decimas in villa Klopotovice remittit; Stephanum, praepositum Olomucensem, monasterii procuratorem constituit, iure patronatus episcopis Olomucensibus reservato.

Pragae 1213 —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropolitani Olomucensis asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 64, num. 56 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 252, num. 541 (fragm.).

Charta manu scribae, quem ‚Robertus 3' vocamus, exarata est. Idem scriba etiam nonnulla Přemysli Otakari I regis diplomata autographa scripsit, in quibus ipsum nota ‚Otakarus 5' signavimus. De quo quidem scriba vide prooemium diplomatis num. 59.

---

105. *a)* ‚archiepō' *scribae incuria habet R.*

C.‖In nomine sancte trinitatis et individue unitatis.‖ Ego Robertus, Olomucensis episcopus, regilio‖sis[a] dominabus manentibus aput sanctum Petrum, in perpetuum. Cum pium sit et honestum omnium‖paci providere, precipue tamen in hoc pietatis opus refulget, quociens religiosarum mulierum invigilamus secu‖ritati, que ad sui defensionem minus sunt potentes et alienis semper indigent presidiis. Noverint igitur tam presentes quam futuri, quod nos cum consensu capituli nostri religiosis dominabus, que manent in civitate Olomucensi ad sanctum Petrum muris ipsius ecclesie proxime et contigue,[b] contulimus terram ad duo aratra in villa, que vulgo vocatur Bvkowan, ad tercium aratrum in villa, que dicitur Reppsyn, et ortum quendam situm in fine eiusdem civitatis cum arboretis et suis attinentiis. Insuper quandam aream adiacentem claustro in Nowygradek, que extenditur usque in Morawam, eis addidimus simul cum molendino, quod curie nostre aliquando deserviebat. Indulsimus etiam eis decimas nostras in villa Klopothowich, quam dominus Stephanus, prepositus Olomucensis, emit per manum nostram eisdem dominabus pro LXX^{ta} marcis de licentia domini incliti regis Boemie[c] Otthacari et de consensu illustris marchionis Morauie Wladizsslai. Per quorum etiam benivolentie[d] affluentis largitatem et gratiam ipsa eadem villa facta est libera a communi tributo terre et ab omni violentia beneficorum,[a] ab introitu camerariorum et insultu indebito eorum et gravamine illicito exigendo quorumlibet malefactorum. Certum autem et fidelem procuratorem ad peticionem ipsarum dominarum, dominum prepositum Olomucensem Stephanum, pro ipsius prudenti provisione et diligenti illius loci subventione eis constituimus usque in finem vite sue. Jus autem patronatus debet spectare ad episcopum Olomucensem, quia in eius fundo domus illa est constituta. Ut autem hec omnia rata maneant et inconvulsa, hanc paginam nostro et capituli sigillo f[eci]mus[e] munîri et sub excommunicatione confirmari. Et ne livor in posterum ista possit irritare, notum sit omnibus, quod multô plu[ra bon]a conquisivimus ecclesie Olomucensi et ideo ista libere potuimus conferre. Huius rei testes sunt: Andreas[f] prepositus Pragensis, Johannes scola[sticus] Pragensis, Cristoforus archidiaconus Pragensis, Benezss nobilis Boemie,[c] Bawarus camerarius Olomucensis, Vithko cum fratribus Heinrico et iuniore Vithkone, Zauissa castellanus Olomucensis. Actum Prage anno[g] Domini millesimo CCXIII, indictione II.[1]

Autographo appendent e filis sericis purpurei coloris duo sigilla de cera naturali confecta: 1. sigillum Roberti episcopi, 2. sigillum capituli Olomucensis; quorum utrumque eadem forma expressum est atque sigilla chartae num. 78 appensa.

106. *a) ita A. — b) genuine* ‚proximis et contiguis‘, *sed utraque littera* ‚s‘ *erasa, eodem atramento correctum A. — c)* ‚Boem̄‘ *A. — d) genuine* ‚benivolente‘, *sed eadem manu statim correctum A. — e) litterae, quae hic et infra uncis clauduntur, cum membrana putrefacta perierunt A. — f)* ‚r‘ *ex* ‚e‘ *statim inter scribendum corr. A. — g)* ‚an̄n^{o}‘ *A.*

1) *Indictionem scriba perperam computavit, nam ad a. 1213 indictio I pertinet.*

107.

Fridericus II, Romanorum rex, Innocentio III papae concedit, ut electiones praelatorum et appellationes in causis ecclesiasticis libere fiant; antecessorum suorum consuetudini renuntiat de occupandis bonis praelatorum decedentium; auxilium contra haereticos pollicetur; ecclesiae Romanae possessiones ab antecessoribus suis detentas, quas iam illa recuperavit, dimittit; quas autem nondum recuperavit, se ad restituendas obligat atque ad defendendum pro ecclesia Romana regnum Siciliae, Corsicam, Sardiniam ceteraque iura, quae ad eandem pertinent. — Inter testes: ‚Odacrius Boemorum rex.'

Apud Egram 1213 iul. 12.

Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, tom. I, pag. 268 — Weiland, Constitutiones (Monum. Germ. Leg. sect. IV) t. II, pag. 58 sq. num. 46, 47, 48. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 252, num. 542 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 705.

108.

Fridericus II, Romanorum rex, domui sanctae Mariae Theutonicorum donationem a patruo suo rege Philippo factam de medietate patronatus ecclesiae de Mörle (in Wetterau) approbat et confirmat. — Inter testes: ‚Ottakarus rex Boemorum et frater suus Hainricus marchio Missinensis.[a]'

In castris apud —[1] 1213 oct. 19.

Autographum in tabulario Darmstadtensi asservatur (A).

Hennes, Cod. dipl. ord. s. Mariae Theuton. pag. 12, num. 14 (ex A) = Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. I, pag. 280 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 253, num. 543 — Brandl, Cod. dipl. Mor. VII, pag. 718, num. 53, — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 713.

Testium nomina diploma in expeditione Friderici regis in Saxoniam adversus Ottonem IV imperatorem datum esse docent. De qua quidem expeditione Reineri Leodiensis Chron. refert: ‚Fridericus puer collectis fautoribus suis, inter quos fuit dux Boemie et langravius [Thuringiae Hermannus], multisque aliis Saxoniam ingreditur, quam devastat bello et incendio, Ottone non valente resistere, sed infra Brunswic se detinente'; *Monum. Germ. SS. XVI, pag. 666. — Cf. et. Ann. Stadenses (Monum. Germ. SS. XVI, pag. 355):* ‚Rex Fridericus [imperatorem] cum Boemo sequitur Brunswich obsessurus, sed Quedlingeburg revertitur.' — *Magdeb. Schöppenchron. ed. Janicke, pag. 140:* ‚Dar na to sunte Gallen dage *[oct. 16]* quam koning Frederik hir to lande und hadde mer wenn sestich dusent volkes, de deden vienden und vrunden we; mit om weren Bemen und Mereren, lantvolk und vorsten.' *Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 712 a, b, c et 713 a.*

---

108. *a) ita scriptoris incuria A; quod mendum ita corrigendum est:* ‚marchio Morauie, Theodericus marchio Missinensis'; *v. Winkelmann, Philipp v. Schw. u. Otto IV v. Braunschweig II, pag. 347, not. 4.*

1) *Loci nomen in autographo omissum est; coniecturam* ‚Quedlinburg' *non esse probabilem optimo iure adnotat Ficker, Reg. imp. V, num. 713.*

109.

Henricus Vladislavus, marchio Moraviae, hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani possessiones in Moravia confirmat eique easdem libertates concedit, quas monasterium Velehradense habet. *In Prostějov 1213 dec. 31.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario magni prioratus Melitensium Pragensi asservatur (A).

Appendix synoptica ... continens ... anacephalaeosim ... privilegiorum ... ordini Melitensium concessorum, num. 13 (reg.) — Dobner, Monum. hist. Boem. IV, pag. 254, num 50 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 69, num. 61 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 254, num. 546 (extr.) — Delaville Le Roulx, Cartulaire géneral des Hospit. de St. Jean de Jérusalem II, pag. 160, num. 1417.

Autographum manu scribae, quem ‚Henricus Vlad. I' vocamus, exaratum est. Quem quidem scribam clericum ecclesiae Olomucensis verisimillime fuisse, in prooemio diplomatis num. 59 exposuimus. — Privilegii verba ab eodem auctore concepta esse videntur, qui diploma Otakari regis anno 1207 ecclesiae Olomucensi datum (num. 59) conscripsit. — Annos principatus in temporis nota chartae auctor perperam computavit.

In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. Ego Heinricvs qui et Wladizlaus, dei gratia marchio Morauie, domui hospitalis sancti Johannis || et eius fratribus in perpetuum. Sanum fore censens et condignum sanctarum ecclesiarum tranquillitati providere, in nullo credidi eis plus succurrere, quam earum || possessiones a cunctis vexationibus in quantum possum tutas reddere et eas perpetua libertate honorare. Noverint itaque tam presentes quam futuri, quod omnes || possessiones, quas domus sancti Johannis in tota Morauia possidet, vel adhuc est possessura, propter largam ipsorum circa pauperes, infirmos et peregrinos pietatem ab omni iure, quod ad me vel successores meos pertinet, absolvi, et ut a nullo in posterum super hoc impetantur statui. Sint ergo absoluti a iure, quod vocatur narez, nochlegh et powoz, et ab omni iure illo, pro quo dantur XIIII[cim] nummi. Insuper liberos esse volo ab illis nummis, qui dantur pro capite vel pro swod, et ab omni exactione, que spectat ad castrorum edificationes vel poncium secundum terre illius morem. Si quis hominum illius domus pro furto accusatus in causa ceciderit, vel etiam in furti actione fuerit deprehensus, bona furis domui remaneant, et ipse, cum adversario suo satisfecerit, pro capite suo gratiam meam inveniat. Nullus successor meus, vel terre mee inbeneficiatus, sive camerarius, sive iudex, sive ceteri officiales quocumque modo nominati, aliquid ab hominibus domus illius exigant vel eis novas consuetudines imponant. Omne ius, quod ego per fratrem meum Premisszl, regem Boemie, abbatie Welegradensi concessi,[1] etiam eidem domui concedo, volens eos perpetua securitate

109. 1) *Privilegium quidem iam deperditum est, sed quod ipso continebatur, probabili modo restitui potest ex iis, quae in confirmatione eius monasterio Velehradensi a. 1228 nov. 27 data cum Otakari I regis diplomate ecclesiae Olomucensi a. 1207 dato ad verbum consentiunt.*

gaudere. Ut autem hec rata omnia in futurum permaneant, hanc cartam meo sigillo feci insigniri; dominum autem episcopum Holomucensem rogavi, in cuius episcopatu possessiones ille site sunt, huius mee concessionis transgressores excommunicare, quod et ipse fecit;[a] ad quem semper domus illa in suis pressuris et iniuriis habeat recursum, ut ubi posterorum meorum in suis subiectis defuerit correctio, ipse[b] spiritalis[c] gladii ultione in malefactores animadvertat.[d]

Hec vero sunt nomina veridicorum testium huius rei: Rubertus episcopus Holomucensis, dominus Bolezslaus nepos meus, Hermannus abbas de Gradissch, Szifridus abbas Welegradensis, Stephanus[e] prepositus Holomucensis, Walterus decanus Olomucensis, Radozsslaus archidiaconus Olomucensis, Esau archipresbyter Prerowensis, Moyses archidiaconus Brechizlauensis, Bauarus camerarius Olomucensis, Zauissa burgravius Olomucensis, Bludo prefectus Prerouensis, Zulizsslaus dapifer, Doben iudex, Blag filius Blegonis, Scizlaus filius Zwar, Dubache,[f] Vitko filius Uitkonis, Dietricus cum filio Gruth, Leua iudex Bernensis,[g] Wernhardus de Tyrnâ, Immerammus burgravius de Znoem, Lutek, Olbram, Stephanus de Weuerin, Zudek, Rohche, Oness filius Blud,[h] Bogusszlaus filius Petri, Vitosszlav; capellani curie mee: Zssudek, Sdon, Johannes, Burchardus, Zuda. Acta sunt hec anno M^{o}CC^{mo}XIIII^{mo} dominice incarnationis, anno vero principatus mei XV^{mo}.[2] Data vero Prossteyow, II° kalendas ianuarii per manus Apollinaris curie mee prothonotarii.

Autographo appendet e filis sericis coloris rubri sigillum marchionis de cera naturali confectum, iam attritum et defractum, quod eadem forma expressum est atque secundum sigillum diplomatis num. 125. Sigillum non in membranae margine inferiore medio, sed aliquanto sinistrorsus appensum est; quod quidem ideo factum esse videtur, ut etiam aliis sigillis (fortasse regis et episcopi) suus relinqueretur locus. Sed sigilla illa nusquam appensa erant

110.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, petente fratre suo Henrico Vladislavo, marchione Moraviae, possessionibus hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani in tota Moravia, scilicet in Olomucensi, Znojmensi et Holasicensi provinciis, easdem libertates concedit, quas una cum eodem fratre suo monasterio Velehradensi concessit.

In Prostějov 1213 dec. 31.

Autographum in membrana scriptum in tabulario magni prioratus Melitensium Pragae asservatur (A).

---

109. a) ‚cit‘ *humore obscuratum A.* — b) ‚ipse‘ *iam vix legi potest A.* — c) *litterae* ‚ſpi‘ (with superscript ‚s') *iam paene evanuerunt A.* — d) *reliquum lineae spatium, 40 mm continens, vacuum restat.* — e) ‚Stephanus‘ *humore obscuratum A.* f) ‚e‘ *ex* ‚a‘ *eodem atramento corr. A.* — g) *ita A loco* ‚Brenensis‘. — h) ‚l‘ *ex* ‚i‘ *eod. atramento corr. A.*

2) *Recte XVII^{mo}.*

Appendix synoptica ... privilegiorum ... ordini Melitensium concessorum, num. 14 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 71, num. 72 (ex A) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 255, num. 547 (fragm.) — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. I, pag. 107, num. 159 (reg.) Kopetzky, Reg. z. Gesch. d. Hzgth. Troppau, Arch. f. österr. Gesch. 45, pag. 104, num. 15 (reg.) — Delaville Le Roulx, Cartulaire géneral des Hospit. de St. Jean II, pag. 161, num. 1418 (reg.).

Autographum manu scribae, quem nota ,Otakarus 5' (= ,Robertus 3' = ,Henr. Vladisl. 1') signavimus, exaratum est; cf. prooemium ad num. 59. — Diploma verba fere omnia privilegii Henrici Vladislavi, quod eadem die datum est (v. num. 109), paucis tantum additis repetit. — In temporis nota anni regni perperam computando effecti sunt, nam Otakari regis annus XV iam die 8 septembris 1213 exactus est.

‡ In nomine sancte trinitatis et individue[a] unitatis. ‡ Ego Premissl, dei gratia rex Boemorum, domui hospitalis sancti Johannis et eius fratribus in perpetuum. Cum nostre conveniat provi||dentie sanctarum ecclesiarum paci et quieti providere, in nullo credimus eis magis succurrere, quam ipsarum possessiones a cunctis vexationibus in quantum possumus tutas reddere et eas perpetua liber||tate honorare. Noverint itaque tam presentes quam futuri, quod omnes possessiones, quas domus sancti Johannis in tota Moravia, scilicet in Olomucensi, in Znoemensi, in Brenensi, in Golessicensi || provinciis, possidet vel adhuc est possessura, propter superhabundantem ipsorum circa pauperes, infirmos et peregrinos pietatem ab omni iure, quod ad nos vel successores nostros vel ad principes terre illius vel eorum successores pertinet, absolverimus, et ut a nemine super hoc in posterum impetantur, statuimus. Sint ergo absoluti a iure, quod vocatur narez, nochlegh et powoz, et ab omni illo iure, pro quo dantur quatuordecim nummi. Insuper liberos esse volumus ab illis nummis, qui dantur pro capite, vel pro swod, et ab omni exactione, que spectat ad castrorum edificationem * secundum terre illius consuetudinem. Si quis hominum illius domus pro furto accusatus in causa ceciderit, vel etiam in furti actione[b] fuerit deprehensus, bona furis domui remaneant et ipse, cum adversario suo satisfecerit, pro capite suo gratiam principis inveniat. Nullus princeps, vel terre illius inbeneficiatus, sive camerarius, sive iudex,[c] sive ceteri officiales quocumque modo nominati aliquid ab hominibus domus illius exigant, vel eis novas consuetudines imponant. Omne ius, quod nos cum fratre nostro Wladisslao, marchione Morauie, abbacie Welegradensi concessimus,[1] etiam eidem domui concedimus, volentes eos ad peticionem fratris nostri Wladisslai, prenominati principis Morauie, perpetua securitate gaudere. Ut autem hec omnia rata in futurum permaneant, hanc cartam nostre serenitatis sigillo fecimus insigniri et huius nostre constitucionis violatores pena graviori volumus mulctari. Dominum[d] autem episcopum Olomucensem rogavimus, in cuius episcopatu possessiones ille site sunt, huius nostre concessionis transgres-

110. *a) genuine scriba* ,unitatis' *scribere coepit, sed litteris* ,unit' *scriptis, errorem suum statim corrigens, primam litterae* ,u' *hastam radendo delevit et ex* ,it' *litteram* ,d' *fecit A.— b) genuine* ,accione', *sed eodem atramento corr. A. — c)* ,iudex' *in loco raso alio atramento alia eiusdem temporis manus scripsit A; prioris scripturae vestigia praeter unicam* ,d' *litteram iam discerni non possunt. — d)* ,Dnm' *eodem atramento eademque manu atque supra* ,iudex' *in loco raso scriptum est; de priori scriptura tantum litterae* ,l' *hasta adhuc discerni potest A.*

1) *Vid. pag. 103, not. 1.*

sores[e] excommunicare, quod et ipse fecit; ad quem semper domus illa in suis pressuris et iniuriis habeat recursum, ut ubi principum in suis subiectis defuerit correctio, ipse spiritalis gladii ulcione in malefactores animadvertat.[f]

Huius rei testis sum ego Wladizsslaus, frater regis, marchio Morauie, ad cuius peticionem et voluntatem dominus rex prescripta confirmavit, et ideo sigillum nostrum fecimus apponi.[g] Huius etiam rei testis sum ego Rubertus, Olomucensis episcopus, qui ad preceptum domini regis sigillum meum feci apponi.[g] Sunt et huius rei testes dominus Bolezsslaus nepos domini regis, dominus abbas Hermannus de Gradisch, dominus Sifridvs abbas Welegradensis, dominus Walterus decanus Olomucensis, dominus Stephanus prepositus Olomucensis, Radosslaus archidiaconus Olomucensis, Esav archidiaconus Prerouensis, Moyses archidiaconus Brecizsslauensis, Bawarus camerarius Olomucensis, Zauissa burgravius Olomucensis, Bludo burgravius Prerowensis, Doben iudex Olomucensis, Sulizsslaus dapifer, Dubache,[h] Blag filius Blegonis,[h] Scisslaw filius Swar, Oness filius Bludonis, Bogusslaus filius Petri, Vitko senior filius Uitkonis, Detrih filius Gruth, Gruth filius Detrici, Leua iudex Brenensis, Wernardus de Tyrnaw, Heinricus iudex, Olbram, Stephanus de Veueri, Emerammus burgravius de Znoem, Lutek, Sudek, Rohce,[h] Vittosslaw; capellani domini marchionis: Sdon, Suda, Purcardus, Johannes, Sudek.

Acta sunt hec anno millesimo CCXIIII[mo] dominice incarnationis, anno vero regni nostri XV[mo],[2] data vero Prosteyow, pridie kalendas ianuarii per manus Wlrici notarii nostri.

Autographo quatuor sigilla appendebant. Primum sigillum (quod fortasse Boleslavi nepotis regis erat) deperditum est. Secundum sigillum (Henrici Vladislavi marchionis) etiam avulsum et deperditum est. Tertium sigillum de cera naturali confectum, quod appendet e filis sericis coloris fusci et violacei, est Otakari regis sigillum idem atque in num. 57. Quartum sigillum de cera naturali confectum, quod appendet e filis sericis albis, rubris et viridis, est Roberti episcopi sigillum idem atque in num. 78.

111.

Ludovicus I, dux Bavariae, monasterio sanctae Mariae in Indersdorf praedium suum Neull cultum et incultum, ecclesiam cum hominibus et omnibus suis appendiciis donat „annuente et petente cognata sua Hailca,[1] quondam ducissa Boemiae“. *[ante 1214].*

Monum. Boica XIV, pag. 141, num. 37 (ex codice traditionum Undersdorfensium) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 256, num. 549 (reg.).

110. *e) genuine scriba* ‚trang‘ *scripsit, sed littera* ‚g‘ *erasa, statim inter scribendum correxit A. — f) reliquum lineae spatium 41 mm continens et tota linea proxima vacua relicta est. — g) subscriptio haec eadem manu atque totum autographum scripta est A. — h)* ‚e‘ *ex* ‚a‘ *eodem atramento corr. A.*

2) *Recte XVI.*

111. 1) *al. Helicha, filia Ottonis VII de Wittelsbach, uxor Conradi Ottonis ducis Bohemiae (1189—1191 sept. 9). Obitum eius ad diem 12 augusti adnotat necrologium Indersdorfense, Mon. Boic. XIV, pag. 169.*

112.

Theobaldus III, dux Časlavensis, Chrudimensis et Vratislavensis, metas inter villam suam, quae est in theloneo sita, et monasterii in Vilémov bona constituit eidemque monasterio quartam septimanam in theloneo Habry confert.

[1204 ex. — 1214 in.]

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii Břevnovensis asservatur (A).

Dobner, Monum. hist. Boem. VI, pag. 381 (Diplomatarium Wilemov.) num. 1 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 227, num. 499 (ad ann. cc. 1207).

Autographum manu quadam ignota scriptum est. — Charta nota temporis omnino caret; sed post mensem octobrem anni 1204 data esse videtur, cum Otakarus rex Philippi regis gratiam sibi reconciliasset et Theobaldus hereditatem suam denuo recepisset. Ante apr. 4 a. 1214 chartam esse confectam verba ‚Daniele pontifice existente‘ *demonstrant.*

Notum sit omnibus in Christum credentibus, tam posteris quam presentibus, quod ego Theodebaldus, dux Cazlawiensis et Hrudimensis ‖ et Wratizlauiensis,[a] in propria mea persona inter bona ecclesię beatorum apostolorum Petri et Pauli et ville mee, que est in theloneo ‖ sita, sub tempore Hermanni abbatis coram his testibus metas constitui: Alberto meo existente notario, ‖ Milota, Vbizlao, Glupen, Johanne de Sussic, Martino de Raic, Podoba, Stephano de Tuklek,[b] Balstin et eius duobus filiis, Ponata milite Petri castellani in Cazlaw, Nuzer milite Rudolfi iudicis. Insuper etiam coram hisdem testibus ob remedium anime mee eidem sancte ecclesie quartam septimanam in theloneo, quod Gabr nuncupatur, adiciens confirmavi, sex autem ad kastellanos ebdomadas pertinere decrevi. Quicumque autem hoc actum immutare presumpserit, potestate beatorum apostolorum Petri et Pauli connexus pene eterne dampnationis deputetur et cum angelis sathane in gehenna collocetur. Hec autem acta sunt tempore Premizl gloriosi regis Boemię, Daniele pontifice existente.[1]

Sigillum, quod procul dubio membranae scidula autographo appensum erat, iam deperditum est.

113.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Plasy donationem sex villarum, quarum nomina adferuntur, per Agnetem, nobilis Cunonis de Potvorov viduam, factam confirmat. *Pragae 1214 maii 15.*

Autographum in membrana scriptum in bibliotheca c. r. universitatis Pragensis asservatur (A). — Apographum saec. XVIII med. praebet F. B. Scheppl, Lapis sepulchralis fundatoris ... monasterii ... de Plassio (cod. ms. tabularii Musaei regni Boh.) pag. 61—62 (B).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 258, num. 552. — Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen XII, pag. 66, num 23 (reg.).

---

112. *a)* ‚cazlaw‘ et hruđ et wratizl‘ *A. — b)* ‚e‘ *ex* ‚a‘ *eodem atramento corr. A.*

1) *Obiit 1214 apr. 4 (teste necrologio Podlažicensi).*

Autographum manu scribae, quem ‚Otakarus 9' vocamus, exaratum est. Idem scriba etiam duo alia diplomata manu sua scripsit, quae etiam monasterio in Plasy ab Otakaro I rege a. 1219 dec. 6 et ab Venceslao I rege (sine a. et die, Erben, num. 787) data sunt. Scribam e clericorum monasterii Plassensis numero fuisse, verisimile est.

‖In nomine sancte et individue trinitatis.‖ Ego Premuzle, dei gracia Boemorum rex, universis Christi fidelibus, tam pre‖sentibus quam futuris in regno meo constitutis, notum facio, quod matrona quedam Agnes[a] nomine, nobilis cuiusdam Cunonis de Potuorou vidua, tempore ducatus mei villas quasdam deo et beate Marie[b] ‖ in Plaz ad commodum fratrum inibi Christo eiusque pie genitrici devote famulantium pro remedio anime sue, me presente ac venerabili Pragensi episcopo Heinrico,[c] cognato meo, aliisque non contempnende auctoritatis ‖ personis quam plurimis, perpetuo iure possidendas contradidit. Postea vero amore celestium sancti spiritus illustracione ardentius inflammata, crucis Christi vexillo signata, se suaque divine gubernationi committens, ac sexum fragilem virilis animi constancia devincens, loca passionis ac resurrectionis Jesu Christi salvatoris nostri in remissionem peccatorum suorum visitanda suscepit. Sed iam in procinctu itineris constituta, cum Pragam[d] devenisset, metuens, ne quod laudabiliter deo et Placensi monasterio contulerat, per pravorum hominum violentam invasionem, qui hoc sibi indebite usurpare attemptarent, aliquatenus violari deberet, cum venerabili prefate ecclesie abbate domino Alberto ad me accessit, et ut memoratam donationem privilegii mei testimonio iterato vellem confirmare, devotis precibus a regia liberalitate meruit optinere. Igitur votorum suorum compos effecta, et quod expostularat consecuta, nomina testium, quos secum pro maiori adhibenda cautione assciverat, nominaque villarum, quas donaverat, ut presenti pagine insererentur, rogavit; quod et impetravit. Hec sunt autem nomina villarum, quas cum omnibus pertinenciis suis Agnes,[a] vidua Cunonis de Potuorou, fratribus in Plaz condonavit[1]: Mozidliz, Huboki, Vpleuice, Vdrazka, Srubni, Wladmiriz. Facta vero[e] sunt hec anno dominice incarnationis MCCXIIII, regni mei anno XVII,[2] indictione II. Hii quoque sunt testes, qui presentes fuerunt: magister Johannes scolasticus, Clemens archidiaconus, Ebbo canonicus, Martinus canonicus, Vlricus canonicus, Dionisius canonicus, Engelscalcus, Milhozt, Zlauco camerarius, filius eius Bouzlaus, Witigo et frater eius Heinricus, Iwanus et Ernestus fratres. Datum per manum domini Andręę,[f]

113. *a)* ‚Agnes' *litteris maiusculis scriptum A.* — *b)* ‚Marie' *litt. maiusculis scr. A.* — *c)* ‚Heinrico' *litteris maiusculis scr. A.* — *d) ex* ‚Prage' *statim inter scribendum corr. A.* — *e)* ‚vero' *eodem atramento superscriptum A.* — *f)* ‚Andręę' *litteris maiusculis scriptum A.*

1) *Chartam donationis a. 1193 datam v. in Cod. dipl. r. Boh. I, num. 342. In qua quidem charta villarum Močidlce et Vladmiřice nomina non adferuntur; sed villas istas ab Agnete donatas esse, charta Roberti, episcopi Olomucensis, a. 1204 data (v. num. 48) comprobat.* — 2) *Annos regni a die 6 dec. a. 1197, quo Přemysl Otakarus ducatum Bohemiae iterum adeptus est, diplomatis auctor computasse, aut in computatione erravise videtur.*

maioris ecclesie prepositi, regalis aule cancellarii, in urbe Praga, idus maii.[g] Si quis hoc scriptum immutaverit aut violaverit, quinquaginta libras auri pro recompensacione dampni iam sepe dicte eccllesie[h] fratribus dabit.

Autographo appendet e filis sericis albis et rubris Otakari regis sigillum de cera coloris fusci confectum, cuius parva pars defracta periit. Quod quidem sigillum eadem forma confectum est, atque sigillum diplomatis num. 57.

114.

Fridericus II, Romanorum rex, hospitali sanctae Mariae Theutonicorum hospitale pauperum in civitate sua Altenburg situm in perpetuam proprietatem donat. — Inter testes: ‚Odakarus rex Boemie.‘

Apud Egram 1214 iun. 2.

Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. I, pag. 299 (ex autogr. tabularii reg. Dresdensis) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 732 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 258, num. 553.

115.

Fridericus II, Romanorum rex, hospitalis in Altenburg protectionem suscipit eiusque bona confirmat. — Inter testes: ‚Ottgorus, khonig zu Behemen.‘

Apud Egram 1214 iun. 3.

Posse, Cod. dipl. Saxoniae regiae, I Hauptth. tom. III, pag. 144, num. 191 (tantum testes, ex translatione germanica saec. XIV) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 733.

116.

Fridericus II, Romanorum rex, monasterii Waldsassen, quod in praedio suo situm est, protectionem specialem suscipit eiusque libertatibus renovatis atque confirmatis, commemorat: „Hac autem speciali libertate predictum monasterium propter agrorum nimiam sterilitatem et frequentes Bohemorum insultus specialiter duximus relevandum.“

Apud Egram 1214 iun. 10.

Monum. Boica XXXI, ps. 1, pag. 485, num. 255 (ex apogr. vidim. a. 1309 iul. 4 in tabul. regni Bavariae Monacensi) — Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, tom. I, pag. 302 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 259, num. 555 — Gradl, Monum. Egrana I, num. 133 (reg.) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 735.

117.

Fridericus II, Romanorum rex, pacis atque amicitiae foedus cum Waldemaro, Danorum rege, instituit. — Inter testes: ‚Othecarus rex Boemie.‘

Mettis 1214 [dec. ex.]

113. *g)* ‚idus maii‘ *in spatium, quod genuine vacuum relictum erat, eadem manus addidit A. — h)* ‚eccl̅l̅e‘ *A.*

Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, tom. I, pag. 347 — Urkksammlung d. Schleswig-Holstein-Lauenburg. Gesellsch. II, pag. 129 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 259, num. 556 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 773.

Autographum quidem Mettis confectum esse, sed scribam in ipso conficiendo usum esse minuta iam antea conscripta, cui testium nomina, annus atque indictio iam inscripta erant, optimo iure exponit Ficker l. l. — Otakarum regem iam Egrae mense iunio (v. num. 114—116) assensum dedisse, eiusdem auctoris verisimilis est coniectura.

118.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Milevsko villarum Bílina, Pozřetín et partis villae Kdešice, quas quondam monasterio illi pro sexaginta marcis argenti pignoris nomine obligavit, possessionem confirmat.

Pragae 1215 ian. 6.

Autographum in membrana (nunc passim lacerata) scriptum in tabulario castri Vorlík asservatur (A).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 259, num. 558 (fragm.).

Autographum manu scribae, quem nota ,Otakarus 10' signamus, exaratum et ab ipso verbis contextum est. Idem scriba etiam chartarum, quas monasterium in Milevsko anno 1216 iun. 20 ab Andrea, episcopo Pragensi, et a. 1218 ian. 15 ab Otakaro rege atque a Behano abbate de Ostrov (sine anno et d.) accepit, autographa manu sua exaravit. Communis haec chartarum origo, quae a variis personis uno eidemque monasterio datae sunt, indicio est, ipsarum autographa a quodam monasterii illius scriba confecta esse.

✠ n[a] nomine patris et filii et spiritus sancti. ✠ Premyzcel, de[i favente c]lementia[b] rex Boemorum. Noverint ‖ omnes fideles nostri presentes et futuri, quod nos ante annos quam plures,[1] mediantibus viris honestis,[c] ‖ scilicet Růperto Holomucense episcopo, Tsyrnino camerario et fratre eius Dyrzyzlao, duas villas, quarum una ‖ vocatur Belin, altera Pozretin, et[d] in tercia, quę dicitur Kdessici,[e] partem, quę nobis competebat, obligavimus abbati de Myleuzko[2] pro sexaginta marcis argenti; dantes fidem nostram in manus eorum, quos iam commemoravimus, sub tali forma: ut si condicto termino, videlicet in festo beati Vencezlai, quod tunc inminebat, pecunia non solveretur, ipsę villę deinceps perpetuo manerent pref[atę] ęcclesię, tum pro eodem debito, tum pro animę nostrę remedio. Quas villas taliter a [nobis obligatas ipsi] regali auctoritate confirmamus et quiete possidendas decernimus. Ut autem hec nostrę au[ctoritatis donatio firma] et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscribi et sigillis, tam nostro quam

118. a) *ante* ,n' *spatium ad litteram* ,I' *supplendam vacuum relictum est A.* — b) *Quae hic et infra cum membrana destructa perierunt, restitui ex Otakari regis charta, quae anno 1218 ian. 15 eidem monasterio data est (v. num. 153).* — c) ,i' *ex* ,l' *eod. atramento corr. A.* — d) ,e' *ex* ,i' *statim inter scribendum corr. A.* — e) ,ici' *ex* ,ut' *radendo corr. A.*

1) *Inter annos 1205—1211 villas, quarum nomina adferuntur, obligatas esse, ex eo cognosci potest, quod hoc Černíno camerario mediante factum est.* — 2) *Gerlaco.*

reg[inę, iussimus robora]ri. Data Pragę in die ępyphanię per manum Anselmi notarii, anno dominicę incarna[tionis millesimo ducentesimo qui]ntodecimo inchoante, regni vero domini Premyzlonis septimodecimo. Quicumque hec cassaverit, [an]athema sit.

Autographo adpensa erant filis sericis albis et rubris duo sigilla, quorum tantum primum superest. Quod quidem sigillum Otakari regis est, eadem forma expressum atque in num. 57.

119.

Fridericus II, Romanorum rex, monasterii Pegaviensis protectionem suscipit eiusque iura confirmat et auget. — Inter testes: ‚Othekarus rex Bohemie' *et* ‚Vladislaus marchio Moravie.'

Apud Egram 1215 mart. 2.

Chroust in Neues Archiv d. Ges. f. ält. deutsche Gesch. XVI, pag. 146 (e cod. saec. XV bibl. c. r. aul. Vindob. 5077 fol. 447) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 14654.

Nota temporis quidem annum 1214 praebet, sed diploma recte ad a. 1215 pertinere, tam nomen loci, quam indictio III testimonio est.

120.

Fridericus II, Romanorum rex, familiari suo Berardo, archiepiscopo Panormitano, propter nimias iacturas, quas ecclesia eius sua occasione perpessa est, concedit et confirmat in perpetuum Caccabum cum omni iure, attinentiis et terminis eius. — Inter testes: ‚Arnoldus decanus Bragensis.'

Apud Spiram 1215 apr. 23.

Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Friderici II, tom. I, 2, pag. 373. — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 793.

121.

Theodericus, marchio Misnensis, fratres monasterii de Porta a thelonei persolutione et conductus iure liberos et immunes in perpetuum statuit. — Inter testes: ‚Dominus Typoldus filius Typoldi ducis Boemie.'

Groitzsch 1215 dec. 18.

Posse, Cod. dipl. Saxoniae I Hauptth., tom. III, pag. 159, num. 213.

122.

Theodericus, marchio Misnensis, donationem praedii Zadel a diversis personis monasterio in Altzelle factam litteris suis comprobat. — Inter testes: ‚Wrezzlaus filius regis Bohemie.'

Dresdae 1216 ian. 21.

Posse, Cod. dipl. Saxoniae regiae I Hauptth., tom. III, pag. 162, num. 217 (ex autogr. tabularii Dresdensis).

123.

Innocentius III papa Andreae episcopo atque Vecemilo et Martino canonicis Pragensibus mandat, ut causam inter abbatem monasterii in Milevsko et Johannem filium Zbraslavi, qui partem cuiusdam silvae monasterii eiusdem detinet occupatam, fine debito terminent. *Laterani 1216 ian. 28.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario in Třeboň asservatur (A).

In autographi tergo ad superiorem marginem eodem atramento eadem fere manus adnotavit: ‚Hermanus‘, *sub quo nomine signum* ☆ *posuit. In tergi parte inferiore alia cancellariae apostolicae manus adnotavit:* ‚De Mileuzko.‘

Innocentius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri ..[1] episcopo et dilectis filiis Vecemilo et Martino canonicis ‖ Pragensibus salutem et apostolicam benedictionem. Significante ..[2] abbate de Mileuzko nobis innotuit,[a] quod J.[3] filius Zbrazlai, | Pragensis diocesis, partem cuiusdam silve, ad suum monasterium pertinentem, in eiusdem detinet monasterii ‖ preiudicium occupatam. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione postposita, statuatis; facientes quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per districtionem eandem, appellatione remota, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Laterani, V kalendas[b] februarii, pontificatus nostri anno octavodecimo.

Autographo appendet e filo canabino Innocentii III bulla eadem, cuius imaginem praebet Diekamp in Mitth. d. Instituts f. österr. Gesch. III, tab. ad pag. 626 num. 5 et 27.

124.

Innocentius III papa „certis iudicibus mandat, ut inquirant de quadam magna summa pecunie per [Danielem] quondam episcopum Pragensem[1] congregata in subsidium Terre Sancte, penes quos esse noscatur, et referant“.

[Perusii 1216 cc. maii.]

Litterae deperditae sunt; argumentum tantum servavit rubricarum regestri Innocentii III papae anni XVIII et XIX elenchus ap. Theiner, Vet. mon. Slavor. merid. I, pag. 69, num. 175 = Potthast, Reg. pontif., num. 5278. — Cf. Höfler in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen VII, pag. 145.

---

123. *a)* ‚innouit‘ *A, sed* ‚t‘ *superscripta iam paene evanuit. In sequenti litterarum parte scripturae vestigia passim iam oculis vix consequi possunt, sed lectiones, quas damus, omnes certissimae sunt. — b) litterae* ‚kl‘ *iam paene evanuerunt A.*

1) *Andreae.* — 2) *Gerlaco.* — 3) *Johannes.*

124. 1) *Obiit 1214 apr. 4.*

Epistulae, ad quas rubricae num. 171 et 176 ap. Theiner l. l. (= Potth. 5274 et 5279) spectant, mense maio anni 1216 datae sunt (vide Hampe in Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. XXIII, pag. 565 sq., num. 22 et 23). Itaque epistulam, cuius argumentum rubrica num. 175 praebet, eodem fere tempore datam esse, verisimilis est coniectura.

125.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Plasy praedium Nynice, quondam ab Ulrico de Litice donatum et per Protivam, Ulrici fratrem, primo in irritum vindicatum, deinde restitutum, confirmat.

Pragae 1216 iun 8.

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A). — Apographum saec. XVIII medii praebet F. B. Scheppl, Lapis sepulchralis fundatoris ... monasterii ... de Plassio (cod. ms. in tabulario regni Boh.) pag. 70–72.

Dobner, Monum. hist. Boem. IV, pag. 255 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 86, num. 70. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 265, num. 566 (frgm.). — Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen XII, pag. 67, num. 25 (reg.).

Autographum manu scribae, quem ,Otakarus 9a' appellamus, exaratum est. Quae quidem manus tam prope accedit ad similitudinem litterae illius scribae, quem nota ,Otakarus 9' signavimus (v. num. 113), ut utrumque e numero monachorum eiusdem monasterii fuisse, verisimilis sit coniectura. — Quae minoribus litteris imprimuntur, ex Vladislavi I regis diplomate spurio anno 1146 aug. 5 dato (CDBoh. I. num. 396) descripta sunt.

(C.) ‖ In nomine sancte et individue trinitatis. Primuzle, dei gracia Boemorum rex, unversis[a] Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, in perpetuum. ‖ Cum omnes in Christo pie viventes debito divini precepti teneantur, ut pauperes eius et maxime eos, qui spreta omni terrena ambicione ardenciori desiderio ‖ amori dei adheserunt, fovere, amplecti atque manutenere debeant: specialiter tamen convenit nobis, qui ex dei largitate * honoribus ac dignitatibus pre ceteris in ‖ hoc mundo locupletati et adaucti sumus, huiusmodi viros * devotione bone conversationis probatos nostre protectionis clipeo defensare ac bona ipsorum, non solum que a nobis, verum etiam ab aliis eis collata sunt, nostre circumspectionis vigilancia inconvulsa conservare et custodire. Proinde notum esse volumus, tam futuri quam moderni temporis, vere fidei cultoribus, quod fidelis noster bone recordationis Vlricus de Lvtiz, in extremo mortis articulo constitutus, pro remedio anime sue et progenitorum suorum contulit ecclesie beate Marie in Plaz predium quoddam nomine Niniz cum omnibus pertinenciis suis, cum pratis, terris, nemoribus et pascuis et omnibus aliis libertatibus et inmunitatibus suis. Quo defuncto, Prothiwa, germanus eiusdem, consilio quorumdam infidelium deceptus, salubre factum aliquamdiu inpedire atque in irritum revocare conatus est. Quod et fecit. Tandem divino timore pariter et amore nostraque ammonitione correptus, in communi colloquio Boemorum Prage habito, presentibus venera-

125. a) *ita* (,unu'sis') *scribae errore loco,* ,universis' *A.*

bilibus episcopis, domino Andrea Pragense ac domino Rŭberto Olmucense,[b] presente nichilominus dilecto fratre meo W.[1] marchione Morauie, aliisque quam pluribus, tam clericis quam laicis, non contempnende auctoritatis personis, prefatam donationem prenotate ecclesie fratribus, tam ipsis quam eorum successoribus, in remissionem peccatorum suorum perpetuo iure possidendam contradidit. Ut igitur hec actio firma et illibata permaneat, potestatis mee et domini Pragensis episcopi Andree nec non domini Rŭberti, Olmucensis[b] antistitis, et fratris mei Wladizlai, Morauiensis marchionis, auctoritate cum sigillorum nostrorum inpressione et presentis pagine conscriptione confirmandam statui atque corroborandam.[c] Quod si qua in posterum ecclesiastica secularisve persona hanc * donationis dotem sciens instinctu diaboli violare vel aliterquam contra eorum voluntatem immutare temptaverit, secundo terciove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, ecclesiastice districtioni et eterne dampnationi se subiacere noverit. Facta sunt autem hec anno dominice incarnationis MCCXVI. Hii sunt testes, qui presentes fuerunt, quando dominus Albertus abbas Plazensis prememoratam villam recepit: Andreas Pragensis episcopus, Rubertus Olmucensis,[d] Wladizlaus marchio Morauiensis, Martinus canonicus Pragensis, magister Johannes scolasticus, Slauco camerarius, Jheros, Benes, Marquardus frater ipsius, Budiwoi filius Scecesh, Heinricus filius Withigonis, Chotibor, Herdebor, Olen et Drizlaus filii Thimonis, Shepan de Lucowiz,[e] Magnus filius Ottonis de Wrzan, Hermannus de Niniz, Zawis filius Withigonis, Dalabor[f] iudex curie,[g] Scaztiloi filius Smil, Willehelmus socer Prothiwa,[f] Borutha, Stibor de Loz, Slawath.

Scriptum est hoc privilegium anno regni nostri XVIII, pontificatus[h] domini Andręę secundo, consecrationis eiusdem primo.

Datum per manum domini Ebbonis, Pragensis ecclesie prepositi, regalis aule cancellarii, in urbe Praga, sexto idus iunii.[i] Amen.

Autographo appendent e filis sericis quatuor sigilla de cera naturali confecta. 1) *Filis coloris rubri appensum est sigillum Roberti, episcopi Olomucensis, idem atque in num. 78.* — 2) *Filis viridis appensum est sigillum formae rotundae, cuius diametros 75 mm sunt. In sigillo eques conspicitur in sinistram partem se ferens, qui manu dextra hastam cum vexillo, sinistra scutum, cuius imago leonis figura est, pro pectore tenet. Circumscriptio:* ✠ H·EINRICVS D·E·I GRACIA MARCHIO · MORAVIE. — 3) *Filis rubris appensum est sigillum Otakari regis idem atque in num. 57.* — 4) *Filis viridis appendet sigillum formae ex longo rotundae (alt. 60 mm, lat. 37 mm), in quo episcopus in solio sedens depingitur, qui manu dextra ad benedictionem elata, sinistra pedum tenet. Circumscriptio:* ✠ SIGILL · ANDREE · DEI GRA · PRAGENSIS EPI.

---

125. *b)* ,Olm̄' *A.* — *c) litterae* ,boradā' *in loco raso eadem manu arte scriptae sunt A.* — *d)* ,Olmuc̄' *A.* — *e)* ,c' *ex* ,t' *radendo corr. A.* — *f) ita A.* — *g) reliqua nomina testium* ,Scaztiloi — Slawath' *alio atramento magis diluto, sed eadem manu addita sunt A.* — *h) ante hanc vocem litterae* ,c' *erasae vestigia conspiciuntur A.* — *i)* ,sexto id iunii' *eodem atramento atque nomina, de quibus in nota g) dictum est, in spatium vacuum relictum eadem manus addidit A.*

1) *Vladislavo.*

126.

Andreas, episcopus Pragensis, attestatur Henricum episcopum tres villas episcopales Georgio de Milevsko pro quatuor villis eius permutando dedisse, ut monasterium in Milevsko dotare posset; idemque cum Gerlaco, abbate de Milevsko, de villa Stranné, quam ei Daniel episcopus quondam sine capituli communi consensu vendidit, pactionem facit, ut abbas centum marcas ecclesiae Pragensi persolvat. *Pragae 1216 iun. 20.*

Exstant duo autographa in membrana scripta, quorum unum (A¹) in tabulario Třebonensi, alterum (A²) in tabulario castri Vorlík asservatur.

Erben, Reg. Boh. I, pag. 265, num. 567 (frgm.).

Utrumque autographum manu eiusdem scribae monasterii in Milevsko, quem in Otakari regis diplomatibus nota ‚Otakarus 10' signamus, exaratum est; cf. prooemium ad num. 118. In charta conscribenda scriba diploma Přemysli Otakari regis eidem monasterio a. 1207 datum (v. num. 75) adhibuit, e cuius altera parte arengam descripsit.

✝ ‖ In nomine sanctę et individuę[a] trinitatis amen. Andreas, ‖ dei gratia sanctę Pragensis ęcclesię[b] episcopus, universis ęcclesię filiis presentibus et futuris.[c] ‖ Cum militia hominis brevitate temporis coartetur, ne bonę[d] fidei contractus processu temporis[e] humanam memoriam excedentes in dubium aut in irritum revocentur, ‖ nonnumquam roborati litterarum testimonio perpetuantur. Vivit enim littera et per eam vivunt diutius actiones. Proinde notum voluimus[f] fieri omnibus presentium ‖ inspectoribus et maxime successoribus nostris episcopis Boemię,[g] quod olim, sicut veraci multorum relatione accepimus, Georius de Myleuzk, cum pro ecclesia fundanda pium concepisset[h] desiderium, impetravit a predecessore nostro, domino Heinrico, felicis memorię[i] Pragensi episcopo, dari sibi in concambio villulas episcopales, dictas Dobrotessic, Mymonowic, Graycowic cum omnibus attinentiis suis et quecumque in predio ipsius erant, quibus ęcclesia[k] sua comode carere non posset, pro villis ęque bonis, sed a claustro remotis, quarum una dicebatur Ztrana, altera Bratreio, tercia Zbudko, quarta Chratna.[l,1] Quod concambium inter eos de bona voluntate factum, quousque ambo vixerunt, sine omni interpellatione firmum et inconvulsum tenuerunt. Verum post mortem amborum episcopus Daniel, successor domini Heinrici nosterque decessor, nactus occasionem ex vastatione predii Ztranem, quod latrones spoliaverant, fecit interruptionem in magnum abbatis et ęcclesię Myleucensis[m] preiudicium; deinde preter comunem capituli consensum predictum Ztranem

126. *a) genuine* ‚indivę', *sed statim inter scribendum corr. A¹. — b)* ‚ecclesie' *A². — c) reliquum lineae spatium 13 cm continens vacuum relictum est A¹. — d)* ‚bone' *A². — e)* ‚tepis' *A¹. — f)* ‚volumus' *A². — g)* ‚Boemie' *A². — h)* ‚ↄcepiſſ&' *in loco raso eadem manus eodem atramento scripsit A¹. — i)* ‚memorie' *A². — k)* ‚ecclesia' *A². — l) ita A¹ et A²;* ‚Chrazna' *haec villa in episcopi Henrici charta appellatur. — m)* ‚ecclesie Milevcensis' *A².*

1) *Chartam Henrici episcopi, quae a. 1184 data est, vid. in Cod. dipl. Boh. I, pag. 273, num. 303.*

episcopus temere vendidit, abbas incaute coemit. Rem igitur perperam gestam sub dissimulatione quadam in diebus episcopi ob reverentiam ipsius preterivimus, sed post obitum eius nos episcopatum Domino promovente adepti, quamvis abbatem in aliis diligeremus, quamvis labores et sumptus eius pro nobis expensos satis acceptaremus, tamen gravamen ęcclesię nostrę,[n] quam ultra dimidiam iusti precii deceptam fuisse intelleximus, tolerare nullo modo valuimus; ex alia vero parte laboribus Mileucensis ęcclesię compatientes, ad arbitrium fratrum nostrorum inclinati, conditionem abbati eiusdem loci talem interposuimus, ut aut summam centum marcarum pro indempnitate ęcclesię nostrę[n] solveret, aut contractum minus legitime celebratum rescinderet. Qui longa deliberatione habita, tandem ad solutionem predictę summę,[o] C videlicet marcarum, se obligavit; quas statim designavimus domino Groznatę,[p] preposito de Teppla, pro predio dicto Pribram, quod ab eodem emimus pro CCC[tis] marcis. Sane compositionem hanc cum predicto abbate et fratribus eius in Pragensi capitulo de consensu et conniventia fratrum nostrorum fecimus, promittentes ei et ęcclesię suę[q] bona fide sub testimonio Christi et ęcclesię a nobis et a successoribus nostris omnem deinceps securitatem et indempnitatem pro hac videlicet causa, quę[r] tam rationabiliter a nobis est decisa. Ut autem hec nostrę[n] auctoritatis ordinatio magis ac magis robur firmitatis obtineat, secundum potestatem, quam a Domino accepimus,[s] bannum episcopale interposuimus et hanc cartulam tam nostro, quam[s] Pragensis ęcclesię[t] sigillis munivimus et testimoniis fratrum nostrorum, qui eidem ordinationi interfuerunt, corroboravimus. Quorum nomina sunt hec: Eppo prepositus Pragensis et regis Boemię cancellarius, Johannes scolasticus et eiusdem ęcclesię cancellarius, Walquinus, Bohuzlaus, Myrozlaus,[u] Wecemilus archidiaconus Bechinensis, Dryzyzlaus[v] archidiaconus Ssatcensis, Pribizlaus[x] archidiaconus Plisnensis, Zcyzlaus archidiaconus de Hôrzcov, Mathevs, Benedictus archidiaconus de Belina, Martinus, Orso, Pribizlaus,[y] Nepr, Clemens archidiaconus Zyrcinensis, Johannes archidiaconus Curimensis, Vͦlricus, Johannes, Sdyzlaus[z] archidiaconus Gratcensis.[aa] Facta sunt hec in capitulo Pragensi XIIͦ kalendas iulii, anno dominicę[bb] incarnationis millesimo ducentesimo sexto decimo, concurrente quinto, epacta nulla. Data Pragę[cc] per manus magistri Johannis, scolastici eiusdem ęcclesię[dd] et cancellarii, anno pontificatus domini Andreę primo, indictione quarta.

Autographo A^1 appendet e filis sericis rubri et viridi coloris fragmentum sigilli Andreae episcopi, quod de cera naturali eadem forma confectum est atque quartum sigillum diplomatis num. 125. Alterum sigillum, quod e filis sericis eiusdem coloris appendebat, iam deperditum est. — Autographo A^2 appensa sunt filis sericis rubri et flavei coloris duo

126. *n)* ‚nostre' *A^2*. — *o)* ‚predicte summe' *A^2*. — *p)* ‚Groznate' *A^2*. — *q)* ‚ecclesie sue' *A^2*. — *r)* ‚que' *A^2*. — *s)* ‚accepimus — quam' *in loco raso eadem manus eodem atramento scripsit A^1*. — *t)* ‚ecclesie' *A^2*. — *u)* ‚Mirozlaus' *A^2*. — *v)* ‚Drizyzlaus' *A^2*. — *x)* ‚Prsibizlaus' *A^2*. — *y)* ‚l' *ex* ‚a' *statim inter scribendum in loco raso corr. A^2*. — *z)* ‚Sdizlaus' *A^2*. — *aa)* ‚Gracensis' *A^2*. — *bb)* ‚domi nice' *A^2*. — *cc)* ‚Prage' *A^2*. — *dd)* ‚ecclesie' *A^2*.

sigilla de cera naturali confecta. Quorum primum est sigillum Andreae episcopi integrum, idem atque in num. 125. Alterum autographi A² sigillum, iam fractum, est formae rotundae (diametros cc. 75 mm). In sigillo duo arcus depinguntur. In sinistro arcu, sub quo figura episcopi conspicitur, haec inscriptio est: S. ADA[LB RT]. *In arcu dextro, sub quo figura sancti Venceslai conspicitur, haec inscriptio est:* S. WENCEZLA. *Circumscriptio autem haec est:* ✠ SANCTA : PRAGENSIS : ECCLESIA. *Imaginem sigilli dedit, Podlaha, Knihovna kapitulní v Praze, pag. 289, num. 337.*

127.

Fridericus II, Romanorum rex, Venceslai, filii Otakari I regis, electionem in regem Bohemorum confirmat. *Apud Ulmam 1216 iul. 26.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A).

Goldast, De regni Boh. privilegiis commentarii. Append docum. (ed. 1627) pag. 23; (ed. 1719) col. 29, num. 14 — Habernfeld, Bellum Bohemicum, pag. 79 — Balbin, Miscell. hist. Bohem. dec. I, lib. VIII, pag. 8, num. 9 – Lünig, Teutsch. Reichsarch., tom. VI, part. spec. cont. I, forts. 1, pag. 5 — Mencke, Script. III, pag. 1713 — Sommersberg, Scr. rer. Siles. 1, pag. 925 (Diplomatarium Boh.-Siles.), num. 7 — Ludewig, Reliq. manuscr. tom. XI, pag. 288 (ex Chron. Pulkavae) — Dobner, Monum. hist. Boem. III, pag. 212 (ex Chr. Pulk.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 88, num. 71 — Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, tom. I, pag. 478 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 266, num. 568 — Jireček, Cod. iuris Bohemici I, pag. 43, num. 27 — Weiland, Constitutiones (Mon. Germ. hist., Leg. sect. IV) tom. II, pag. 73, num. 59 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 874.

Autographum idem scriba italicus manu sua exaravit, qui etiam Friderici regis privilegium a. 1215 m. iulio hospitali ordinis Teutonicorum in Barletta datum (Böhmer-Ficker, num. 818) scripsit; v. Philippi, Zur Gesch. d. Reichskanzlei unter den letzten Staufern, col. 21, nota 1. — In membranae parte replicata manus quaedam posterior adnotavit: ‚℞ p(er) Joh(ann)em de Glacz. III'; *quae nota ad Karoli IV confirmationem a. 1348 apr. 7 datam (Huber, Reg. imp. VIII, n. 644) spectat.*

⁞Fredericus⁞ secundus, divina favente clementia Romanorum rex semper augustus et rex Sicilie.‖ Si specialibus et expertis fidelibus et dilectis nostris gratiam facimus specialem, non est indignum,‖ set consonat omnimodis equitati. Eapropter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris‖ imperpetuum notum esse volumus, quod misso ad presentiam nostram Benedicto, venerabili archidiacono Belinensi,[a] exposuerunt celsitudini nostre dilecti fideles nostri Henricus, marchio Moravie, et universitas magnatum et nobilium Boemie, quod communi voluntate et assensu dilecti nostri Odacrii, illustris regis Boemie, elegerunt in regem eorum Vencezlaum,[b] filium ipsius regis Boemie primogenitum. Propter quod maiestati nostre attentius supplicarunt, ut electionem ipsius Vencezlai[b] ratam haberemus et firmam, et eidem nostrum benignum impertiremur assensum. Nos autem, quia votive supplicationis huius affectum ex magne fi-

127. *a)* ‚Belin̄' *in loco raso alio atramento fortasse alia manus scripsit A.* — *b) littera* ‚c' *superscr. A.*

delitatis ardore novimus provenire, considerantes sinceritatem fidei et pure devotionis ipsius Odacrii, regis Boemie, quam erga maiestatem nostram hactenus habuisse dinoscitur, attendentes etiam obsequia filii sui Vencezlay,[b] dilecti sororii nostri, que nobis et imperio fideliter poterit exhibere, de solita gratia nostra et consilio principum et magnatum imperii, qui tunc circa nos existebant, electionem prephatam ratam habemus et firmam, et concedimus eidem Vencezlao [b] totum regnum Boemie cum terminis et omni iure et honore ac rationibus eidem regno pertinentibus, sicut ipsum regnum pater suus et alii predecessores sui, tam duces quam reges, umquam melius tenuerunt et possederunt. Mandamus itaque et firmiter statuimus, ut quecumque persona ecclesiastica vel secularis hanc nostram confirmationem et concessionem infringere vel evacuare presumpserit, mille libras auri puri componat, quarum medietas camere nostre, altera vero iniuriam passis persolvatur. Ut autem hec rata et firma imperpetuum perseverent, presens privilegium scribi et bulla aurea, typario nostre maiestatis impresa,[c] precepimus communiri. Huius rei testes sunt: Syffridus Augustensis episcopus, Vlricus abbas sancti Galli, Cono abbas Elwacensis, Henricus abbas Campidonensis, Radulfus palatinus comes de Twingen, comes Hartemannus de Wirtemberc, comes Lodowicus frater eius, Hermannus marchio de Baden, Hugo[d] iunior palatinus comes de Twingen, comes Lodowicus de Otyngen, Bertoldus de Nyphen, Anselmus de Justingen marescalcus, Walterus de Syph pincerna et alii quam plures.

Ego Conradus, Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Syffridi, Maguntine sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo sextodecimo, septimo kalendas augusti, indictione quarta, regnante domino nostro Frederico secundo, dei gratia Romanorum rege semper augusto et rege Sicilie, anno Romani regni ipsius quarto et Sicilie octavodecimo, feliciter amen.

Datum aput Vlmam[e] per manus Bertoldi de Nyphen, imperialis aule prothonotarii, anno, mense et indictione pretitulatis.

Autographo appendet e filis sericis albis et rubris bulla aurea. In cuius parte priore depingitur rex in solio sedens, qui manu dextra sceptrum, sinistra pomum gestat. Circumscriptio: FREDERICVS DEI GRA–ROMANOR–REX 7 SEMP AVGVS—TVS · *Ad quam circumscriptionem pertinent etiam haec verba, quae in sigilli area ex utraque solii parte leguntur:* XЭЯTЭ *[i. e.:* et rex*]* SICIΓIE *(littera* L *vertice deorsum verso posita est). In altera bullae parte castrum conspicitur, in cuius porta haec inscriptio est:* AVR||EA R||OMA. *Circumscriptio:* ✝ ROMA · CAPVT · MVNDI REGIT · ORBIS · FRENA · ROTVNDI. — *Bullae imaginem praebet Philippi, Zur Gesch. d. Reichskanzlei, tab. VI, num. 6a, 6b.*

127. *c) ita A. — d)* ‚u' *ex* ‚a' *statim inter scribendum corr. A. — e)* ‚Vlmam — prothonotarii' *in spatio vacuo relicto additum esse putat Philippi l. l. pag. 73; quae opinio mihi quidem, autographo diligentissime observato, non recta esse videtur.*

128.

Fridericus II, Romanorum rex, monasterium sanctae Mariae de Chemnitz tuendum suscipit eique omnia iura et libertates confirmat et bona a suppanis Bohemiae ablata restituit, teste Otakaro, rege Bohemiae.

Apud Altenburg 1216 oct. 6.

Apographum saec. XVI in tabulario regio Dresdensi asservatur (B).

Winkelmann, Acta imperii ined. I, pag. 118, num. 140. — Cod. dipl. Saxoniae regiae II Hauptth., tom. VI, pag. 265, num. 304; ibid. I Hauptth., tom. III, num. 230 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 882.

Fredericus secundus, dei gratia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie. Regnum nostrum temporale stabilimus et deo creatori nostro gratum impendimus obsequium, si ecclesiarum commodis augmento intendimus et ad huius vite sustentationem manum ipsis[a] extendimus beneficiorum et largitatis. Quapropter universis imperii fidelibus, tam modernis quam posteris, duximus declarandum, quod nos, animadvertentes monasterium de Kempnitz in honore perpetue dei genitricis ac virginis Marie a progenitoribus et antecessoribus nostris, Romanorum imperatoribus et regibus, fundatum et magnifice dotatum ac ipsis a retroactis temporibus quadam speciali dilectione annexum, recepimus ipsum monasterium et omnia bona sua sub omnimodam regie sublimitatis nostre protectionem, confirmantes et concedentes ipsi monasterio nec non Burchardo eiusdem loci abbati et ipsius in perpetuum successoribus ac etiam ipsius abbatie hominibus universa iura, consuetudines et libertates, quas a prima ipsius monasterii fundatione in provincia Kempnitz vel alibi habuisse dinoscuntur et ipsum monasterium usque ad tempora Lamberti abbatis habebat. Ad hec cum sepe fatum monasterium propter temporis malitiam et tempestates bellorum suis bonis in predicta provincia Kempnitz a suppanis[b] Boemię occasione concessionis per nos facte extiterit privatum, nos habito colloquio cum Boemorum rege domino Odacro[c] ab ipsis suppanis[b] bona eadem multa precum nostrarum instantia absolvimus et absoluta iam dicto monasterio restituimus libere deinceps possidenda, volentes, ut ipse abbas et monasterium de Kempnitz et hec et alia prędia sua absque aliqua molestia habeant et in hiis nec ab advocatis nec ab aliis aliquibus sive in albergariis vel in aliis indebitis servitiis graventur. Ad cuius rei perhennem memoriam hanc paginam conscriptam sigillo nostro iussimus communiri, statuentes et per gratiam nostram districte precipientes, ut nullus unquam hominum super iis prelibatum monasterium inquietare audeat vel huic nostre concessioni et confirmationi temere contraire. Quod qui fecerit, omnipotentis dei iram et nostram offensam se non[d] dubitet graviter incursurum et pro pena transgressionis auri puri libras centum componat, dimidium fisco nostro, reliquum iniuriam

128. *a)* ‚ipsius' *B.* — *b)* ‚suppositis' *B.* — *c)* ‚Odaco' *B.* — *d)* ‚vero' *B.*

passis. Huius rei testes: dominus Odacrus[e] Boemię rex, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Fridericus Halberstadensis episcopus, Eckhardus Merspurgensis episcopus, Otto dux Meranie,[f] Hermannus landtgravius Thuringie, comes Guntherus, comes Lampertus, comes Ernestus, comes Ludewicus de Wirtenburgk, comes Hartmannus de[g] Quiburc,[h] Walterus de Lobinhus, Conradus de Entse, comes Ludewicus de Wartperc, Anshelmus marscalcus de Justingen, Ulricus de Minzinborgk, Walterus pincerna de Scipfe et alii quam plures. Datum apud Aldenburgk anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo decimo sexto, pridie nonas octobris, indictione quinta.

129.

Honorius III papa Andreae, episcopo Pragensi, mandat, ut quosdam de populo dioecesis illius ad decimarum solutionem debitam per censuram ecclesiasticam compellat. *Laterani [1216] oct. 15.*

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV, in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos n⁰ 292] asservatur, pag. 254 (C).

*Emler in Fontes rer. Boh. V, pag. 126 nota **.*

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri[a] ..[1] Pragensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.[b] Ad audienciam nostram te significante pervenit, quod quidam de populo tue diocesis pretextu cuiusdam illicite consuetudinis XXIIII,[c] quidam XII, quidam VI, quidam tres denarios tantum solvunt pro decimis annuatim in ecclesiarum preiudicium et salutis proprie detrimentum.[2] Cum igitur consuetudo huiusmodi dici debeat pocius corruptela, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus consuetudine eadem nequaquam obstante, memoratos ad solucionem debitam decimarum, monicione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellacione remota, compellas.[d] Datum Laterani, idus[e] octobris, pontificatus nostri anno primo.

130.

Honorius III papa Andreae, episcopo Pragensi, quaerenti de decimarum revocatione, de saecularibus canonicis minus legitime natis et de licentia carnes comedendi, quando in sextam feriam dies Dominicae nativitatis incidat, respondet. *Laterani [1216] oct. 29.*

128. *e)* ‚Odacus' *B.* — *f)* ‚Morauie' *B.* — *g)* ‚de' *deest B.* — *h)* ‚Quibure' *B.*

129. *a)* ‚episc. — fratri ..' *desunt C.* — *b)* ‚sal. — benedictionem' *desunt C.* — *c)* ‚XXIII' *procul dubio describentis errore habet C.* — *d)* ‚compescas' *C.* — *e)* ‚ydus' *C.*

1) *Andreae.* — 2) *Cf. ea, quae commemorat Krofta in Český časopis historický X, pag. 25, not. 2.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 12v, lib. I, ep. 44 (R). — Fragm. exscripsit Compilatio decretalium V, lib. 3, tit. 25 de observ. ieiun. c. 1 atque lib. 3, tit. 10 c. 2 de rebus eccl. alienandis vel non (E) et Gregorii IX Decr. lib. 3, tit. 46 de observ. ieiun. c. 3 (G).

Raynaldi, Annal. eccl., ad a. 1216, § 45 (ex R) = Balbin, Miscell. hist. regni Boh., dec. I. lib. VI, pars II, pag. 83, num. 3 (fragm.) — Palacký, Ital. Reise, pag. 20, num. 48 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 89, num. 72 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 267, num. 569 (ex R) — Horoy, Honorii III opera omnia II, pag. 68, num. 45 — Rodenberg, Epistolae saec. XIII e regestis pontif. Roman. selectae (Mon. Germ. hist., Epp. s. XIII) tom. I, pag. 5, num. 4 — Potthast, Reg. pontif. num. 5349. — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, pag. 14, num. 75. — Böhmer, Corpus iuris canonici II pag. 614 (ex G) — Friedberg, Corp. iur. can. II, col. 651 (ex E, G).

Pragensi episcopo.[a] Postulasti per sedem apostolicam edoceri, utrum tibi quasdam decimas, quas quidam antecessores tui pro quibusdam villis religiosis concessere quibusdam, auctoritate tibi liceat propria revocare. Ad quod tibi duximus breviter respondendum, quod si concessionem talem contra canones in ecclesie tue preiudicium videris attemptatam, ipsam debes auctoritate superioris legitime revocare. Subsequenter etiam quesivisti, an seculares[b] canonici, minus legitime nati, suis sint renuntiare beneficiis compellendi,[c] cum de iure ad sacros nequeant ordines promoveri, nec in beneficiis secum fuisse probent a Romano pontifice dispensatum, et ecclesia taliter indigeat ordinatis. Ad quod fraternitati tue taliter respondemus, quod si multitudo est in causa, et huiusmodi non possunt sine scandalo removeri, eos in beneficiis sic susceptis poteris conniventibus oculis tolerare. Explicari preterea postulasti, utrum illis sit licitum, qui nec voto, nec regulari observantia sunt astricti, carnes comedere, quando in sexta feria dies Dominice nativitatis occurrit.[1] Ad hoc tale damus responsum: quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt astricti, in sexta feria, si festum nativitatis Dominice ipso die venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam uti possunt secundum consuetudinem ecclesie generalis; nec tamen hii reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere. Datum Laterani, IIII kalendas novembris, pontificatus nostri anno primo.

131.

Honorius III papa Andreae, episcopo Pragensi, de L. presbytero, plebano ecclesiae de Praskolesy, non legitime nato, scribit. *Romae [1216] nov. 21.*

---

130. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R. — b) sequ. iterum:* ‚an seculares‘, *sed punctis deletum R. — c)* ‚copellendi‘ *R.*

1) *In feriam sextam dies Nativitatis Domini anno 1215 incidit. Cum verisimile esse non videatur, sedem apostolicam totum fere annum episcopum sine ullo responso relicturam fuisse, si ille prius eam adiisset, liceretne in hac die carnibus vesci, episcopi epistula, quae iam amissa est, ad eam rem revocanda esse videtur, quod multi anno 1215 ieiunium non servaverunt. Itaque Andreae episcopi epistulam ad papam primis anni 1216 mensibus, Innocentii III tempore, missam esse suspicor.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. IX) asservatur, fol. 16v, lib. I, ep. 65 (R).

Palacký, Italien. Reise, pag. 20, num. 49 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 268, num. 570. — Rodenberg, Epistolae e regestis pontif. Rom. sel. (Mon. Germ. hist., Epp. s. XIII) tom. I, pag. 5, num. 5. — Potthast, Reg. pontif. num. 5361. — Pressutti, Reg. Honorii III, t. I, pag. 19, num 110.

Pragensi episcopo.[a] Dilectus filius L. presbyter, plebanus ecclesie de Prascoles, in nostra presentia constitutus, humili nobis confessione monstravit, quod cum in Boemia usque ad generale concilium[1] consuetudo fuerit ab antiquo, ut tam clerici in sacris ordinibus constituti, quam etiam sacerdotes, de facto contraherent et sic contracto contubernio uterentur, ipseque de tali sit copula procreatus, cum eo super ordinibus et beneficio iam susceptis dispensare misericorditer dignaremur. Nos igitur ipsius presbyteri laboribus, quos sustinuit ad sedem apostolicam veniendo, paterno compatientes affectu, attendentes etiam, quod cum sponte confessis mitius sit agendum, fraternitati tue, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, cum eodem, si paterne non fuerit incontinentie imitator, et aliud ei canonicum non obsistat, de misericordia, que superexaltat iudicio,[2] circa beneficium et ordines sic susceptos auctoritate nostra dispenses. Datum Rome apud sactum Petrum, XI kalendas decembris, pontificatus nostri anno primo.

132.

Honorius III papa magistro P[etro], canonico Pragensi, et Hermanno fratri eius, non legitime natis, indulget, ut ad sacros ordines promoveri possint.

Romae [1216] nov. 26.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. IX) asservatur, fol. 16r, lib. I, ep. 63 (R).

Palacký, Ital. Reise pag. 20, num. 50 (reg.) — Erben, Reg. Boh I, pag. 268, num. 571 (frgm.) — Potthast, Reg. pontif. num. 5369. — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, pag. 23, num. 123.

Magistro P.,[1] canonico Pragensi, et Hermanno fratri eius.[a] Apostolice sedis discretio ubique retinens moderamen, nunc mansuetudine utitur, nunc rigore, consideratis circumstantiis temporum et locorum neutrum in altero derelinquens, et interdum flectit per dispensationis gratiam sic rigorem, quod non dissolvitur eius nervus. Cum ergo, sicut vobis significantibus nostro est apo-

131. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.*

1) *Laterani a. 1215 mense novembri habitum.* — 2) *Cf. Jac. II, 13:* ‚superexaltat autem misericordia iudicium'.

132. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.*

1) *Fortasse Petro; cf. pag. 79, lin. 8.*

stolatui reseratum, ante adventum cuiusquam legati sedis apostolice in Poloniam[b] pater vester, adhuc in minoribus ordinibus constitutus, matrem vestram virginem duxerit in uxorem et iuxta regionis consuetudinem, que nondum illic erat prohibita, se ad sacros fecerit[c] ordines promoveri, vosque iam diaconus seu presbyter susceperit ex eadem, et nobis a pluribus, qui de conversatione vestra testimonium perhibuere laudabile, pro vobis fuerit humiliter supplicatum, ut vobiscum hanc gratiam faceremus, quod id imputari vobis non debeat ad defectum: nos vestris precibus inclinati, de misericordia, que superexaltat iudicio,[2] auctoritate vobis apostolica indulgemus, ut id vobis impedimentum non prestet, quominus possitis ad legitimos actus admitti et ad sacros ordines promoveri; ita quod tales vos exhibere curetis, quod gratia vobis facta vos non reddatis indignos, sed per honeste conversationis studium potius deo et hominibus exhibeatis acceptos. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc[d] paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire.[e] Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.[f] Datum Rome apud sanctum Petrum, VI kalendas decembris, pontificatus nostri anno primo.

133.

Hroznata, praepositus monasterii Teplensis, et Hugo, magister domus sanctae Mariae de Praga, villam Hrazsko vendunt fratribus de vico Teutonicorum.

[ante 1217]

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii Teplensis asservatur (A).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 259, num. 557 (fragm. ad a. cc. 1215).

Autographum manus quaedam ignota exaravit, cuius litterae eandem formam atque scriptura codicum habent. — Charta notis temporis omnino caret, cum autem Hroznata praepositus a. 1217 iul. 14 obierit, ante annum illum scripta sit necesse est.

Longo processu temporis mortalis nature memoria, diversis honerata negociis, sepius in dubitationis ducitur precipicium ‖ et factum quantumcunque, dubiis hinc inde rationibus concurrentibus, in viam trahit[a] oblivionis. Omnem ergo facti nostri certitudinem ‖ posteris relinquere volentes, paginam hanc inscribi precepimus. Notum itaque sit omnibus presentibus sive futuris, quod nos fratres[b] domus ‖ sancte congregationis de Tepla una cum preposito nostro domino Gro-

132. *b) ita distincte R. — c) genuine* ‚feceris‘, *sed* ‚t‘ *in loco raso corr. R. — d)* ‚omnino — hanc‘ *compendio* ‚etc.‘ *tantum indicantur in R. — e)* ‚infringere — contraire‘ *compendio* ‚etc.‘ *indicantur in R. — f)* ‚hoc — incursurum‘ *compendio* ‚etc.‘ *indicantur in R.*

2) *Cf. Jac. II, 13:* ‚Superexaltat autem misericordia iudicium.‘

133. *a) litterae* ‚ah‘ *in loco raso eodem atramento scriptae sunt A. — b)* ‚e‘ *in loco raso eod. atramento ex* ‚i‘ *corr. A.*

znata, et nos fratres congregationis domus sancte Marie de Praga una cum seniore nostro, magistro Hugone, fratribus de vico Teutonicorum vendidimus quandam villam nomine Gradsco, promittentes coram idoneis testibus, quod si aliqua persona levis et inconstans eos agravare voluerit, obiectis frontibus parati sumus eos adiuvare et super eadem villa, ubicunque tracti fuerint in causam, pro eis promtissimi sumus respondere. Hii autem sunt testes, coram quibus promissionis nostre factum confirmavimus: Hugo magister, frater Fridricus, Milgost prior, Johannes frater, Cozmas frater, Symon frater, Blucace frater, Radosta, Persik, Boguslaus, Kuno, Matheus, Mali ceterique fratres eiusdem domus. Sed ne testimonium ipsorum frigescere videatur, pagine presenti sigillum nostrum ob maiorem certitudinem faciendam imprimi precepimus.

Autographo appendet e scidula membranae fragmentum sigilli de cera alba confecti, rotundi (cuius diametros fere 33 mm erant). In sigillo cerva cum capite retro converso depingitur, super cuius tergum crux conspicitur. Circumscriptionis maxima pars defracta est; haec tantum litterae in sigilli area positae supersunt: .... RATR.....

134.

Honorius III papa Andreae Pragensi et Roberto Olomucensi episcopis atque Gotfrido, praeposito Ratisbonensi, mandat, cogant Theobaldum, regis Bohemiae nepotem, ut castrum quoddam regale, quod proditorie occupavit, restituat.

Laterani [1217] ian. 18.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario Vaticano secreto (inter Reg. Vatic. tom. IX) asservatur, fol. 44v, lib. I, ep. 180 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 20, num 51 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 89, num. 73 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 268, num. 572 — Horoy, Hon. III opera II, pag. 187, num. 151 — Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Rom. selectae (Monum. Germ. hist., Epp. s. XIII) tom. I, pag. 9, num. 11 — Potthast, Reg. pontif. num. 5421. — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, pag. 46, num. 253. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6204.

..[1] Pragensi et ..[2] Olomucensi episcopis et ..[3] preposito Ratisponensi.[a] Ad audientiam nostram, karissimo in Christo filio nostro O., illustri rege Boemie, significante, pervenit, quod nobilis vir T.,[4] nepos suus, qui signo vivifice[b] crucis humeris suis affixo, faciem euntis in Jerusalem induerat, in Sempnar campum divertens,[5] adiunctis quibusdam sibi iniquitatis filiis, quoddam castrum ipsius proditorie occupavit, contra iuramentum suum temere veniendo, per quod tam ipsius regis, quam ecclesiarum bona devastare non cessat. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatum nobilem, ut castrum predictum ipsi[c] regi restituat, sicut debet, monitione premissa, per censuram

134. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R; gemipunctos ibi omissos addidi.* — b) ‚vivice' *R.* — c) ‚ipso' *R.*

1) *Andreae.* — 2) *Roberto.* — 3) *Gotfrido.* — 4) *Theobaldus.* — 5) *Cf. Genes. XI, 2.*

ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse,[d] duo vestrum ea nichilominus exequantur.[e] Datum Laterani, XV kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo.

135.

Honorius III papa Otakaro, regi Bohemiae, se petitiones eius per Benedictum, praepositum Litomericensem, sibi delatas benigne exaudisse scribit eumque, ut in devotione erga sedem apostolicam perseveret, hortatur.

Laterani [1217] ian. 18.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 44v, lib. I, ep. 181 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 20, num. 52 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 90, num. 74. — Erben, Reg Boh. I, pag. 269, num. 573. — Horoy, Hon. III opera II, pag. 194, num 158 — Potthast, Reg. pontif. num. 5422. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6203 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, pag. 46, num. 254.

Illustri regi Boemie.[a] Serenitatis tue litteras, quas nobis per dilectum filium B.,[1] Lutomiricensem prepositum, virum utique providum et discretum, latorem presentium, destinasti, benigne recepimus et que continebantur in eis, pleno concepimus intellectu, celsitudinem regiam dignis in Domino laudibus[b] commendantes, quod, sicut ex tenore perpendimus earundem, in devotione apostolice sedis et nostra firmiter perseveras. Petitiones autem, quas nobis ex parte tua prepositus obtulit memoratus, quantum cum deo et honestate potuimus, curavimus benignius exaudire, in voluntate gerentes illa efficere, que honorem tuum respiciant et profectum, in quantum iustitia permiserit et honestas. Tuam igitur magnificentiam rogamus, monemus et exhortamur attentius, quatinus devotio, quam ad sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem tuam hactenus habuisse dinosceris, non tepescat, sed de die in diem potius accendatur, ut ex hoc ei, per quem reges regnant et principes dominantur,[2] te reddas acceptum et favorem apostolicum plenius merearis. Datum Laterani, XV kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo.[c]

136.

Honorius III papa Slavkonis camerarii, Benešii castellani de Budišin, Henrici marescalci, Hrděbori dapiferi regis, omniumque županorum Bohemiae devotionem erga sedem apostolicam laudat, in qua ut perseverent, hortatur.

Laterani [1217] ian. 18.

---

134. *d)* ‚hiis — interesse‘ *compendio* ‚etc‘ *tantum indicantur R.* — *e) pro* ‚ea nichilominus exequantur‘ *tantum* ‚etc‘ *ponitur in R.*

135. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.* — *b)* ‚laudimus‘ *R.* — *c) pro* ‚XV kal. — a. primo‘ *tantum* ‚ut supra‘ *legitur in R; supplevi ex ep. 180 eiusd. regestri (v. supra num. 134).*

1) *Benedictum.* — 2) *Cf. Prov. VIII, 15, 16.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 44v—45r, lib. I, ep. 182 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 20, num. 53 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 90, num. 75. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 269, num. 574 — Potthast, Reg. pontif. num. 5423 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, pag. 46, num. 255.

Nobilibus viris S.[1] camerario, Benesoni castellano de Budisin, Henrico marescalco[a] et Hocdeborio[b] dapifero regis Boemie et universis sũppanis[c] per regnum Boemie constitutis.[d] Nobilitatis vestre litteras, quas nobis per dilectum filium B.,[2] Lutomiricensem prepositum, virum utique providum et discretum, latorem presentium, destinastis, benigne recepimus et que continebantur in eis, pleno concepimus intellectu. Super eo autem, quod, sicut ex tenore litterarum perpendimus earundem, in devotione apostolice sedis et nostra perseveratis constanter, nobilitatem vestram dignis in Domino laudibus commendamus, in votis gerentes ea efficere loco et tempore oportuno, que vestrum respiciant comodum et honorem, in quantum iustitia permiserit et honestas. Vestram igitur nobilitatem[e] rogamus, monemus et exhortamur attentius, quatinus devotio, quam ad sacrosanctam Romanam ecclesiam, matrem vestram, hactenus habuisse dinoscimini, non tepescat, sed de die in diem potius accendatur, ut ex hoc ei, per quem reges regnant et principes dominantur, vos reddatis acceptos et favorem apostolicum plenius mereatis. Datum Laterani, XV kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo.

137.

Honorius III papa Andream, episcopum Pragensem, iubet cogere laicos quosdam dioecesis illius, qui contra clericos delicta commiserint, ut ab iniquitate desistant, eumque hortatur, operam det, ut concilii generalis statuta integre observentur.

Laterani [1217] mart. 12.

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos num. 292] asservatur, pag. 253—254 (C).

*Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 126 nota **.*

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri[a] . .[1] Pragensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.[b] Non tam detestabilis quam abhominabilis consuetudo in Boemie partibus inolevit, quod laici quidam contra

136. a) ‚merescalco' *R.* — b) *ita R pro* ‚Hirdeborio'. — c) ‚suppariis' *R.* — d) *superscriptio colore rubro scr. R.* — e) *quae subsequuntur, in R tantum verbis* ‚etc. ut in alia usque in finem' *indicantur; supplevi ex eiusdem regestri ep. 181, cuius verba dedi supra (num. 135).*

1) *Slavkoni.* — 2) *Benedictum.*

137. a) ‚episcopus — fratri' *desunt C.* — b) ‚sal. — benedict.' *desunt C.*

1) *Andreae.*

deum et sacrorum canonum instituta ecclesiasticos viros capiunt et eos carcerali custodie mancipantes presumunt mortis supplicio condempnare; propter quod insolencia crescit in aliis per exemplum et honor ecclesiasticus cottidie conculcatur. Nolentes igitur per aliquorum contumaciam confundi ecclesie libertatem, presencium tibi auctoritate mandamus, quatenus iuxta officii tui debitum prefatos laicos, super premissis in tua diocesi contra clericos delinquentes, ut ab huiusmodi presumpcione desistant, monicione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellacione remota, compescas; nichilominus studium adhibeas et operam efficacem, ut[c] statuta sacri concilii generalis[2] ab omnibus[d] inviolabiliter observentur. Datum Laterani, IIII idus marcii, pontificatus nostri anno primo.

138.

Honorius III papa Sigfrido II, archiepiscopo Maguntino, eiusque suffraganeis, abbatibus aliisque ecclesiarum praelatis mandat, ut abbatem et fratres monasterii in Velehrad, Cisterciensis ordinis, eorumque possessiones contra malefactores et invasores censuris ecclesiasticis defendant.

Laterani [1217] mart. 18.

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A). — Apographum exstat in Codice privilegiorum monasterii Velehradensis saec. XV, in eodem tabulario, fol. 114r (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 91, num. 76 (ex B) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 270, num. 576 (reg) = Horoy, Hon. opera II, pag. 335, num. 273 — Potthast, Reg. pontif. num. 5500 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, pag. 78, num. 440.

In autographi tergo alia manus cancellariae apostolicae alio atramento adnotavit: ‚Prutia'. — *In litteris conscribendis eadem forma adhibita est atque in litteris Honorii III papae, quae a. 1216 sept. 15 ad archiepiscopum Remensem in favorem monasterii de Camberone, Cist. ord., datae sunt (Potthast 5331). Quae quidem forma hoc tantum discrepat cum illa, quae Innocentii III temporibus in usu erat (v. num. 65), quod verba* ‚de terris habitis ante concilium generale' *addit, et formulam* „De monachis — absolvendi" *omittit.*

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabilibus fratribus ..[1] Maguntino archiepiscopo et suffraganeis eius et dilectis filiis abbatibus, prioribus, ‖ decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis per Maguntinam provinciam constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plu‖rima turbatione didicimus,[a] quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonice sententie severitas enervatur, ut viri religiosi, ‖ et hii maxime, qui per sedis apostolice privilegia maiori donati sunt libertate, passim

137. *c)* ‚et' *C.* *d)* ‚ut' *addit C.*

2) *Laterani a 1215 nov. 11—30 habiti. Statutorum concilii summam v. apud Potthast, Reg. pontif. pag. 437 sq.*

138. *a) genuine scriba* ‚dil' *posuit, sed littera* ‚l' *statim erasa, eodem atramento correxit A.* —
1) *Sigfrido II.*

a malefactoribus suis iniurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii . .[2] abbas et fratres Willigradenses, Cisterciensis ordinis, Holmulcensis diocesis, tam de frequentibus iniuriis, quam de ipso cotidiano defectu iustitie conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent, et pressuris vestro possint presidio respirare. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus illos, qui possessiones vel res seu domos predictorum fratrum vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea iniuste detinuerint, que predictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos fratres contra apostolice sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti presumpserint promulgare, vel decimas laborum[b] de terris habitis ante concilium generale seu nutrimentorum ipsorum spretis[c] apostolice sedis privilegiis extorquere, monitione premissa, si laici fuerint, publice candelis accensis,[d] excommunicationis sententia percellatis; si vero clerici vel canonici regulares, seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis; neutram relaxaturi sententiam, donec predictis fratribus plenarie satisfaciant et tam laici quam clerici seculares, qui pro violenta manuum iniectione anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem, in quibus bona predictorum fratrum vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quam diu ibi sunt, interdicti sententie supponatis. Datum Laterani, XV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Autographo appendet e filis sericis coloris rubri et flavi bulla plumbea Honorii III papae, cuius imaginem dedit Diekamp in Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. III, tab. ad pag. 626, num. 5 et 28.

139.

Přemysl Otakarus, rex Bohemiae, Honorio III papae queritur, Andream, episcopum Pragensem, appellatione sua plane neglecta, totam per Bohemiam divina celebrari prohibuisse; papa iudices constituat rogat, qui interdictum solvant.

[1217 april. med.]

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV. in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos num. 292] asservatur, pag. 255—258 (C).

Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 127 not.

Litterae nota temporis omnino carent, sed interdictum die 10 aprilis promulgatum continuo subsecutae esse videntur. Papae responsum die 22 iun. datum est (v num. 143).

---

138. *b)* ‚laborum‘ *in loco raso eod. atramento scriptum A.* — *c)* ‚t‘ *ex* ‚p‘ *in loco raso corr. A.* — *d)* ‚a‘ *in loco raso eod. atramento scriptum A.*

2) *Fortasse Sigfridus.*

Utinam[a] a memoria vestra non excidat, quam devotus filius Romane curie semper extiterim. Quedam enim ardua pro Romane curie reverencia sum aggressus, ad que contemplacione proprie utilitatis nullatenus accessissem. Mandata domini pape hactenus admisi et admissa quantum decuit diligenter effectui[b] mancipavi; semper summi pontificis monitis acquievi, nonnumquam in[c] contrarium a quibusdam magnatibus monitus et rogatus. Sed utinam sedes apostolica, que in omnibus consuevit esse liberalis, michi soli non sit ingrata. Pater sancte! Non sine dolore vestre refero sanctitati, quod cum per[d] quosdam fideles, tam clericos, quam laicos percepissem, quod episcopus Pragensis, tam persone mee, quam regni mei gravamen studiosius intenderet, nolens controversiis, quas minabatur inferre, eundem habere iudicem et adversarium, sedem apostolicam[e] appellavi. Ipse vero post appellacionem in Boemia commorando videbatur appellacioni deferre, petens a me, quod super hoc ad curiam Romanam nuncios meos destinarem, promittensque ipse suos destinare pro eodem. Et post aliquantulam moram, spoliata ecclesia Pragensi et facta maxima collecta in clero, finxit se ire ad sanctum Anthonium,[1] et ita a me in bona pace recessit.[2] Tandem tractu temporis proiecte sunt quedam littere continentes, ut dicitur, quod episcopus idem in tota Boemia interdixerit divina celebrari.[3] Hoc audito, conveni tam clerum quam populum et super facto diligentem habui tractatum, nec tamen potuit certus auctor vel portitor litterarum inveniri. Postea quesivi in capitulo Pragensi, utrum eorum consilio esset talis lata sentencia; qui responderunt preter eorum consilium maliciose et impetuose mecum actum esse. Series autem litterarum proiectarum talis est, sicut didici: Ego Andreas, Pragensis episcopus, interdixi divina celebrari per totum episcopatum meum iure ordinarie iurisdictionis litterarum Honorii pape, quarum forma talis est: Significante nobis Pragensis ecclesie episcopo, quod quidam de populo Boemie decimas non solverunt, eidem dedimus in mandatis, ut eos ad debitam prestacionem decimarum per censuram ecclesiasticam compellat.[4] Michi tamen nulle fuerunt littere presentate. Ponamus tamen, quod tales impetraverit. Videat vestra paternitas, utrum de minoribus personis ad maiores, puta ad regem, cum non[f] sit facta mencio in litteris contra[g] formam decretalis, iurisdiccionem suam potuerit[h] prolongare vel prorogare? Item si quidam, quod non credo, decimas denegarent, culpam eorum in regem vel regnum debeat[i]

139. *a) Litteris haec nota praefixa est:* ‚Rex Boemie pape. Rex Otakarus' *C; superscriptionis genuina verba ibi omissa sunt.* — *b)* ‚diligēa affectui' *C.* — *c)* ‚tn͡' (= tamen) *C.* — *d)* ‚per' *deest C.* — *e)* ‚applicam' *C.* — *f)* ‚non' *deest C.* *g)* ‚que' *C.* — *h)* ‚potuerunt' *C.* — *i)* ‚debeat' *C.*

1) *In St. Didier de la Mothe (Dauphiné).* — 2) *Mense ianuario aut februario a. 1217. — Andream episcopum iam a. 1216 se regi opposuisse et oct. 26 de terra discessisse, Ann. Prag. (Font. rer. Boh. II, pag. 380) referunt; sed hanc temporis notam prorsus mendosam esse, ex litteris Honorii III papae, quae ad episcopum in favorem regis a. 1217 ian. 18 missae sunt (v. num 134), cognosci potest.* — 3) *Interdictum IV idus aprilis (= apr. 10) promulgatum esse, Ann. Boh. ap. Emler, Font. rer. Boh. II, pag. 283 (perperam ad a. 1216) referunt.* — 4) *Cf. litteras Honorii III a. 1216 oct. 15 datas (supra num. 129).*

refundere? Item utrum in homines non confessos, nec convictos, imo[k] volentes in curia Romana non cedere, sed contendere, potuerit[h] sentenciam promulgare? Peto igitur, ut si episcopus confiteatur, se interdictum in terram meam promulgasse, scribatis iudicibus nobis expressius nominandis,[l] ut de appellacione cognoscant, et si quid in eius preiudicium invenerint attemptatum, irritum denuncient, presumpcionem tantam pena canonica vindicantes. Quod si episcopus diffiteatur, faciatis inquiri,[m] quorum ope vel auxilio littere ille proiecte fuerint, precipientes eos canonice pene subiacere. Et ut in summa omni calliditati adversariorum occurram, rogo, ut si forma quam prius pecii, non placeat, scribatis aliquibus executoribus, qui accepta ydonea caucione[n] de parendo iuri, terram meam, que de facto, licet non de iure, dicatur interdicta, similiter de facto relaxent vel denuncient interdictam non fuisse, quod secundum peritorum iudicium debet nemini denegari.

140.

Sigifridus II, archiepiscopus Maguntinus, Andreae, episcopo Pragensi, significat, se abbati de Strahov, decano Pragensi et archidiacono Litomericensi, rege Bohemiae petente, mandatum dedisse, ut interdicti ab illo Bohemiae impositi auctoritatem accuratissimo examinarent iudicio.

[1217 apr. ex.]

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV. in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos num. 292] asservatur, pag. 261—262 (C).

Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 128.

Litteras haud multo post interdictum die 10 aprilis promulgatum scriptas esse verisimile est, mense aprili fortasse exeunte. Die 29 maii iam interdictum ab archiepiscopo Maguntino solutum est (v. Font. r. Boh. II, pag. 283).

Venerabili[a] et dilecto in Christo fratri et amico Andree, Pragensi episcopo, S.,[1] dei gracia sancte Moguntine sedis archiepiscopus, salutem et affectuosam in Domino karitatem. Discrecioni vestre duximus declarandum, quod honorabilis et dilectus amicus noster, Otakarus, rex inclitus Boemie, gravem nobis querelam transmisit, quod occasione cuiusdam littere non auctorabilis, in ecclesiam clam proiecte, divina in Pragensi diocesi tamquam interdicta cessarunt[2]; propter quod attencione devota postulavit a nobis, ut cum diocesis[b] eadem nobis sit in spirituali[c] iurisdiccione subiecta, viris aliquibus providis daremus auctoritate metropolitica[d] in mandatis, ut auctoritatem interdicti diligentissime scrutarentur et causam. Quibus si manifeste constaret idem interdictum ex reverendissimi patris

139. *k)* ‚ymo' *C.* — *l)* ‚nominandi' *C.* — *m)* ‚inquiri' *deest C.* — *n)* ‚capcone' *C.*

140. *a) Epistulae in codice haec inscriptio praemittitur:* ‚Moguntinus archiepiscopus Pragensi episcopo'. — *b)* ‚dyoc.' *C.* — *c)* ‚spiritali' *C.* — *d)* ‚metropolica' *C.*

(1 *Sigifridus II.* — 2) *die 10 aprilis 1217 (Ann. Boh. in Font. rer. Boh. II, pag. 283).*

nostri domini pape auctoritate et consciencia processisse, facerent illud firmitate debita inviolabiliter observari; si vero a vobis,[e] vel alio nobis subdito latum esse: idem, ab ipso rege et suppanis[f] plenaria caucione recepta de parendo iusticie super cunctis, que causam dederint interdicto eodem, secundum canonicas sanctiones[g] laxare[h] facerent, divina resummi, et auctoritate nostra absolverent in forma ecclesie, si qui pretextu eiusdem interdicti se metuerent excommunicacionis vinculum incurrisse.[i] Attendentes igitur huic peticioni regie iuris suffragia non deesse, ne tanta terra, cui, ut premisimus, in spiritualibus providere dinoscimur,[j] diu esset caritura divinis in plurimorum perniciem animarum: consilio capituli Moguntini et prudentum virorum cum sollicita deliberacione accepto,[k] sicut memoratum est, abbati de Strahow,[l, 3] decano Pragensi,[4] archidiacono Lutomericensi[m] mandavimus inquirendum et exinde procedendum, prout superior forma demonstrat; sicque, ne fiat vobis preiudicium, curavimus habundanter, caritatem vestram non minori quam debemus sinceritatis studio diligentes.

141.

Honorius III papa Roberto, episcopo Olomucensi, mandat, ut regnum Bohemiae ingressus, interdictum, quod Andreas episcopus in dioecesim Pragensem promulgaverit, ab omnibus strenuo observari iubeat; regem ac magnates Bohemiae, ut ecclesiae libertatem debitam restituant, cogat.

Laterani [1217] maii 12.

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV. in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos num. 292] asservatur, pag. 254—255 (C).

Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 127 nota.

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri[a] . .[1] Olomucensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem[b]. Presencium tibi auctoritate precipiendo mandamus, quatenus ad Boemie regnum accedens, sentenciam interdicti, quam venerabilis frater noster[c] . . Pragensis episcopus in diocesim suam, auctoritate tam nostra quam sua, exigente iusticia promulgavit[2] pro eo, quod rex et magnates Boemie libertates ecclesie infringebant, precipias auctoritate nostra in cunctis ecclesiis, tam exemptis quam aliis, artissime observari; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione remota, compescens.[d] Moneas insuper

140. *e)* ,nobis' *C.* — *f)* ,ſtipanis' *C.* — *g)* ,sanctione' *C.* — *h) fortasse* ,relaxare' *corrigendum.* — *i) sequitur* ,⟨alias⟩ incidisse', *subter quas voces linea colore rubro ducta est, C.* — *j)* ,dinoscimur' *deest C.* — *k)* ,accepta' *ex* ,excepta' *corr. C.* — *l)* ,drah̄' *C.* — *m)* ,Littomericen̄' *C.*

3) *fortasse Adam nomine.* — 4) *Arnoldo.*

141. *a)* ,episcopus — fratri . .' *desunt C.* — *b)* ,episcopo — benedict.' *desunt C.* — *c)* ,Andreas' *pro gemipuncto addit C.* — *d)* ,compescas' *C.*

1) *Roberto.* — 2) *die 10 aprilis a. 1217.*

regem et magnates predictos, ut debitam ecclesie restituant libertatem et eam in futuro illibatam conservent, comminans eis, quod nisi ab ecclesiarum gravaminibus conquiescant, iram dei sibi merito comparabunt et in eos[e] ecclesia Romana manus suas aggravabit, prout viderit expedire. Datum Laterani, IIII idus maii, pontificatus nostri anno primo.

142.

Honorius III papa Eberhardo II archiepiscopo Salisburgensi, Ulrico episcopo Pataviensi et Rudigero episcopo Chiemensi mandat, ut interdictum ab Andrea episcopo Pragensi per Bohemiam promulgatum, tametsi illud archiepiscopus Maguntinus solverit, in omnibus ecclesiis strenuo observari iubeant; regem ac magnates admoneant, ut ecclesiae libertatem debitam restituant.

Laterani [1217] maii 12.

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos num. 292] asservatur, pag. 255 (C).

Emler, Fontes rer. Bohem. V, pag. 127 nota (extr.)

Epistula iisdem verbis composita est, atque illa, quae eadem die ad Robertum episc. Olomucensem missa est (v. num. 141). Addita sunt tantum verba ‚relaxacione venerab. fratris .. Moguntini archiep. non obstante'*; quae plane non conveniunt cum eo, quod Ann. Boh. (Font. rer. Boh. II, pag. 283) referunt:* ‚1217, IV kal. iunii *[= maii 29]* archiepiscopus Magontinus Bohemiae interdictum relaxavit.' *Quod quidem (nisi temporis notam omnino mendose descriptam esse malimus) facillime hoc modo potest explicari, interdicti soluti mentionem ad futurum referri, cum archiepiscopus Maguntinus Andreae episcopo indixerit (v. num. 140), se de interdicto iure an iniuria imposito diligenter esse consulturum,*

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabilibus fratribus[a] ..[1] Salczburgensi archiepiscopo et ..[2] Patauiensi et ..[3] Kymensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem.[b] Presencium vobis auctoritate precipiendo mandamus, quatenus ad Boemie regnum accedentes, sentenciam interdicti,[c] quam venerabilis frater noster[d] .. Pragensis episcopus in diocesim[e] suam, tam auctoritate nostra quam sua, exigente iusticia promulgavit pro eo, quod rex et magnates Boemie libertates[f] ecclesie infringebant, relaxacione venerabilis fratris ..[4] Moguntini archiepiscopi[g] non obstante, precipiatis auctoritate nostra in cunctis ecclesiis, tam exemptis quam aliis, artissime observari; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita,[h] compescentes. Moneatis insuper regem et mag-

141. *e)* ‚eo' *C.*

142. *a) pro* ‚Honorius — fratribus ..' *tantum* ‚Idem' *habet C. — b)* ‚sal. — benedict.' *desunt C. — c)* ‚interdictum' *C. — d)* ‚Andreas' *pro gemipuncto addit C. — e)* ‚dyoc.' *C. — f)* ‚immunitates' *addit C. — g)* ‚archiepiscopi' *deest C. — h)* ‚remota' *C; correxi, ut cursus restituatur.*

1) *Eberhardo II.* — 2) *Ulrico.* — 3) *Rudigero.* — 4) *Sigifridi II.*

nates predictos, ut debitam[i] ecclesie restituant libertatem et eam in futuro illibatam conservent; comminantes eis, quod nisi ab ecclesiarum[k] gravaminibus conquiescant, iram dei sibi merito comparabunt et in eos ecclesia Romana manus suas aggravabit, prout viderit expedire. Datum Laterani, IIII idus maii, pontificatus nostri anno primo.

143.

Honorius III papa Otakaro, regi Bohemiae, de controversia, quae inter eum et episcopum Pragensem de libertate ecclesiastica orta est, scribit eumque hortatur, ut procuratores cum pleno agendi ac respondendi mandato Romam mittat.
Anagniae [1217] iun. 22.

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. IX) asservatur, fol. 126r, lib. I, ep. 514 (R). — Alterum apographum exstat in Nicolai de Bohemia Chron., cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur, pag. 258—261, cum data X kal. iunii = 23 maii (C).

Palacký, Ital. Reise, pag. 21, num. 56 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 93, num. 78. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 270, num. 578 (extr. ex R) — Potthast, Reg. pontif. num. 5566 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom I, pag. 108, num. 627 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6237.

.. illustri regi Boemie.[a] Inter ceteros mundi reges te tamquam spectabilem et catholicum principem sincera caritate diligimus et tam nos quam fratres nostri ad ea,[b] que respiciunt tue celsitudinis commodum et honorem, voluntate unanimi aspiramus, habentes in proposito efficaciter exaudire, si qua, que rationi consentiant, ab apostolica sede duxeris postulanda. Unde si aliquando petitiones tuas a nobis[c] non exaudiri contingit, id non nobis debes imputare, sed rebus: quia vel[d] postulatur, quod concedi non debet, eo quod est rationi contrarium, vel inordinate petitur, quod alias fuerat[e] concedendum. Quemadmodum nuper contigit in negotio[f] questionis inter te ac venerabilem fratrem nostrum episcopum[g] Pragensem exhorte,[h] in quo iuxta petitionem tuam procedere non potuimus, eo quod procuratores minus idoneos et plenum mandatum, ut oportuit, non habentes propter hoc ad nostram presentiam destinasti. Sane cum nos illum oporteat[i] imitari, qui quos amat arguit[i] et castigat,[1] esse non debet tue serenitati molestum, si te, quem sincera diligimus caritate,[k] arguere curaverimus[l] et ad ea, que ad[m] famam et salutem tuam[n] pertineant, commonere.[o] Siquidem audisse[p]

142. *i)* ,debitũ' *C.* — *k)* ,ab eorum' *C.*

143. *a) Superscriptio rubro colore scripta est R;* ,Honorius III .. illustri regi Boemie' *C.* — *b)* ,ea' *deest C.* — *c)* ,a nobis' *deest C.* — *d)* ,quia id postulatur' *C.* — *e)* ,erit' *C.* — *f)* ,in negotio' *deest C.* — *g)* ,episcopum' *deest C.* — *h)* ,exorte' *C.* — *i)* ,imitari oporteat, qui quem antea redarguit' *C.* — *k)* ,caritate diligimus' *C.* — *l)* ,curavimus' *C.* — *m)* ,ad' *deest C.* — *n)* ,tuam' *deest C.* — *o)* ,commonere pertineant' *C.* — *p)* ,vidisse' *C.*

1) *Apocal. III, 19.*

te credimus, quod de ministris ecclesiarum veritas ipsa dicit: ‚qui vos tangit, me tangit et qui tangit vos, tangit pupillam[q] oculi mei‘[2]; ex quo evidenter ostenditur, quantum oculos[r] divine maiestatis offendat, qui manus in sacerdotes et alios, qui divinis officiis sunt ascripti,[s] extendere non verentur. Unde cum in regno tuo clerici,[t] sicut dolentes accepimus, non solum ad secularia iudicia pertrahantur, verum etiam per laicos ultimo[u] afficiantur supplicio et morte turpissima condempnentur: verendum tibi est, ne is, qui regalem tibi contulit potestatem,[v] de tuis manibus hec requirat et tibi propter hec aliquando irascatur, qui ab eo[x] super alios constitutus et coronatus gloria et honore, ministros eius, immo[y] ipsum in illis,[z] taliter inhonoras non absque nostra et apostolice sedis iniuria, ad quam iudicium spectat huiusmodi personarum. Neque enim excusare te potes,[aa] quasi non facias, que te iubente, vel saltem dissimulante a ministris et subditis tuis fiunt, cum negligere, quos potes[bb] perturbare perversos, nichil sit aliud quam fovere. Interdicti quoque sententiam ab ipso episcopo iustitia exigente prolatam, ut dicitur, vilipendis, quamquam in forma ipsius sententie sit expressum, ut eius violatores excommunicationis sint vinculo[cc] innodati, et cum communicantes excommunicatis laqueus par involvat,[dd] tu excommunicatis communicare publice non vereris; et investituras ecclesiarum usurpans, que ad ipsum noscuntur episcopum[ee] pertinere, ac tam[ff] religiosis quam aliis viris ecclesiasticis imponens exactiones indebitas et imponi permittens, decimas de tuo domanio[gg] non exolvis.[hh] Unde tam magnates, quam humiles regni tui, tuum sequentes exemplum, eas retinere pro parte[ii] maxima non formidant; et sic, te tum faciente, tum[jj] dissimulante, libertas ecclesiastica conculcatur et ecclesiarum iura multimodis[kk] usurpantur. Monemus igitur serenitatem tuam, rogamus[ll] et exhortamur attente, quatinus prudenter attendens, quod quanto[mm] divine benignitatis munificentia te amplius exaltavit, tanto devotius debes humiliare coram Domino[nn] temet ipsum, et ab hiis, que sibi displicent, cautius abstinere; nec non ad Romanam ecclesiam, matrem tuam, debitum habens cum devotione respectum, ecclesias et personas ecclesiasticas regni tui gaudere facias debita libertate, relinquens dicto episcopo iudicia clericorum, ecclesiarum[oo] investituras et alia, que ad eundem noscuntur episcopum[pp] pertinere; ac servans humiliter ac servari faciens usque ad satisfactionem condignam supradictam sententiam interdicti, ab ecclesiarum oppressione[qq] ac detentione decimarum et ipse desistas et alios desistere facias, sicut catholicum[rr] regem decet; et considerata episcopi iam dicti[ss] constantia, qui exilium

143. *q)* ‚pupillam tangit‘ *C.* — *r)* ‚oculos‘ *deest C.* — *s)* ‚astricti‘ *C.* — *t)* ‚tuo clerici‘ *deest C.* — *u)* ‚ultimo‘ *deest C.* — *v)* ‚qui regalem potestatem contulit‘ *C.* — *x)* ‚qui a deo‘ *C.* — *y) ita R;* ‚ymo‘ *C.* — *z)* ‚illos‘ *R.* — *aa)* ‚Nec enim te excusare potes‘ *C.* — *bb)* ‚poteras‘ *C.* — *cc)* ‚vinculis‘ *C.* — *dd)* ‚involvit‘ *C.* — *ee)* ‚episcopum noscuntur‘ *C.* — *ff)* ‚quam‘ *C.* — *gg)* ‚demanio‘ *R.* — *hh) ita R, C.* — *ii)* ‚propter te‘ *C.* — *jj)* ‚te tam faciente quam‘ *C.* — *kk)* ‚multis modis‘ *C.* — *ll)* ‚mandamus‘ *C.* — *mm)* ‚quanta‘ *R.* — *nn)* ‚deo‘ *C.* — *oo)* ‚et ecclesiarum‘ *C.* — *pp)* ‚episcopum noscuntur‘ *C.* — *qq)* ‚cōpressione‘ *C.* — *rr)* ‚katholicum‘ *C.* — *ss)* ‚iam dicti ep̄i‘ *C.*

2) *Cf. Zach. II, 8.*

subire non metuit pro tuenda ecclesie libertate, ipsum propter hoc, si dignum est,[tt] amplius carum habens, utpote libertatis ecclesiastice[uu] zelatorem, eundem, qui,[vv] sicut ex ore ipsius[xx] audivimus, te sincera diligit caritate,[yy] teque post deum sue promotionis auctorem[zz] et suum benefactorem precipuum recognoscit, in gratiam recipias consuetam; et tam ipsum, quam ecclesias et clerum sibi commissum sic favore regio prosequaris, quod[a] illum, qui dat salutem regibus, pro te devotis teneantur mentibus[b] exorare, et tu preter retributionem divinam, qua nequaquam fraudaberis, si ecclesias et earum ministros pro dei reverentia studueris honorare, laudem ex hoc apud homines assequaris,[c] et apostolica sedes te semper[d] de caro habeat cariorem. Quod si forsan eundem episcopum causam fovere reputas[e] sic[f] iniustam, ut monitis nostris nolis[g] acquiescere in hac parte, set omnino velis negotium ipsum iudicio terminari, procuratores sollempnes, sicut magnificentiam tuam decet, cum pleno agendi ac respondendi mandato ad nostram presentiam destinare, et nos, qui tibi[h] non solum iustitiam facere, sed gratiam quoque in quibus decuerit proponimus exhibere, taliter in ipso negotio procedemus, quod tue sublimitati displicere merito non debebit, cui placere debent omnia, que sunt iusta.[i] Latores[k] autem presentium regie serenitati reddimus commendatos, qui nobis et fratribus nostris pro negotiis suis instituerunt fideliter et prudenter.[k] Datum Anagnie, X kalendas iulii,[l] pontificatus nostri anno primo.

144.

Honorius III papa archiepiscopis, episcopis aliisque praelatis mandat, ne fratres Sepulcri Dominici cogant solvere vicesimam de proventibus ecclesiarum, quas habent in eorum dioecesibus, a qua eos liberos constituit.

Anagniae [1217] iul. 8.

Autographum (olim tabularii monii. in Zderaz) in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A). — Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 119r, lib. I, ep. 495 (R).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 272, num. 579 (fragm.) — Potthast, Reg. pontif. num. 5574 — Pressutti, Reg. Hon. III, tom. I, pag. 112, num. 652.

In autographi tergo alio atramento hoc scriptoris registri signum scriptum est: ℞, *in cuius parte superiore litterae* ſcpt *positae sunt.*

143. tt) ,si dignum est' *desunt C.* — uu) ,ecclesiastice libertatis' *C.* — vv) ,qui' *deest C.* — xx) ,eius' *C.* — yy) ,te sincerissima libertate diligit' *C.* — zz) ,actorem' *R.* — a) ,ut' *C.* — b) ,mentibus teneantur' *C.* — c) ,exequaris' *C.* — d) ,te de cetero semper' *C.* — e) ,epm tam facile reputas' *C.* — f) *genuine* ,sicut', *sed radendo corr. R.* — g) ,nolit' *C.* — h) ,destinare nosque tibi' *C.* — i) ,cui que iusta sunt, credimus placere' *C.* — k) ,Latores — prudenter' *desunt C.* — l) ,iunii' *C.*

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabilibus fratribus[a] archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis[b] aliis ecclesiarum prelatis, ad ‖ quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.[c] Audivimus et audientes nequivimus non mirari, quod dilecti ‖ filii fratres Sepulchri Dominici ad solvendum[d] vicesimam de proventibus ecclesiarum suarum, quas habent in ‖ vestris diocesibus, compelluntur. Cum igitur universa, que habent in partibus cismarinis, ab ipso principio eis collata fuerint pro reverentia Terre sancte, et eiusdem Terre servitio totaliter deputata, presentium vobis auctoritate precipiendo mandamus, quatinus eos super huiusmodi prestatione, a qua eos constituimus liberos et immunes, nullatenus molestetis, nec permittatis ab aliquibus molestari, integre restitui facientes eisdem singuli per vestras dioceses, si qua forsan propter hoc ab eorundem ecclesiis per vos seu per alios sunt extorta. Datum Anagnie, VIII idus iulii, pontificatus nostri anno primo.

Autographo appendet e filo cannabino Honorii III bulla plumbea eadem atque in num. 138.

145.

Honorius III papa Sigifridum II, archiepiscopum Maguntinum, graviter reprehendit, quod interdicti per Bohemiam promulgati sententiam relaxaverit.

Ferentini [1217] iul. 20.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 125v—126r, lib. I, ep. 513 (R). — Aliud apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunensi asservatur, pag. 262 (C).

Würdtwein, Nova subsidia dipl. III, pag. 47 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 93, num. 79 — Palacký, Ital Reise, pag. 21, num 57 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 272, num. 580. — Horoy, Honorii opera II, pag. 470, num. 362 — Potthast, Reg. pontif. num. 5582 — Böhmer-Will, Reg. arep. Magunt. II, 166, num. 281 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6238 — Pressutti, Reg. Hon. III, tom. I, pag. 115, num. 669. — Cf. Winkelmann, Philipp v. Schwaben u. Otto IV, tom. II, pag. 452.

.. archiepiscopo Maguntinensi.[a] Cum ad preces venerabilis fratris nostri .. Pragensis[b] episcopi confirmaverimus sententiam interdicti, quam idem episcopus in diocesim suam multis provocatus iniuriis promulgavit, miramur, in qua potestate ipsam relaxare sententiam[c] presumpsisti, presertim eodem episcopo propter hoc apud sedem apostolicam constituto, quem etiam ad nostram presentiam accedentem nobis per litteras tuas sollicite commendasti. Unde tibi sine mandato apostolico relaxare sententias auctoritate apostolica roboratas? Quo te vertes, ut tante pre-

144. *a)* ‚Honorius – fratribus' *desunt R.* — *b)* ‚dilectis filiis' *desunt R.* — *c)* ‚salut. — benedict.' *desunt R.* — *d)* ‚solvendam' *R.*

145. *a)* ‚Maguntinen' *R;* ‚Honorius papa Moguntiñ archiepiscopo' *C.* — *b)* ‚Andree Prag.' *C.* — *c)* ‚sententiam relaxare' *C.*

sumptionis audaciam pallies? In que verba poteris declinare cor tuum, ut excusationes in peccatis excuses, cum predictam relaxando sententiam nobis iniuriam feceris et ipsi episcopo ac ecclesiastice libertati grave dispendium generaris? Profecto non tam obiurgandus esses, quam severitate canonica puniendus. Sed nos ad presens obiurgatione contenti, per apostolica tibi scripta precipiendo mandamus, quatinus infra viginti dies post susceptionem presentium, excusatione ac[d] appellatione cessantibus, factum in eo statu[e] reducas, in quo erat, quando idem episcopus iter arripuit ad nostram presentiam veniendi; sciens nos dilectis filiis .. Ebracensi et[f] .. Halsbrunensi prioribus, Herbipolensis et Heistetensis[g] diocesium, per scripta nostra mandasse, ut te in mandati nostri executione cessantem ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Datum Ferentini, XIII kalendas augusti, pontificatus nostri anno primo.

146.

Honorius III papa prioribus monasteriorum in Ebrach et in Heilsbronn mandat, ut Sigifridum II, archiepiscopum Maguntinum, nisi interdictum ab Andrea, episcopo Pragensi, in Bohemiam promulgatum infra viginti dies post litteras suas acceptas restituerit, ad id exsequendum poena ecclesiastica cogant.

[Ferentini 1217 iul. 20.]

Litterarum argumentum in Nicolai de Bohemia Chron. sub litterarum num. 145 apographo his verbis indicatur: ‚Executoribus predictis in eundem modum.‘ *(Vid. Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 128 nota.)*

147.

Honorius III papa Johanni, archiepiscopo Strigoniensi, mandat, ne illis, quos Andreas, episcopus Pragensis, interdicto supposuit, sacramenta ecclesiastica impendat, sed interdictum in Bohemiam promulgatum integre observari iubeat; regem ac magnates, ut ecclesiae libertatem restituant, adducat.

Ferentini [1217] iul. 27.

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV. in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos num. 292] asservatur, pag. 265 (C).

Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 129 nota.

Altera epistulae pars, quae post ‚inviolabiliter observari‘ *sequitur, verba litterarum Honorii III papae, quae 1217 maii 12 ad episcopum Olomucensem missae sunt (v. num 141), repetit.*

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri[a] ..[1] archiepiscopo Strigoniensi salutem et apostolicam benedictionem.[b] Presencium tibi auctoritate precipiendo mandamus, quatenus eos, quos venerabilis frater noster .. Pra-

145. *d)* ‚et‘ *C.* — *e)* ‚in eum statum‘ *C.* — *f)* ‚et‘ *deest C.* — *g)* ‚Heisti‘ *C.*

147 *a) pro* ‚Honorius — fratri ..‘ *tantum* ‚Idem‘ *habet C.* — *b)* ‚salut. — benedict.‘ *desunt C.*
1) *Johanni.*

gensis episcopus supposuit interdicto, non recipias ad ecclesiastica sacramenta; sed precipiens ipsius episcopi sentenciam, relaxacione venerabilis fratris nostri ..[2] Moguntini archiepiscopi non obstante, inviolabiliter observari, regem ac magnates Boemie diligenter moneas et inducas, ut debitam ecclesie restituant libertatem et eam in futuro illibatam conservent, comminans eis, quod nisi ab ecclesiarum gravaminibus conquiescant, iram dei sibi merito provocabunt et in eos ecclesia Romana manus suas aggravabit, prout viderit expedire. Datum Ferentini, VI kalendas augusti, pontificatus nostri anno secundo.

148.

Sigifridus II, archiepiscopus Maguntinus, prioribus de Ebrach et de Heilsbronn sui purgandi causa exponit, quibus conditionibus interdictum ab Andrea, episcopo Pragensi, Bohemiae impositum solverit. *[1217 m. augusto.]*

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV. in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos num. 292] asservatur, pag. 263 (C).

Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 128 nota.

Epistula ad mensem augustum anni 1217 referenda esse videtur, quippe quae litteris Honorii III papae, quae die 20 iulii datae sunt, originem debeat.

⟨Maguntinus executoribus.[1]⟩ Domini pape mandatum cum litteris ipsius et vestris[2] recepimus et perlegimus[a] reverenter. Qui si plenissime novisset, quo moderamine equitatis, quam racionabili condicione fecerimus[b] interdictum Pragensis diocesis[c] relaxari, redargucionis nostre ferulam mitigasset. Mandavimus siquidem hoc modo relaxacionem ipsius, ut si processit auctoritate apostolica interdictum, iuberetur ab omnibus inviolabiliter observari; si vero a domino Pragensi episcopo, vel ab alio nobis subdito latum esset, acepta sufficienti caucione a domino rege Boemie et suppanis de parendo iusticie super cunctis, que causam prebuerant, interdictum ipsum ad cavendum animarum periculis relaxetur, maxime cum ante prolacionem interdicti ad nos fuerit[d] appellatum.

149.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Honorio III papae de eis, quae sibi crimini dantur, se excusat eumque rogat, ne contra se, vel terram suam ante nuntiorum suorum adventum aliquid agat. *[1217 aug. — sept.]*

---

147. 2) *Sigifridi II.*

148. *a)* ‚peregimus' *C.* — *b) genuine* ‚fecerimus condicione', *sed signis superscriptis corr. C.* — *c)* ‚dyoc.' *C.* — *d)* ‚fuit' *C.*

1) *Nomina eorum in litteris num. 145 afferuntur.* — 2) *Papae mandatum vide supra, num. 145; litterae executorum deperditae sunt.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario secreto Vaticano asservatur (A).

Palacký, Ital. Reise, pag. 21, num. 58 (reg.) – Erben, Reg. Boh. I, pag. 273, num. 581. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10813. — || Ea quae Raynaldus, Annal. eccl. XIII, col. 284 = Manrique, Annal. Cisterc. IV, col. 142 (ad a. 1218), = Balbin, Miscell. hist. regni Boh., dec. I lib. VI, append. pag. 82, num. 2, = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 95, num. 81 praebent, non sunt epistulae recta verba, sed tantum eius argumentum. ||

Autographum manu scribae, quem nota ‚Otakarus 12' signamus, exaratum est. Litteras filis, quibus bulla appensa est, clausas fuisse ex eo cognosci potest, quod in dextro et sinistro margine membrana nonnullis locis incisa est. — Epistula notis temporis omnino caret; sed mense fere augusto aut septembre a. 1217 missam esse verisimile est, tum quod rex de illis, quae sibi in litteris papae die iunii 22 missis crimini dabantur, se excusat, tum quod papae rescriptum novembris die 2 datum est.

Venerabili in Christo patri et domino Honorio, dei gracia sancte Romane ecclesie summo pontifici, O., eadem gracia Boemorum rex, tam debitum quam devotum cum omnimoda || reverencia servicium. Literas sanctitatis vestre[1] ea, qua decuit, devotione recipiens, serie ipsarum ad plenum intellecta, cognovi, quod me sincera in || animo diligitis inter ceteros mundi reges caritate, et quod iustas meas petitiones exaudire, et ea, que meum respiciunt commodum et honorem, || velitis promovere. Pro quo, quam diu vixero, paternitati vestre multo devocius et sancte Romane ecclesie tenebor ad grata servicia obligatus, gratulanti animo recipiens vestram paternam et piam argucionem, qua me pro salute anime męę fuistis dignatus ammonere; veruntamen, quia multa mendacia contra famam et honestatem meam coram vestra proposita sunt sanctitate, ad que sigillatim duxi respondendum, innocenciam meam excusando. Novit igitur deus, qui occultorum cognitor, quia numquam manus violentas in clericos vel personas religiosas inieci, nec inicere permisi, nec eos ad secularia iudicia pertrahi feci, vel morte qualibet condempnari, set semper eos molestantes, prout potui, castigavi et castigo; nec enim mee consuetudinis est, nec predecessorum meorum, quempiam, quanto magis clericos, ad mortem condempnare. Nec umquam exactiones indebitas inposui vel inponi permisi, nec eorum distuli dissimulando iniurias ad me delatas vindicare. Interdicti sentenciam, licet contra iusticiam prolatam, ob reverenciam sedis Romane, usque ad relaxationem domini Maguntini[2] observavi; excommunicatos, quantum ad meam conscienciam, semper prout potui evitavi. Iura ecclesiarum prout valui adauxi et observavi. Beneficia vero clericorum, que actenus consilio et suasione A.[3] Pragensis episcopi et E.[4] prepositi inmutavi, qui omnia, que umquam in regno meo possederunt, a viventibus recipiebant personis, que numquam ulterius, nisi iusta causa exigente, inmutare attemptabo. Ad hec si dictis meis et mihi fidem non vultis adhibere, ab universo clero Boemie et per vicinas terras circumquaque adiacentes per fideles vestros nuncios inquirere dignemini: et si aliud, quam ut

149. 1) *Litterarum verba dedimus supra num. 143.* — 2) *Maii die 29 factam; v. prooemium epistulae num. 142.* — 3) *Andreae.* — 4) *Epponis, praep. Pragensis.*

dixi, vobis fuerit relatum, me, qui ad omnimodam secundum deum obedienciam sum paratus, pro vestro beneplacito puniatis. Si vero secus, illum, qui me incusat et infamat, prout decet, punire velitis. Decimas de meo domanio ad singulas regales capellas integraliter persolvo, exceptis[a] que episcopo debentur, que usque hodie percipiuntur; et detentores illarum per universam terram punio, super quos mihi querimonia defertur, et ad solucionem conpello. Ammirari preterea vestra non debet dominatio, quod nuncios sollempnes, ut promiseram, qui plenum agendi et respondendi mandatum haberent, ad vestram presenciam non destinavi; non enim potui, antequam nuncium meum cum vestro finali et episcopi mei responso recepissem; nam idem nuncius a curia vestra exiens, in partibus Alamannie gravi valitudine fuit oppressus, et quam cito ad nos accessit, alios ad pedes sanctitatis vestre festinanter presencium latores transmittere curavi, pietati vestre humiliter supplicando, quatinus, sicut mihi per graciam vestram non solum iusticiam facere, set graciam in quibus decuerit, promisistis, usque ad adventum sollempnium nunciorum meorum, quos in brevi sum missurus, nulla contra me et terram meam ad peticionem episcopi mei admittatis, ut ex eo ad devotionem vobis et Romane ecclesie cum universis terre męę nobilibus ardencius accendar.

In membranae margine dextro medio appendet e filis sericis coloris rubri bulla aurea, cuius diametros 61 mm. sunt. In priore bullae parte rex depingitur in solio sedens, qui corona capiti imposita, in manu dextra sceptrum, in sinistra pomum cum cruce tenet. Circumscriptio: PAX REGIS OTACARI IN MANV SCI WENCEXLAI. *In parte aversa depingitur sanctus Venceslaus in solio sedens, qui manu dextra vexillum tenet, sinistra scuto innititur. Circumscriptio:* ✠ SANCTVS · WENCEZIAVS BOEMORVM · DVX.

150.

Honorius III papa Udalricum II Pataviensem et Robertum Olomucensem episcopos et abbatem sanctae Crucis tutores uxoris, filiorum atque terrae Leopoldi VII ducis Austriae instituit. *Ferentini [1217] sept. 1.*

Apographum saec. XIII exstat in Chartulario II, quod in tabulario monii. Klosterneuburg asservatur, fol. 30v - 31r (B).

Fischer, Merkw. Schicksale d. St. Klosterneuburg II, pag. 174, num. 30 (ex B) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 94, num. 80, = Horoy, Honorii III opera, tom. II, pag 498, num. 25 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 274, num. 582 (reg.) — Meiller, Reg. d. Babenberg. pag. 123, num. 153 — Potthast, Reg. pontif. num. 5601 — Pressutti, Reg. Hon. III, tom. I, pag. 132, num. 766.

[H]onorius[a] episcopus, servus servorum dei. Venerabilibus fratribus ..[1] Patauiensi et ..[2] Olomocensi episcopis et dilecto filio ..[3] abbati sancte Crucis,

149. *a) genuine* ‚exceptos‘, *sed eodem atramento correctum A.*

150. *a) Ad litteram* ‚H‘ *supplendam spatium vacuum relictum est B.*

1) *Udalrico II.* — 2) *Roberto.* — 3) *Wernero.*

Patauiensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius nobilis vir ..[4] dux Austrie,[b] assumpto sancte Crucis signaculo, magnifice iter arripuerit ad subsidium Terre Sancte, nos suis iustis postulationibus inclinati, personam suam cum ..[5] uxore, filiis, terra omnibusque bonis suis sub beati Petri et nostra protectione suscepimus; statuentes, ut ea omnia sub speciali apostolice sedis protectione ac defensione consistant, donec de reditu suo vel obitu certissime cognoscatur. Ideoque discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus uxorem, filios et terram eius non permittatis ab aliquibus molestari, molestatores indebitos, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Ferentini, kalendis septembris, pontificatus nostri anno secundo.

151.

Honorius III papa Otakaro I, regi Bohemiae, scribit, se ante adventum nuntiorum eius nihil contra eum vel terram eius facturum esse.

Laterani [1217] nov. 2.

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 167r, lib. II, ep. 697 (R). — Alterum apographum praebet Nicolai de Bohemia Chron., cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnensi [inter Cerronianos n° 292] asservatur, pag. 265–266 (C).

Raynaldi, Annal. eccl. a. 1217, § 44 — Palacký, Ital. Reise, pag. 21, num. 59 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 95, num. 82 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 274, num. 583 (ex R) = Rodenberg, Epist. e regest. pontif. Rom. selectae (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom I, pag. 29, num. 37 — Potthast, Reg. pontif. num. 5612. — Pressutti, Reg. Honorii III, t. I, pag. 145, num. 855.

O. illustri regi Boemie.[a] Litteras serenitatis tue[b,1] benignitate recepimus consueta et earum continentiam intelleximus diligenter, gaudentes quidem in Domino et devotionem regie celsitudinis commendantes, quod sicut[c] princeps catholicus redargutionem[d] apostolicam, qua te paterno affectu, prout ad nostrum spectat officium, corripuimus,[e] non solum patienter, set gratanter etiam recepisti, sicut nobis eedem tue littere declararunt,[f] tuam nichilominus excusans humiliter innocentiam super hiis, que contra ecclesias et personas ecclesiasticas venerabilis frater noster ..[2] Pragensis episcopus te asserit usurpasse. Petitionem ergo, quam

150. *b)* ,dux Austrie ..' *B.*

4) *Leopoldus VII.* — 5) *Theodora.*

151. *a) Inscriptio rubro colore scripta R;* ,Idem papa regi Boemie' *C.* — *b)* ,Lit. tue serenitatis' *C.* — *c)* ,sic' *C.* — *d)* ,redarguicionem' *C.* — *e)* ,corripimus' *C.* — *f)* ,littere tue declaraverunt' *C.*

1) *Vid. num. 149.* — 2) *Andreas.*

nobis fecisti[g] per litteras antedictas, ut videlicet ante adventum sollempnium nuntiorum tuorum, quos in brevi asseris te[h] missurum, nichil contra te vel terram tuam ad petitionem ipsius episcopi faciamus, eo benignius admittentes, quo inter ceteros mundi reges te tue devotionis merito quadam speciali diligimus caritate: nichil contra te vel terram[i] tuam post receptionem litterarum ipsarum ad petitionem ipsius episcopi fecimus[k] vel etiam faciemus, quousque nuntii tui venerint supra dicti, nisi forsan usque adeo eorum differretur[l] adventus, quod merito videretur eos non debere ulterius expectari. Sane nuntii tui, qui nobis sepe dictas litteras obtulerunt, quedam ex tua parte[m] petebant, que non duximus admittenda; super quo tua non debeat[n] turbari serenitas, cum tu ipse velis, sicut de tua devotione confidimus, ut nichil, quod a iustitia vel honestate discordet, pro te seu quocumque alio faciamus. Id autem habeas pro constanti, quod tibi, in quibus honeste poterimus, favorem apostolicum proponimus exhibere. Porro latores presentium, nuntios tuos, tibi reddimus commendatos; quibus non imputes, quod moram traxerunt apud sedem apostolicam longiorem, quia id non fuit per eorum negligentiam, qui se exhibuerunt in omnibus diligentes, sed nos ipsi eosdem tenuimus, sperantes, quod super negotiis tuis possemus aliter providere. Datum Laterani, IIII nonas novembris, pontificatus nostri anno secundo.

152.

Andreas II, rex Hungariae, se Thomae comiti „terram quamdam, nomine Zakolcha, rudem et desertam, sitam in confinio regni sui versus Boemiam", hereditarie possidendam donavisse attestatur, petentibus ipsius Thomae filiis. In cuius terrae metarum descriptione commemoratur „via exploratorum de Boemia, que vulgo Symarut dicitur". *— 1217 —.*

Fejér, Cod. dipl. Hungariae, p. III, vol. I, pag. 199 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 96, num. 83 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 275, num. 584 (frgm.).

153.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Milevsko villam Bojenice, quondam pro quinquaginta marcis argenti obligatam, sexaginta marcis insuper acceptis, donat. *In Knín 1218 ian. 15.*

Duo autographa in membrana scripta in tabulario castri Vorlík asservantur (A1, A2).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 97, num. 84 (exc. ex A1) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 275, num. 585 (fragm. ex A1).

Utrumque autographum manu scribae, quem nota ‚Otakarus 10' signavimus, exaratum et ab ipso etiam verbis contextum est; de quo quidem scriba cf. prooemium diplomatis num. 118.

151. g) ‚fecistis' C. — h) ‚te asseris' C. — i) ‚vel contra terram' C. — k) ‚facimus' C. — l) ‚diferetur' C. — m) ‚ex parte tua' C. — n) ‚debet' C.

In nomine sanctę et individuę trinitatis. Premyzel, dei favente clementia rex Boemorum. ‖ Notum sit omnibus presentium inspectoribus modernis et futuris, quod nos regnum ‖ Boemię dante Domino adepti, cum rei publicę ita poposcisset utilitas, villam quamdam ‖ Boienicz[a] dictam obligavimus abbati de Myleuzko[b] pro quinquaginta marcis puri argenti, pollicentes bona fide et in timore dei, quod numquam eam[c] in ius nostrum revocaremus, nisi prius prefatam pecuniam monasterio illi persolveremus. Testes, in quorum presentia hoc factum fuit, sunt isti: Andreas Pragensis tunc prepositus et cancellarius regis,[1] nunc episcopus, Arnoldus decanus Pragensis, Benedictvs[d] canonicus, Tsyrninus[e] camerarius regis,[2] Ztybor iudex curię, Holatz subcamerarius reginę. Quibus ita existentibus, tandem post multos annos, abbate petente simul et regina intercedente, sexaginta insuper marcas accepimus et prefatam villam ęcclesię Myleucensi regali manu et liberalitate donavimus. Sane Zvlizlaus[f] subcamerarius[g] [3] et Predwoy[h] villicus noster precepto nostro memoratam villam cum appendiciis suis obequitaverunt et signa in terminis posuerunt; et cum eis equitaverunt Martinus canonicus cum suis, Rodozlaus[i] de Zyrlin, Pribizlaus Vitusowic,[k] Zdywoy[l] Reinartic, Jenis et Meduvedec[m] et plures alii. Hanc itaque[n] villam taliter a nobis loco illi additam[o] regali auctoritate confirmamus et quiete possidendam decernimus. Ut autem hec[p] nostrę auctoritatis donatio firma et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscribi et sigillis tam nostro quam reginę[q] iussimus roborari.

Testes etiam huius donationis statuimus dilectum germanum nostrum Wadizlaum marchionem Morauię nec non et filios nostros karissimos Wencezlaum et Wadizlaum, camerarium etiam nostrum Zlauconem cum filio Bohuzlao, Daliboronem iudicem curię cum filio Aldico, Be[nes et][r] Marquardum fratres, Witcho-

Testes etiam huius donationis et confirmationis statuimus filios nostros Vencezlaum et Vladizlaum nec non et dilectum germanum nostrum Wadizlaum marchionem Morauię, Zlauconem quoque camerarium nostrum cum filio Bohuzlao, Daliboronem iudicem curię cum filio Aldico, Benes et Marquardum fratres,

---

153. *a)* ‚Boienitz‘ *A^2*. — *b)* ‚abbati de Myleuzko obligavimus‘ *A^2*. — *c)* ‚e‘ *ex* ‚i‘ *statim inter scribendum corr. A^1* — *d)* ‚Benedictꝰ‘ *A^2*. — *e)* ‚Tcyrninꝰ‘ *A^2*. — *f)* ‚Zvlizlavs‘ *A^2*. — *g) genuine* ‚subcam'ariꝰ‘, *sed compendiis erasis, statim eodem atramento eadem manus omnibus litteris perscripsit A^2*. — *h)* ‚Preduoy‘ *A^2*. — *i)* ‚Radozlaus‘ *A^2*. — *k)* ‚Vitussic‘ *A^2*. — *l)* ‚Sdywoy‘ *A^2*. — *m) genuine* ‚Meduvedic‘, *sed eod. atramento corr. A^2*. — *n)* ‚igitur‘ *A^2*. — *o)* ‚collatam‘ *A^2*. — *p)* ‚hęc‘ *A^2*. — *q) ex* ‚roginę‘ *eodem atramento correctum A^1*.

(A^1). r) litteras, quae cum membrana laesa perierunt, supplevi ex A^2.

1) *Andreas ab anno 1207 praepositus Pragensis in diplomatibus annorum 1211—1214 maii 15 demum cancellarius regis nominatur (v. num. 90, 99, 113); in episcopum consecratus est a. 1215 nov. 21.* — 2) *Černín camerarius regis a. 1212 e Bohemia expulsus est (Fontes rer. Boh. II, pag. 283), itaque villam Bojenice ante annum istum obligatam esse nemo non videt.* — 3) *Charta num. 188 melius subcamerario nomen Zdislaus fuisse dicit.*

nem et Heinricum cum filiis et fratribus, Budiwoy et Jaros et Hermannum cum fratribus, Wyssemyrum et Hywanum, Ozlonem et Juram fratres et insuper omnes Boemię proceres, coram quibus hec gesta sunt, et ad quorum notitiam pervenerunt. Facta[s] est autem hęc donatio in Knin, XVIII kalendas februarii, anno verbi incarnati MCCXVIII, indictione VI, anno regni domini Premyzlonis XX, presentibus filiis ipsius Wencezlao et Wadizlao nec non et proceribus istis: Dyuvis de Dyuviscov, Zulizlao subcamerario, Heinrico Bohutic, Iwano Cluzic, Dobrohost Wolizeuvic, Preduvoy villico, Waltero Pernoltowic et aliis quam pluribus. Quam donationem tam sollempniter factam et roboratam, si quis cassare temptaverit, nisi maturius resipiscat, iram omnipotentis dei incurrat[t] et in extremo tremendi iudicii examine districtę amimadversionis[u] ultioni subiaceat.

Vitconem et Heinricum cum filiis et fratribus, Budwoy et Jaros, Wysemyrum[r] et Hywanu,[s] Ozlonem et Jvram fratres et omnes Boemię proceres, coram quibus hec gesta sunt, vel ad quorum notitiam pervenerunt.[t] Actum Knîne XVIII kalendas februarii, anno verbi incarnati millesimo ducentesimo XVIII, indictione VI, anno regni domini Premyzlonis XX, presentibus filiis regis Wencezlao et Wadizlao nec non et proceribus ipsius Dywisone de Dyuviscov, Zulizlao subcamerario,[u] Heinrico Bohutîc, Iuvano Cluzic, Dobrohost Wolizewic, Predwoy villico et aliis quam pluribus. Hanc ergo donationem nulli penitus liceat infringere, nulli cassare, nec preiudicium quodlibet super hac Myleucensi ęcclesię inferre. Quod si quis attemptaverit, nisi maturius resipiscat et ęcclesię satisfaciat, iram omnipotentis dei et indignationem sanctorum inibi quiescentium incurrat et in extremo tremendi iudicii examine districtę amimadsionis[v] ultioni subiaceat ac cum impiis ęcclesiarumque invasoribus sententiam ęternę dampnationis excipiat.

Utrique autographo appendebant e filis sericis albis et rubris sigilla regis et reginae, quae iam avulsa et deperdita sunt. Superest tantum in A¹ sigillum reginae de cera naturali confectum, cuius pars defracta desideratur; quod quidem sigillum ex eadem forma provectum est, atque sigilla diplomatum num. 21 et 75.

154.

Honorius III papa Conrado IV, episcopo Ratisponensi, et sancti Emmerammi et de Walderbach abbatibus mandat, ut interdictum in Pragensi dioecesi positum firmiter observari faciant. *Laterani [1218] febr. 15.*

---

153. *(A¹). s)* ‚Facta — ultioni subiaceat' *alio atramento, sed eadem manu scripta sunt A¹. — t) litterae* ‚dei in' *in loco raso ex* ‚incur' *eodem atramento correctae sunt A¹. — u) ita scribae incuria A¹.*

(A²). r) primum ‚y' *ex* ‚i' *eod. atramento corr. A². — s) ita (pro* ‚Hywanum'*) A². — t) Quae subsequuntur eodem fere atramento, sed alia penna scripta sunt A². — u)* ‚e' *ex* ‚a' *eod. atramento corr. A². — v) ita scribae incuria A².*

Epistulae argumentum exstat in Honorii III regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 226r, lib. II, ep. 919,[2] (R).

Würdtwein, Subsidia nova dipl. III, pag. 59 — Palacký, Ital. Reise, pag. 21, num. 60 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 97, num. 85 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 276, num. 587 — Rodenberg Epist. e regestis pontif. Roman. selectae (Mon. Germ Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 38, num. 50. — Potthast, Reg. pontif. num. 5706 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, pag. 185, num. 1100.

..[1] episcopo[a] et .. sancti Emmerammi Ratisponensis et .. de Wallerbach Cisterciensis ordinis, Ratisponensis diocesis, abbatibus. Presentium vobis auctoritate precipiendo mandamus, quatinus interdictum, sicut[b] est positum in Pragensi diocesi per venerabilem fratrem nostrum ..[2] Pragensem episcopum et demum auctoritate apostolica confirmatum, relaxatione venerabilis fratris nostri ..[3] Maguntini archiepiscopi non obstante, in ecclesiis Cisterciensis et Premonstratensis ordinum et Hospitalariorum et omnium, tam exemptorum, quam non exemptorum eiusdem diocesis, faciatis per censuram ecclesiasticam, remoto cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, firmiter observari,[b] non obstantibus privilegiis eisdem ecclesiis ab apostolica sede concessis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse,[c] tu ea, frater episcope, cum eorum altero nichilominus exequaris.[d] Datum Laterani, XV kalendas martii, anno secundo.

155.

Honorius III papa Conrado IV, episcopo Ratisponensi, et sancti Emmerammi et de Walderbach abbatibus mandat, ut caute et diligenter explorent, qui sit status episcopatus Pragensis.

Laterani [1218] febr. 15.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 226v, lib. II, ep. 920,[2] (R).

Manrique, Annal. Cisterc. IV, pag. 142 — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 98, num. 86 — Palacký, Ital. Reise, pag. 21, num. 61 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 276, num. 588. — Gradl, Monum. Egrana I, num. 140 (reg.) — Horoy, Honorii III Opera t. II, pag. 639, num. 140 — Rodenberg, Epistolae e reg. pontif. Rom. sel. (in Mon. Germ. Epp. s. XIII) tom. I, pag. 35, num. 46. — Potthast, Reg. pontif. num. 5705 — Pressutti, Reg. Hon. III, tom. I, pag. 185, num. 1101. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6264.

---

154. a) *In R praecedunt verba:* ‚In eundem modum scriptum est', *quibus ad litteras episcopo Olomucensi 1218 mart. 4 missas (v. infra num. 157) revocatur.* — b) *pro* ‚sicut — observari' *in R legitur:* ‚etc. ut supra usque: non obstantibus'; *supplevi ex litteris episcopo Olomucensi 1218 mart. 4 missis.* — c) ‚hiis — interesse' *desunt in R.* — d) ‚nichil. exequaris' *tantum compendio* ‚etc' *indicantur in R.*

1) *Conrado IV.* — 2) *Andream.* — 3) *Sigifridi II.*

..[1] episcopo et .. sancti Emmerammi Ratisponensis et .. de Wallerbach, Cisterciensis ordinis, Ratisponensis diocesis, abbatibus.[a] Presentium vobis auctoritate precipiendo mandamus, quatinus caute ac diligentius exploretis, qui percipiant fructus vel procuratores existant bonorum[b] episcopatus Pragensis, et utrum karissimus in Christo filius noster .. Boemie rex illustris, absente venerabili fratre nostro .. Pragensi episcopo, ordinaverit, vel ordinari fecerit procuratores eosdem, vel si regis habeant familiaritatem ipsius? Et utrum etiam occasione more, quam facit apud sedem apostolicam, ecclesiis sue diocesis et bonis eorum immineat dispendium et gravamen, vel si exactionibus aggraventur? Et an nuntii eiusdem episcopi prohibeantur intrare libere ac exire? Et que super hiis et aliis inveneritis, vestris nobis litteris intimetis, ut secundum hec et alia, que audierimus, in negotio eiusdem episcopi prout procedendum fuerit, procedamus. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse,[c] tu ea, frater episcope, cum eorum altero nichilominus exequaris.[d] Datum Laterani, XV kalendas martii, pontificatus nostri anno secundo.

156.

Honorius III papa Conrado IV, episcopo Ratisponensi, et sancti Emmerammi et de Walderbach abbatibus mandat, ut Arnoldum decanum aliosque praelatos ecclesiae Pragensis, qui interdictum in ecclesia Pragensi positum relaxaverant, ad sedem apostolicam transmittant. *Laterani [1218] febr. 16.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 226v, lib. II, ep. 920 (R).

Manrique, Annal. Cisterc. IV, pag. 141 — Würdtwein, Subsidia nova dipl. III, pag. 60, = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag 99, num. 87 — Erben, Reg. Boh I, pag. 276, num. 589 (ex Manrique) — Palacký, Ital. Reise, pag. 21, num. 62 (reg.) — Gradl, Monum. Egrana I, num. 141 (reg.) — Horoy, Honorii III Opera, t. II, pag. 639, num. 141 — Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Rom. selectae (in Mon. Germ. Epp. saec. XIII) I, pag. 36, num. 47 — Potthast, Reg. pontif. num. 5707 — Pressutti, Reg. Honor. III, tom. I, pag. 185, num. 1102 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6265.

..[1] episcopo et .. sancti Emmerammi Ratisponensis et .. de Wallerbach Cisterciensis ordinis, Ratisponensis diocesis, abbatibus.[a] Venerabilis frater noster ..[2] Pragensis episcopus nobis humiliter intimavit, quod ..[3] decanus et

---

155. *a) Superscriptionem, quae in R tantum verbo* ‚Eisdem' *indicatur, suplevi e registri ep. 920 (v. num. 156); apud Manrique et Erben litteras ad Ratisponensem episcopum et Waldsassensem abbatem missas esse, perperam dicitur — b)* ‚bonorum' *ead. manus in margine addidit R. — c)* ‚hiis — interesse' *desunt R — d)* ‚nich. exequaris' *desunt R.*

1) *Conrado IV.*

156. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R; Manrique, Erben et Gradl perperam litteras Ratisponensi episcopo et abbati Waldsassensi missas esse dicunt.*

1) *Conrado IV.* — 2) *Andreas.* — 3) *Arnoldus.*

quidam de prelatis et canonicis ecclesie sue auctoritate propria relaxarunt quod in ipsa posuerat interdictum, priusquam venerabilis frater noster ..[4] Maguntinus archiepiscopus relaxationem generalem, quam reputamus penitus fore nullam, facere presumpsisset, ipsum adhuc, licet fuerit confirmatum auctoritate apostolica, observare ausu temerario contempnentes. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus utrum premissis veritas suffragetur, per vos et alios cum cautela et industria diligentius explorantes, ipsos, si rei veritas sic se habet, ab officio beneficioque suspensos ad sedem apostolicam transmittatis, satisfacturos nobis et ipsi de tante presumptionis excessu. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse,[b] tu ea, frater episcope, cum eorum altero nichilominus exequaris.[c] Datum Laterani, XIIII kalendas martii, anno secundo.

157.

Honorius III papa Roberto, episcopo Olomucensi, mandat, ut interdictum in Bohemia positum firmiter observari faciat. *Laterani [1218] mart. 4.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 226^v, lib. II, ep. 919 (R).

Würdtwein, Subsidia nova dipl. III, pag. 58 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 99, num. 88 — Palacký, Ital. Reise, pag. 21, num. 63 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 277, num. 590 (reg.) — Horoy, Honorii III Opera, tom. II, pag. 652, num. 152 – Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Roman. sel. (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 38, num. 50. — Delaville Le Roulx, Cartulaire général des Hospitaliers de s. Jean de Jérusalem II, pag. 242, num. 1609. — Potthast, Reg. pontif. num. 5714. - Pressutti, Reg. Hon. III, tom. I, pag. 190, num. 1131. — Böhmer-Will, Reg. arep. Magunt. II, pag. 168, num. 295 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6269.

Litterae iisdem verbis contextae sunt atque illae, quae die 15. febr. ad Conradum, episc. Ratisponensem, ac s. Emmerammi et de Walderbach abbates missae sunt (v. num. 154).

Episcopo Olomucensi.[a] Presentium tibi auctoritate iterato precipiendo mandamus, quatinus interdictum, sicut est positum in Pragensi diocesi per venerabilem fratrem nostrum ..[1] Pragensem episcopum, et demum auctoritate apostolica confirmatum, relaxatione venerabilis fratris nostri ..[2] Maguntini archiepiscopi non obstante, in ecclesiis Cisterciensis et Premonstratensis ordinum et Hospitalariorum et omnium, tam exemptorum, quam non exemptorum eiusdem diocesis, facias per censuram ecclesiasticam, remoto cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, firmiter observari, non obstantibus privilegiis eisdem monasteriis ab apostolica sede concessis. Datum Laterani, IIII nonas martii, anno secundo.

---

156. *b)* ‚hiis — interesse' *omittuntur in R.* — *c)* ‚nich. exequaris' *tantum compendio* ‚etc' *indicantur in R.*

4) *Sigifridus II.*

157. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.* 1) *Andream.* — 2) *Sigifridi II.*

158.

(I) *Honorius III papa Roberto, episcopo Olomucensi, iterum mandat, ut interdictum in dioecesi Pragensi positum firmiter observari faciat, alioquin se decano et scolastico Vratislaviensi, ut eum ad id exsequendum infra viginti dies post litteras acceptas compellant, praecepisse significat.*

(II) *Honorius III papa decano et scolastico Vratislaviensi significat, se Roberto, episcopo Olomucensi, iterum mandatum dedisse, ut interdictum in dioecesi Pragensi firmiter observari faciat, eisque mandat, ut episcopum infra viginti dies, postquam litteras apostolicas receperint, ad id exsequendum cogant.*

Laterani [1218] mart. 27.

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 239v, lib. II, ep. 991 (R). — Aliud apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronic., cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnae (inter Cerronianos num. 292) asservatur, pag. 264—265 (C).

Palacký, Ital. Reise, pag. 21, num. 64 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 100, num. 89 (ex R) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 277, num. 591 (ex R) — Horoy, Honorii III Opera II, pag. 674, num. 169 — Rodenberg, Epist. e regest. pont. Rom. selectae (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 40, num. 53 (ex R) — Delaville Le Roulx, Cartulaire géneral des Hospit. II, pag. 243, num. 1610 (reg.) — Potthast, Reg. pontif. num. 5729 — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. pag. 121, num. 194 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, pag. 197, num. 1187 (ubi II pars omissa est) — Böhmer-Will, Reg. arep. Magunt. II, pag. 168, num. 298.

Prior litterarum pars repetit verba epistulae, quae ad eundem episcopum die 4 martii a. 1218 missa est (v. num. 157).

(I) Episcopo Olomucensi.[a] Presentium tibi auctoritate iterato precipiendo mandamus, quatinus interdictum, sicut est positum in Pragensi diocesi per venerabilem fratrem nostrum ..[1] Pragensem episcopum, et demum auctoritate apostolica confirmatum, relaxatione venerabilis fratris nostri ..[2] Maguntini[b] archiepiscopi non obstante, in ecclesiis Cisterciensis et Premonstratensis ordinum[c] et Hospitalariorum et omnium tam[d] exemptorum, quam non exemptorum[e] eiusdem diocesis facias per censuram ecclesiasticam, remoto cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, firmiter observari, non obstantibus privilegiis eisdem monasteriis ab apostolica sede concessis. Alioquin dilectis filiis ..[3] decano et ..[4] scolastico Wratislauiensibus damus nostris litteris in mandatis, ut te a receptione litterarum nostrarum infra viginti[f] dies ad id exequendum districtione qua convenit, appellatione remota, compellant. Datum Laterani, VI kalendas aprilis, pontificatus nostri[g] anno secundo.

158. *a)* ,Epō Olomuceñ' *rubro colore scr. R;* ,Honorius papa Olomuczn̄ episcopo' *C.* — *b)* ,Moguntini' *C.* — *c)* ,ordinum' *deest C.* — *d)* ,tam' *deest C.* — *e)* ,quam non exemptorum' *deest C.* — *f)* ,xx' *C.* — *g)* ,pontificatus nostri' *deest R.*

1) *Andream.* — 2) *Sigifridi II.* — 3) *Victori.* — 4) *Aegidio.*

(II) ⟨In[h] eundem modum scriptum est super hoc eisdem⟩ .. decano et .. scolastico Wratislauiensibus ⟨usque in finem, verbis competenter mutatis[h]⟩.

159.

(I) *Honorius III papa Robertum, episcopum Olomucensem, graviter reprehendit, quod in ecclesia Pragensi interdicto supposita, divina officia solemniter celebraverit, eumque officio beneficioque suspendit.*

(II) *Honorius III papa decano et scolastico Vratislaviensibus mandat, ut Robertum, episcopum Olomucensem, si adversus interdictum in ecclesia Pragensi divina officia celebraverit, ab officio beneficioque removeant et suspensionis sententiam tam diu observari faciant, donec se apostolico conspectui personaliter praesentaverit.* *Laterani [1218] mart. 29.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 240r, lib. II, ep. 994 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 21, num. 65 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 101, num. 90 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 277, num. 592 — Horoy, Honorii III Opera, t. II, pag. 680, num. 177 — Rodenberg, Epist. e regestis pontif. Rom. selectae (in Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 40, num. 54. — Potthast, Reg. pontif. num. 5737 — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. I, num. 195 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, pag. 199, num. 1195.

(I) .. Olomucensi episcopo.[a] Super hiis, que de te audivimus, non sufficimus ammirari, quod videlicet sollempniter celebraveris in Pragensi ecclesia, quam sciebas ecclesiastico suppositam interdicto, utpote cui a nobis eiusdem executio interdicti fuerat demandata. Verum si censuram ecclesiasticam parvipendis, pro qua opponere te deberes, vel non habes, prout deceret episcopum, sapientie condimentum, vel appetis tui honoris dispendium, dum presumptione dampnabili[b] hec presumis; et si super multis et variis afflictionibus venerabilis fratris nostri ..[1] episcopi et dilectorum filiorum canonicorum Pragensium non moveris, propter quas eadem est ecclesia interdicto subiecta, videris evacuasse non compatiendo proximis legem Christi, et pariete ardente vicini[2] propriis nolle dampnis occurrere, licet res propria sic agatur. Quia vero talia non sunt quomodolibet toleranda, ne transeant presumptoribus in exemplum: noveris te, si res ita se habet, tam diu officio beneficioque suspensum, donec nostro te conspectui personaliter representes, satisfactionem super hiis congruam impensurus. Datum Laterani, IIII kalendas aprilis, anno secundo.

158. *h)* ‚In eund. mod. — mutatis' *deest C.*

159. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.* — *b) genuine* ‚laudabili' *sed eadem manu corr. R.*

1) *Andreae.* — 2) *Cf Hor. Ep. I, 18, 84.*

(II) ⟨In eundem modum scriptum est super hoc⟩ ..[3] decano et ..[4] scolastico Wratislauiensibus ⟨usque:⟩ in exemplum: discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si res ita se habet, eodem episcopo iuxta quod ei mandavimus, officio beneficioque suspenso, faciatis tam diu latam a nobis in eum taliter suspensionis sententiam, appellatione remota, inviolabiliter observari, donec nostro se conspectui personaliter representet, satisfactionem super hiis congruam impensurus. Datum ut supra.

160.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Honorio III papae scribit se esse paratum Andreae, episcopo Pragensi, de omnibus, super quibus conqueratur, satisfactionem congruam exhibere, et rogat, ut sibi propter hoc legatum a latere cum eodem episcopo usque Pataviam mittat. *[1218 m. apr.]*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 259v, lib. II, ep. 1129 (R).

Manrique, Annal. Cisterc. IV, pag. 142 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 102, num. 91 — Palacký, Ital. Reise, pag. 21, num. 66 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 278, num. 595. — Gradl, Monum. Egrana, I, num. 142 (reg.) — Rodenberg, Epist. e regestis pontif. Rom. sel. (Monum. Germ., Epist. saec XIII) tom. I, pag. 47, num. 66. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V (Abth. IV), num. 10821 (reg.)

Litterae notis temporis omnino carent; sed mense fere aprili a 1218 ad papam missas esse, ex eo cognosci potest, quod papae responsum maii 15 datum est (v. num. 162, II).

Reverentissimo[a] domino suo H., summo et universali pontifici, O., dei gratia rex Boemorum, cum devoto obsequio filialem subiectionem. Significamus dignationi vestre, quod dum sollempnes nuntios ad curiam mittere parassemus, hiis que a domino Pragensi episcopo contra nos proponuntur, finaliter responsuros, repente venit a latere eiusdem episcopi abbas de Insula[1], petens ex persona ipsius mitti sibi tres comites nostros maiores cum abbate de Waltsasen[2], Cisterciensis ordinis, dixitque frustra laborantes, si qui alii mitterentur. Comites autem, quos petiit, nullo consilio vie securitatem habere potuerunt; abbas vero postulatus sine licentia Cisterciensis abbatis venire non potuit, nisi vestris litteris specialiter vocatus. Persuasum est ergo nobis a viris religiosis, ne magistrorum disputationibus sacrum curie occuparemus auditum, set prima fronte sicut devoti filii vestre parentes paternitati, humiliter ac simpliciter litteris presentibus exprimeremus, in quibus duritiam gentis nostre flectere vel in quibus eam non flectere posse cognosceremus. Multa ergo breviter comprehendentes, que idem episcopus contra

159. 3) *Victori.* — 4) *Aegidio.*

160. a) *Epistulae praemittitur in R haec inscriptio colore rubro scripta:* ‚Litere ad dominum papam.'

1) *Reinerius (?).* — 2) *Hermanno.*

suam videtur habere diocesim, sacro apostolatui vestro pro omnibus uno verbo respondendo promittimus, quod cooperante deo, pro gratie vestre obtentu omnia, pro quibus iuste videtur contendere, sibi ex animo subiiciemus; preter quod gentem nostram ad insuetas hactenus decimas non possumus cogere, nec possemus omnino, etiamsi ipse decime nobis, nostris deberent usibus deservire. Antiquarum quoque decimarum redditus, quod multis locis subtrahuntur, reddi cogemus. Ut autem perfecte vobis constare possit, hec omnia nos devote facturos, rogamus obnixe, quatinus obedientie nostre experimentum capientes, mittatis a latere vestro aliquem discretum virum cum eodem episcopo usque Pattauiam, et quoscunque episcopos vel abbates ipse episcopus sibi elegerit, illos auctoritate apostolica executores presentis nostre promissionis constituatis. Nosque in propria persona usque ad exitum Boemie accedentes, per internuntios, quos similiter elegerit, omnia que supra promisimus [exequemur].[b] Si quid etiam contra aliquam specialiter habet personam, vel secundum iura terre iudicabimus, vel vestro iudicio, si ipse episcopus voluerit, reservabimus. Sane si veniendi Pattauiam metum[c] allegaverit, dicens, per amicos nostros in via sibi posse [malum aliquod][d] procurari: super hoc per apostolice sedis reverentiam vobis iurando promittimus euntem Pattauiam et[e] ad vos redeuntem ab hoc metu eum liberum esse debere. Denique quod de suspenso nobis clerico imponitur, sciatis eum effractorem quinque ecclesiarum et falsarium nostre monete fuisse convictum; qui postea latronibus terre sociatus et cum ipsis in latrocinio in armis comprehensus, cum similibus similiter est punitus. De hiis tamen ac de omnibus, que paternitas vestra in filiis suis pie corrigendo censuerit, obedire parati, quod iubere dignemini, cum devotione debita expectamus, hoc solum vos meminisse humiliter postulantes in nostris negotiis, quod in omni necessitate Romane ecclesie contra omne principum nomen antecessoribus vestris astitimus, et vobis nichilominus, si se tempus obtulerit, cum dignatus fueritis, assistemus.

161.

Henricus Vladislavus, marchio Moraviae, baroni suo Stephano [de Medlov] eiusque filiis villam Bohdanov in provincia Holasicensi iure hereditario possidendam donat. — 1218 apr. 27.

Autographum in membrana scriptum in tabulario civitatis Brunnensis asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 103, num. 92 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 278, num. 594 (fragm.) — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. I, num. 200 (reg.) — Kopetzky, Reg. z. Gesch. d. Herzgth. Troppau, in Arch. f. österr. Gesch. 45, pag. 104, num. 16 (reg.)

Autographum manu scribae, quem ‚Vladislavus 2‘ appellamus, exaratum est. — Anni regni Otakari regis, qui in chartae fine adferuntur, aut perperam supputati sunt, aut ab secunda coronatione a. 1203 numerantur.

---

60. *b) scribae incuria omissum, supplevit Rodenberg;* ‚stabiliemus‘ *hoc loco supplevit Manrique. — c) ex* ‚mecum‘ *corr. R. — d) supplevit Manrique. — e)* ‚et‘ *omissum in R.*

‖ In nomine sancte et individue trinitatis. ‖ Hominum deficiente memoria vivax efficacis litere testimonium veritati sufficiens et certum exhibet ‖ argumentum, ut quicquid discretorum sagacitas observandum racionabili sanctione decreverit, nec per posterorum ignoranciam in ir‖ritum revocari, nec temporum vetustate valeat aboleri. Universis itaque tam modernis, quam posteris, ad quos presens pagina pervene‖rit, attestacione presencium innotescat, quod ego Wadizlaus qui et Heinricus, miseracione divina marchio Morauie, baroni meo domino Stephano et filiis eius nec non filiis filiorum eius succedentibusque ipsorum heredibus villam quandam in Holachiz, que Bogdonaue dicitur, cum omnibus appendiciis, agris scilicet et pratis et silvis, perpetuo et hereditario iure contuli possidendam, fidelitatem prefati viri constantem indefessumque servicium, si non largis beneficiis, tamen iuxta mee possibilitatis modulum intuendo. Verum ne super hac donacione oriri calumpnia possit in posterum, sigilli mei munimine presentem paginam insignivi eo maxime intuitu, ne quisquam violenter aut temere sibi quicquam iuris in pretaxata villa seu eius appendiciis audeat usurpare, nisi libera voluntas prememorati Stephani et filiorum eius heredumque succedencium consensus favorabilis intercedat. Unde propter habundantem cautelam huiusmodi donacionem tam presenti privilegio, quam bonorum virorum testimonio confirmavi, quorum nomina sunt subarata: Bawarus, Leo, Bludo, Zauis, Heinricus, Predbor, Vitko, Wolurammus, Szuliszlaus, Szudek, Szimiszlaus, Wok, Taz, Bertherus, Burchardus, Theodericus, Petrus marscalcus, Petrus filius Milhozt, Petrus pincerna, Wers camerarius, Ones, Protiuen, Nesata, Stephanus,[a] Vezen, Eckehardus, Luppoldus, Hrut,[b] Zlaybor, Ztonar, Zerh, Nycolaus, Wolurammus,[c] Herolt, Dobezstoy, Zlaybor, Marata, Dobes, Mathey, Matheus, Mestata, Lutolt, Peley, Waltherus decanus, magister Johannes Pragensis, Radoszlaus archidiaconus, Jurata, Apollinaris, Thomas, Sdizlaus, Hylarius, Petrus, Gottebor, Zauis, Demitr, Vitko, Hartleb, Budyuoy, Adlart, Janik, Doben, Victor, Neosztup, Depoldus, Wilhalmus. Acta sunt hec anno dominice incarnacionis MCCVIIIX, V kalendas maii, presente Ruberto venerabili ecclesie Olomucensis episcopo, regnante in Bohemia Oddackaro glorioso, anno vero regni sui VX,[d] qui eciam donacionem pretaxatam non solum potestate regia, verum eciam consuetudinaria tocius Bohemie iusticia confirmavit, cuiuslibet excepcionis scrupulum excludendo.

Autographo appendent e filis sericis viridis duo sigilla de cera naturali confecta: 1) *Sigillum Henrici Vladislavi marchionis, idem atque in diplomate num. 125.* — 2) *Sigillum formae ex longo rotundae (alt. 70 mm, lat. 55 mm), in quo figura feminae in solio sedentis, veste sinuosa indutae conspicitur, quae manu dextra sceptrum tenet. Circumscriptio, cuius nonnullae litterae iam laesae sunt, haec est:* ✠ HEIDWIGIS · MARCHIONISSA · MORAUIE.

161. *a) supra* ‚t' *hasta superior erasa est A.* — *b) ex* ‚Rut' *eodem, ut videtur, atramento corr. A.* — *c)* ‚r' *eod. atramento superscriptum A.* — *d)* ‚VX' *alio atramento in spatio vacuo relicto scriptum A.*

162.

(I) *Honorius III papa Conrado IV, episcopo Ratisbonensi, et Eberhardo de Ebrach et Hermanno de Waldsassen abbatibus mandat, inducant Otakarum regem Bohemiae, ut in manus eorum fidem praestet, quod in posterum clericorum institutiones et destitutiones atque iudicia aliaque, quae ad ius officii pontificalis pertinent, Andreae episcopo dimittat, ipsum in episcopatum eius restituat eique pro subtractis proventibus satisfaciat. Quae si rex fecerit, sententiam interdicti in regnum promulgatam relaxent.*

(II) *Honorius III papa Otakaro, regi Bohemiae, iisdem fere verbis scribit.*

Romae [1218] maii 15.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. IX) asservatur, fol. 253r, lib. II, ep. 1079 (R).

Manrique, Annal. Cisterc. IV, col. 143 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 106, num. 94. — Palacký, Italien. Reise, pag. 21, num. 67 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 279, num. 596. — Bullar. Rom. ed. Taurin. III, pag. 342 - Horoy, Honorii III Opera, tom. II, pag. 741, num. 238 — Rodenberg, Epist. e reg pontif. Rom. sel. (in Monum. Germ., epist. saec. XIII) tom. I, pag. 48, num. 67. — Potthast, Reg. pontif., num. 5790. — Pressutti, Reg. Hon. III, tom. I, pag. 219, num. 1324 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6288.

(I) ..[1] episcopo[a] Ratisponensi, ..[2] de Ebra et ..[3] de Waltsasen[b] abbatibus Cistertiensis ordinis, Herbipolensis et Ratisponensis diocesum.[c] Karissimus in Christo filius noster .. Boemie rex illustris suas nobis litteras destinavit,[4] continentes,[d] quod venerabili fratri nostro ..[5] Pragensi episcopo paratus erat de omnibus, super quibus de ipso et baronibus suis conqueritur, pro reverentia nostra satisfactionem congruam exhibere, petens, ut aliquem de latere nostro propter hoc usque Pattauiam cum ipso episcopo mitteremus. Quia vero idem episcopus de prudentum virorum consilio non duxit laborem huiusmodi subeundum, donec plenius disquisitum extiterit, qualem possit satisfactionem habere de dampnis et iniuriis sibi et clero suo hactenus irrogatis, quamve habere valeat cautionem, ne attemptentur similia in futurum: nos ipsum regem per nostras rogamus litteras et hortamur, ut in manibus vestris prestet et a nobilibus terre sue prestari faciat idoneam cautionem dimittendi de cetero ipsi episcopo institutiones ac destitutiones et iudicia quelibet clericorum ac alia, que noscuntur ad ius pontificalis officii pertinere. Ad hec ipsum episcopum per procuratores suos restituat in episcopatus sui possessionem liberam et quietam, et de proventibus subtractis sibi ac hiis, qui adheserunt eidem, congruam satisfactionem exhibeat et a suis faciat subditis exhiberi; per unum vestrum nobis plene ac plane rescribens, quicquid super restitutione possessionis ipsius episcopatus ac satisfactione

162. *a) gemipunctus ante* ‚episcopo' *deest R.* — *b)* ‚Waltsaseñ' *R.* — *c) Superscriptio colore rubro scripta est R.* — *d)* ‚continentes' *superscr. R.*

1) *Conrado IV.* — 2) *Eberhardo.* — 3) *Hermanno.* — 4) *Vid. num. 160.* — 5) *Andreae.*

dampnorum et aliis supradictis duxerit faciendum, ut tam scripto suo quam relatione illius e vobis, qui ad nos venerit hac de causa, facti super hiis omnibus certiores, huiusmodi negotio dignum finem imponere valeamus. Sane salutem eiusdem regis zelantes, ipsi consulimus, ut super eo, quod clericum quendam ad suspendium iudicavit, licet reiecto, ut dicitur, clericali habitu, clericali videtur privilegio se privasse, absolutionis recipiat beneficium ad cautelam. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsum regem ad exhibendam cautionem predictam et ad faciendum eam a suis subditis exhiberi ac ad restitutionem ipsius episcopi et alia, que premisimus, monentes prudenter et efficaciter inducentes, eius super hiis litteras requiratis ad nos per vestrum aliquem deferendas; relaxaturi sententiam interdicti promulgatam in regnum, si super restitutione ipsius episcopi et aliis fecerit, que hortamur, et impensuri eidem si voluerit, ut predictum est, absolutionis beneficium ad cautelam pro suspensione clerici memorati. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse,[e] tu frater episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris.[f] Datum Rome apud sanctum Petrum, idus maii, anno secundo.

(II) 〈In eundem modum scriptum est〉 .. illustri regi Boemie 〈verbis competenter mutatis.〉

163.

Honorius III papa „universis crucesignatis Teutonie, Boemie, Morauie,[a] Dacie, Polonie et Pomeranie ad subsidium Prutenorum proficiscentibus" scribit, ut defendendo episcopum Prussiae, pro paganorum conversione laborantem, non lucra propria quaerant subiiciendo sibi eorum terram, sed dei gloriam; nec quidquam agant nisi ex consilio eiusdem episcopi.

Romae ap. s. Petrum [1218] maii 16.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. IX) asservatur, fol. 262r—262v, lib. II, ep. 1149 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 21, num. 69 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 107, num. 95, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 280, num. 598 — Theiner, Vetera monum. Polon. et Lith. I, pag. 6, num. 14 — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. num. 207a - Potthast, Reg. pontif. num. 5798 — Pressutti, Reg. Hon. III, num. 1338 (ubi plures aliae editiones adferuntur). — [Eadem epistula cum nota temporis depravata : ‚XVII kal. iun., anno tertio' *legitur ap. Horoy, Honorii III Opera tom. III, pag. 231, num. 221 = Pressutti, Reg. num. 2068].*

164.

Honorius III papa Andreae, episcopo Pragensi, facultatem dat, ut presbyteros et clericos dioecesis Pragensis, qui interdicti tempore divina celebraverint, absolvere possit.

Romae [1218] maii 29.

---

162. *e)* ‚hiis — interesse' *desunt in R; supplevi secundum formam.* — *f)* ‚ea — exequaris' *tantum compendio* ‚etc' *indicantur in R.*

163. *a)* ‚Marauie' *R.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. IX) asservatur, fol. 258v, lib II, ep. 1122 (R).

Palacký, Italien. Reise, pag. 22, num. 70 (reg.). — Erben, Reg. Boh. I, pag. 280, num. 599, (frgm.) — Potthast, Reg. pontif. num. 5824 — Pressutti, Reg. Honor. III, num. 1389.

... Pragensi episcopo.[a] Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum presbyteris et clericis tue diocesis, qui celebraverunt in interdicto et excommunicatione a te in tuam diocesim promulgatis, cum sint multi, dispensare de benignitate sedis apostolice dignaremur. Nos igitur de discretione tua plenam fiduciam obtinentes, vices nostras in hac parte tibi duximus committendas, per apostolica scripta mandantes, quatinus statuas super hiis auctoritate nostra quod secundum deum videris statuendum. Datum Rome apud sanctum Petrum, IIII kalendas iunii, anno secundo.

165.

Fridericus II, Romanorum rex, renovat confirmationem donationis a patruo suo Philippo rege domui sanctae Mariae Theutonicorum factam de medietate patronatus ecclesiae de Mörle ac de medietate patronatus ecclesiae de Holzberg. — Inter testes: ‚Otakarus rex Boemorum'. *Würzburgae 1218 iul. 12.*

Hennes, Cod. dipl. ord. s. Mariae Theutonic. pag. 34, num. 31 (ex autogr. tabularii Darmstadt.) = Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, tom. I, pag. 551. — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 939.

Renovatio haec diploma anno 1213 oct. 19 datum (v. num. 108) eiusque testes iisdem fere verbis repetit; ex quo intelligitur, Otakarum regem mense iulio anni 1218 in Würzburg non adfuisse. Cf. Ficker, Beitr. z. Urkundenlehre I, pag. 324.

166.

Honorius III papa Andreae, episcopo Pragensi, facultatem concedit, ut quosdam canonicos Pragenses et praelatos dioecesis suae, qui interdicti tempore divina officia celebraverint, beneficiis eorum privare et alias punire possit. Laterani [1218] iul. 25.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. X) asservatur, fol. 2r, lib. III, ep. 3 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 71 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 281, num. 600. — Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Rom. sel. (Mon. Germ., Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 53, num. 74. — Potthast, Reg. pontif. num. 5881. — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 1554

.. Pragensi episcopo.[a] Cum, sicut te significante accepimus, quidam canonici Pragenses ac prelati tue diocesis interdictum a te prolatum in ipsam diocesim violarint, in interdictis ecclesiis divina temere celebrando, contempta

164. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.*

166. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.*

inhibitione a te sub pena anathematis sibi facta: ipsos suis beneficiis spoliandi ac alias puniendi secundum canonica instituta tibi auctoritate presentium liberam concedimus facultatem. Datum Laterani, VIII kalendas augusti, pontificatus nostri anno tertio.

167.

Honorius III papa Andreae, episcopo Pragensi, licentiam dat praelatos et clericos civitatis et dioecesis Pragensis, qui interdictum violarunt, beneficiis privandi aliasque puniendi. *Laterani [1218] dec. 3.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. X) asservatur, fol. 33r, lib. III, ep. 145 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 72 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 281, num. 602 (reg.) — Potthast, Reg. pontif. num. 5935 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 1722.

Litterae iisdem fere verbis contextae sunt atque illae, quae ad eundem episcopum a. 1218 iul. 25 (v. num. 166) datae sunt.

.. episcopo Pragensi.[a] Cum, sicut te significante accepimus, quidam prelati et clerici civitatis et diocesis Pragensis interdictum a te prolatum in ipsam diocesim violarint, divinis officiis se temere immiscendo, contempta inhibitione a te sub pena anathematis sibi facta: ipsos suis beneficiis spoliandi ac alias puniendi secundum canonica instituta tibi auctoritate presentium liberam concedimus facultatem. Datum Laterani, III nonas decembris, pontificatus nostri anno tertio.

168.

Honorius III papa Hartwigo, episcopo Eistetensi, mandat, ut decanum et archidiaconum et aliquos canonicos ecclesiae Pragensis ac aliarum ecclesiarum praelatos, qui interdictum violaverant, officio beneficiisque privatos denuntiari procuret. *Laterani [1218] dec. 14.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. X) asservatur, fol. 36r, lib. III, ep. 166 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 73 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 107, num. 96. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 281, num. 603 (fragm.) — Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Rom. sel. (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 61, num. 83. — Lefflad, Reg. d. Bisch. v. Eichstädt, num. 381 — Potthast, Reg. pontif. num. 5939. — Pressuti, Reg. Honorii III, num. 1744.

..[1] Eistetensi episcopo.[a] Non sine causa compellimur ammirari, quod hii, qui in partem hereditatis dominice sunt assumpti, ad tantam plerumque insipientiam se convertunt, quod dilatati ex adipe patrimonii Jesu Christi, non solum

167. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.*

168. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.*

1) *Hartwigo.*

se ipsos efficiunt ex propria nequitia reprobos, sed alios scandalizant. Propter quod expedit, ut, ne malitia talium reproborum exemplum prebeat aliis malignandi, eorum facies ignominia impleatur. Ex litteris quidem venerabilis fratris nostri . .[2] Ratisponensis episcopi et dilectorum filiorum . . sancti Emerammi et . . de Waldrbach abbatum, exploratorum a nobis delegatorum, nos noveris accepisse, quod cum ipsi in Arnoldum decanum, Christoforum archidiaconum Pragensis ecclesie et Benedictum, Vecemilum, Bohuslaum, Pribizlaum, Valkinum, Drisilaum et Scislaum de Horsou, eiusdem ecclesie canonicos, ac aliarum ecclesiarum prelatos et alios, expressos in suis citationibus nominatim, suspensionis sententias auctoritate nostra protulerint exigentibus culpis suis: iidem suspensi, eorum et venerabilis fratris nostri . . Pragensis episcopi suspensionis et excommunicationis sententias contempnentes, usque adeo esse noscuntur in sua pertinacia obstinati, quod nostro se conspectui presentare, sicut per litteras nostras mandavimus,[3] hactenus noluerunt, licet post prefixum eis terminum ab episcopo et abbatibus supradictis diutius fuerint apud sedem apostolicam expectati. Ne igitur pertinaces prefati de sua malitia glorientur, et contemptus huiusmodi attrahat alios in errorem, nos eos a collatis sibi ecclesiasticis beneficiis amovemus, fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatinus ipsos denuntiare procures officio beneficiisque privatos. Datum Laterani, XVIIII kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno tertio.

169.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, ecclesiae Litomericensi donationes ab Spytihněvo II duce quondam factas renovat et confirmat.

In Budyně 1218 —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli Litomericensis asservatur (A).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 276, num. 586 (reg.) — Frind, Kirchengesch. Böhmens I, pag. 407, num. 7.

Autographum manu scribae, quem nota ‚Otakarus 13' designamus, exaratum est. — Spytihněvi ducis charta, cuius verba privilegio inserta sunt, non est nisi conscriptio possessionum ecclesiae Litomericensis saeculo XII confecta, cuius pars prior genuinae de eiusdem ecclesiae fundatione notitiae verba fere omnia repetit. Vide Friedrich, O zakládací listině kapit. Litoměřické (Rozpravy České Akademie 1901).

✠ ‖ In nomine sancte et individue trinitatis. Otacarus qui et Premisl, dei gracia Boemorum rex. ‖ Dei omnipotentis ecclesiarum, que pro remediis ani‖marum antecessorum nostrorum fundate dinoscuntur, et omnium aliarum utilitatibus providentes, et que ab eis sunt maliciose deperdita cupientes accuracius revocare, et ne ea, que in locis ‖ plurimis per nostros parentes antiquitus et per alios bonos viros minutim eis sunt collata, possent deperire, que omnia pro testimonio scriptis per[a] bonos provisores fuere redacta, quibus iam omnium ‖ deest

168. 2) *Conradi IV.* — 3) *Vide num. 156.*

169. *a) ante ‚p' littera quaedam erasa est A.*

testimonium et scriptorum vetustas per tineas demolita[1] contradicit: privilegium Lutomericensis ecclesie, quod ex sui vetustate iam putridum nobis fuit presentatum, ne per oblivionem bona eiusdem ecclesie quoquo modo alienarentur, que pie recordacionis serenissimus dux contulit eidem, fecimus renovari et sigillorum nostrorum inpressione confirmari, in nullo antiqui privilegii, quod tale est, tenore mutato: Cum Domino volente Spitignevs, clarissimus ac religiosissimus dux, *etc.*[2] Actum in Budin, anno ab incarnacione Domini millesimo CCXVIII, indictione sexta.

Autographo appendet e filis sericis coloris flavi sigillum regis Otakari de cera naturali confectum idem atque in num. 57.

170.

Honorius III papa abbatibus de Zwettl et Walderbach et priori de Zwettl mandat, ut inquirant de criminibus, quae Willhelmus, abbas de Siloe in Robertum, episcopum Olomucensem, contulerit. *Laterani [1219] ian. 18.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. X) asservatur, fol. 50v, lib. III, ep. 249 (R).

Manrique, Annal. Cisterc. IV, pag. 159 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 108, num. 97. — Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 74 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 283, num. 606. — Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Rom. sel. (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 65, num. 90. — Potthast, Reg. pontif. num. 5964. — Pressutti, Reg. Honor. III, num. 1812.

..[1] de Zuetla et.. de Valdrabach abbatibus et .. priori de Zuetla, Patauiensis diocesis.[a] Ad aures nostras, dilecto filio ..[2] abbate Silocense[b] insinuante, pervenit, quod licet venerabilis frater noster R., Olomucensis episcopus, Cisterciensis ordinis regulam sit professus, ita tamen est in reprobum sensum datus, quod duobus homicidiis perpetratis, duas sorores Cunicensis monasterii moniales et plures mulieres alias coniugatas cognovit carnaliter, et quandam virginem defloravit, hec et alia committens turpia impudenter in sue salutis dispendium et scandalum aliorum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus inquisita super hiis diligentius veritate, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis; facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari.[c] Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.[d] Datum Laterani, XV kalendas februarii, pontificatus nostri anno tertio.

169. 1) *His verbis procul dubio genuina illa de fundatione eccl. Litomericensis memoria denotatur, quam in huius operis tomo I, num. 55, columna A dedimus.* — 2) *Sequitur chartae de ecclesiae Litomericensis fundatione (v. Cod. Boh. tom. I, pag. 54, num. 55) forma B totidem verbis descripta.*

170. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R.* — b) *ita pro* ‚Siloense' *R.* — c) ‚quod decr. — observari' *compendio* ‚etc' *tantum indicantur in R.* — d) ‚hiis — exequantur' *compendio* ‚etc' *indicantur in R.*

1) *Marquardo.* — 2) *Willhelmo.*

171.

Otakarus I, rex Bohemiae, Honorio III papae significat, se per Hermannum abbatem de Waldsassen ei mittere formam compositionis cum Andrea, episcopo Pragensi, faciendae; papam rogat, ut episcopum in Bohemiam remittat et cum eo aliquem legatum mittat, per quem innocentia sua declaretur.

[— 1219 ian.]

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. X) asservatur, fol. 62v, lib. III, ep. 300 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 75 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 108, num. 98. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 282, num. 604 — Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Rom. selectae (Mon. Germ., Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 63, num. 85.

Litteras mense ianuario anni 1219 scriptas esse ex eo cognosci potest, quod Hermannus abbas Waldsassensis, per quem ad papam allatae sunt, medio mense februario iam Romae morabatur (vid. num. 174).

Reverendo[a] in Christo patri et domino Honorio, dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, O., eadem gratia Boemorum rex, debitam in omnibus cum devotione reverentiam. Litteras vestre sanctitatis[1] et iudices a sede vestra delegatos, videlicet Ratisponensem episcopum,[2] de Ebra[3] et Valsasen,[4] Cistertiensis ordinis abbates, ea qua decuit honestate et devotione recipientes, vestris humiliter, licet contra consuetudinem regni nostri, paruimus mandatis, sicut vobis per venerabilem abbatem[4] de[b] Valsasen, latorem presentium, et ex forma compositionis, quam vobis presentabit,[5] plenius constabit. Et quia vestris, ut decuit, sacris exhortationibus et preceptis obtemperavimus, semper ecclesie Romane devotam gerere in omnibus cupientes voluntatem, paternitatis vestre genibus provoluti devotius supplicamus, quatinus episcopum nostrum ad gregem sibi commissam[c] et ad nostram gratiam pacificum transmittere non differatis et cum eo aliquem de fratribus vestris, virum sanctum, providum et discretum, mittere dignemini, qui a clero et supanis terre et universo populo diligenter inquirat, utrum nos episcopo vel ipse nobis extiterit iniuriosus, ut per eum nostra vobis et fratribus vestris innocentia declaretur; scientes certissime, quod nos eundem legatum honeste, ut decet, tractabimus et benigne. Dignetur etiam vestra paternitas episcopo dare in mandatis, ut prelatis ecclesiarum, qui eum ex nostro precepto coacti offenderunt, rancorem dimittens, officia beneficiaque restituat. Valde enim iniquum esse videretur, quod illi punirentur, quos nos compulimus nostris potestative preceptis parere, cum iam vestre et episcopi satisfecerimus voluntati.

---

171. *a) Litteris haec inscriptio colore rubro scripta praemittitur in R:* ‚Littere ad dominum papam.‘ — *b)* ‚de‘ *scriptoris incuria omissum in R; addidi.* — *c)* ‚commissum‘ *R.*

1) *datas Romae 1218 maii 15; vide supra num. 162, II.* — 2) *Conradum IV.* — 3) *Eberhardum.* — 4) *Hermannum.* — 5) *Forma compositionis continetur litteris regis, quas damus infra, num. 172.*

172.

Otakarus I, rex Bohemiae, Honorio III papae mittit formam compositionis cum Andrea, episcopo Pragensi, faciendae, quae in conventu apud Kladruby habito cum Conrado episcopo Ratisponensi atque abbatibus de Ebrach et de Waldsassen constituta est. *[— 1219 ian.]*

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. t. X) asservatur, fol. 62v—63r, lib. III, ep. 301 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 76 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 109, num. 99 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 282, num. 605 — Rodenberg, Epist. e regestis pontif. Rom. selectae (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 63, num. 86 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V (Abth. 4), num. 10834. — Gradl, Monum. Egrana I, num. 147 (reg.).

In litteris nulla quidem temporis nota adfertur, sed eodem tempore atque num. 171 scriptas esse, nemo non videt. — Nonnulla ex litteris papae a. 1218 maii 15 datis (v. num. 162, II) descripta sunt.

Sanctissimo[a] patri et domino H., dei gratia sacrosancte Romane sedis pontifici, O., eadem gratia Boemorum rex, promptam in omnibus obedientiam. Cum ad nos venire decrevissent dominus Ratisponensis episcopus[1] et ..[2] de Hebra et ..[3] de Waltsassen abbates, quibus hoc in mandatis dedistis, nos hylariter et devote cum prelatis ecclesiarum et nobilibus regni nostri maioribus illis occurrimus apud Cladrub,[b] ea qua decuit devotione recipientes eosdem; relectisque paternitatis vestre litteris,[4] super omnibus, que in eisdem continebantur,[c] paterne vestre absque mora paruimus exhortationi, remittentes et concedentes domino episcopo suisque successoribus institutiones et destitutiones tam in ecclesiis, quam in prelaturis, salvo iure patronatus, et iudicia in spiritualibus de personis clericorum secundum canonicas et apostolice sedis constitutiones, nulla illis occasione manus violentas, sicut hactenus notati fuimus, iniecturi, ac alia, que noscuntur ad ius pontificalis officii pertinere. Episcopum quoque in liberam et quietam possessionem totius episcopatus sui per procuratores suos restituimus, benigno caritatis affectu recipere venientem promittentes; super dampnis et iniuriis sibi et hiis, qui sibi adheserunt, postquam a nobis recessit, irrogatis, usque ad tres menses a die adventus sui et querele deposite plenam exhibituri satisfactionem de hiis, que ad cameram vel ad usus nostros constiterit esse recepta. De aliis autem, que preter nostram voluntatem a quibuscumque direpta[d] probabuntur, infra terminum predictum iudicium et iustitiam bona fide secundum regni nostri consuetudinem faciemus, datis et constitutis ad hoc exequendum fideiussoribus sex nobilibus regni nostri denominatis, scilicet Zlaucone, Zlawata,[e] Budwoione, Benessone, Jarosone et Witicone, qui apud nos, si neg-

172. *a) Praecedit inscriptio colore rubro scripta:* ‚Littere ad dominum papam' *R.* — *b)* ‚Dadrub' *R.* — *c)* ‚a' *ex* ‚u' *statim inter scribendum corr. R.* — *d)* ‚directa' *R.* — *e) genuine* ‚Hlawata', *sed* ‚Z' *eodem atramento superscriptum R.*

1) *Conradus IV.* — 2) *Eberhardus.* — 3) *Hermannus.* — 4) *Vide supra num. 162, II.*

ligentes, quod absit, in hiis exequendis inveniremur, efficaciter deberent, sicut fide data promiserunt, elaborare. Ad hec decimas secundum consuetudinem hactenus habitam solvemus et, sicubi non consueverunt, solvi de cetero faciemus secundum consuetudinem eandem; securitatem persone sue cum reverentia debita sicut patri spirituali[f] et episcopo nostro promittentes et statuentes. Et ut hec omnia rata firmaque sibi suisque successoribus permanere debeant et a nobis observari, fide data, habito consilio et consensu nobilium nostrorum, promisimus, dum idem episcopi nobis fidelitatem debitam exhibuerint et subiectionem; et vice cautionis sigillo nostro speciali cum sigillo communi regni Boemie, videlicet sancti Wenceziai, quia comites nostri specialibus non utuntur in facto communi sigillis, fecimus confirmari, testium, qui interfuerunt, adnotatione idem factum similiter confirmantes. Huius rei testes sunt: ipsi executores, scilicet dominus Conradus Ratisponensis episcopus, Eberhardus abbas de Hebera, Hermannus abbas de Waltsassen, Dluhomilus[g] quoque electus de Breunow et abbates reliqui: Siluester de Cladrub, Cassianus de Pozilliport, Reinerus de Insula, Hermannus de Wilamou; abbates quoque Cisterciensis ordinis: Heinricus de Lancheim, Hartmûth[h] de Nepomûch,[i] Albertus de Plaz; abbates etiam Premonstratensis ordinis: Adam de Stragow, Willehelmus de Syloe, Willehelmus de Tepla et precipui quique Boemie comites cum multa clericorum et militum turba.

173.

Honorius III papa monasterii Teplensis protectionem suscipit eiusque bona, quae ei Hroznata comes donaverat, libertates quoque et immunitates ab Otakaro, rege Bohemiae, concessas confirmat. *Laterani [1219] febr. 5.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii Teplensis asservatur (A).

Hugo, Sacri et can. ord. Praemonstr. annales II, Probat. col. DLXXIX = Horoy, Honorii III Opera, t. III, pag. 112, num. 117 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 284, num. 607 (extr.), — Potthast, Reg. pontif. num. 5978 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 1858.

In membranae replicatae margine dextro hoc signum scriptoris positum est: ‚S. n‘. *Membranae pars aversa ita igne deformata est, quod notae cancellariae apostolicae, quae ibi scriptae erant, iam discerni non possint. — Mirum est, quod contra cancellariae consuetudinem bulla funiculo cannabino appensa est, quamvis litterae formam litterarum cum filo serico iuste habeant. — Litterarum maior pars iisdem fere verbis contexta est atque litterae, quas idem monasterium a Coelestino III a. 1197 aug. 7 (v. CD. Boh., tom. I, num. 360) et Innocentio III a. 1202 apr. 1 (v. superius num. 30) accepit.*

Honorius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis ..[1] abbati et conventui de Tepla, Premonstratensis ordinis, salutem et || apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis,

172. *f)* ‚spāli‘ *R.* — *g) prima litterae* ‚m‘ *hasta ex* ‚l‘ *corr. R.* — *h)* ‚Hartmut°h‘ *R.* — *i)* ‚Nepomuc̊h‘ *R.*

173. 1) *Willhelmo.*

quam ordo exigit rationis, ut id per solliciltudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato conllcurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidet,[a] aut in futurum iustis modis prestante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem villam de Tepla cum theloneo et villam de Lyhtenstat cum foro et silva et omnibus pertinentiis earundem et de Sandou, de Cribse, de Plan, de Schihan, de Bernadiçe, de Schirnewice, de Clepi, de Ouensche, de Biscovice et de Rochou villas cum omnibus pertinentiis suis; curtim etiam Noui Montis super Albiam cum omnibus pertinentiis suis et cetera bona, que bone memorie G.,[2] comes Boemie, monasterii vestri fundator, pia vobis liberalitate donavit; libertates quoque et immunitates vobis a carissimo in Christo filio nostro O.,[3] rege Boemie illustri, concessas, sicut in eius autentico[4] plenius continetur, ac alia bona vestra, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani, nonis februarii, pontificatus nostri anno tercio.

Autographo appendet e filo cannabino (!) Honorii III papae bulla plumbea eadem atque in litteris num. 138.

174.

Andreas, episcopus Pragensis, capitulo Pragensi significat se Hermanno, abbati Waldsassensi, villam Počedělice pro triginta marcis argenti obligasse; quam obligationem, ut capitulum assensu suo comprobet, rogat.

Apud s. Praxedem [1219] febr. 15.

Apographum saec. XVIII medii exstat in cod. ms. ‚Acta Waldsassensia', qui in tabulario parochiali in Waldsassen asservatur, pag. 229, num. 414 (C).

Gradl, Monum. Egrana I, pag. 51, num. 148 (reg.).

A.,[1] Pragensis ecclesie[a] episcopus, dilectis in Christo filiis capitulo Pragensi salutem et paternam dilectionem. Dignum est et rationi consentaneum, ut eos, qui in servitio nostro et ecclesie fideliter et constanter laborant, ampliori affectione diligentes, laboribus eorum digne pro nostro posse respondeamus.

173. *a) ex* ‚possidetis' *radendo corr. A.*

2) *Groznata.* — 3) *Otakaro.* — 4) *Vide superius num. 27.*

174. *a)* ‚ecclesiae' *et similiter infra semper* ‚ae' *pro* ‚e' *simplici C.*

1) *Andreas.*

Hinc est, quod nos consideratis laboribus carissimi[b] in Christo patris ..[2] Waldsassensis abbatis, et expensis, quas occasione nostri et ecclesie nostre nostris nuntiis sepe exhibuit, qui[c] et ad nos Romam veniendo[3] multa sustinuit incommoda: in signum remunerationis villam, que Pochedelich appelatur, pro triginta marcis argenti supradicto abbati obligavimus tam diu possidendam, donec a nobis vel a nostro successore predictum ei persolvatur argentum, fructus medii temporis ei liberaliter concedentes. Unde vos rogamus et exhortamur in Domino, quatenus obligationi nostre assensum[d] benivolum prestetis, pro omnibus bonis, que nobis et nostre impenderit ecclesie, uberes eidem referentes gratiarum actiones. Datum apud sanctam Praxedem, XV° kalendas martii.

175.

Honorius III papa abbati Praemonstratensi omnibusque coabbatibus et fratribus ordinis Praemonstratensis significat, se statuere, ut de novalibus eorum post concilium Lateranense excultis nullus ab eis decimas exigat.

Laterani [1219] mart. 20.

Autographum in membrana scriptum in tabulario canoniae Teplensis asservatur.

‚Quia eius est interpretari ╳ Dat. Lateran. XIII kal. april., pont. n. a. tertio.' — *Litterae eisdem verbis contextae sunt atque illae Laterani 1219 febr. 18 datae, quas edidit Le Paige, Bibl. Praemonstr. ord., pag. 651, num. 40 — Potthast, Reg. pontif. num. 5992 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 1883.*

176.

Honorius III papa archiepiscopis, episcopis aliisque ecclesiarum praelatis mandat, ut fratribus Praemonstratensis ordinis „privilegia et indulgentias apostolice sedis eisdem concessas inviolabiliter conservent et faciant ab aliis conservari, salva moderatione concilii generalis,[1] videlicet, ut de alienis terris a tempore predicti concilii acquisitis et de cetero acquirendis exsolvant decimas ecclesiis, quibus ratione prediorum antea solvebantur, nisi aliter cum eis duxerint componendum; alias quoque dictos fratres ab incursibus malignorum defendant.“

Laterani [1219] mart. 20.

Autographum in membrana scriptum, cui bulla in filis sericis rubris et flavis appendet, in tabulario canoniae Teplensis asservatur.

Erben, Reg. Boh. I, pag. 284, num. 608 (reg.) = Potthast, Reg. pontif. num. 6015 = Pressutti, Reg. Honorii III, num. 1944.

‚Beneficiens Dominus bonis ╳ Dat. Lateran. XIII kal. april., pont. n. a. tertio.' — *Litterae iisdem verbis contextae sunt atque illae Laterani 1219 mart. 5 datae, quas edidit Le Paige, Bibl. Praemonstr. ord., pag. 651, num. 41 = Potthast, num. 6002 = Pressutti, Reg. num. 1915 (ubi etiam aliae editiones adferuntur).*

---

174. *b)* ‚charissimi' *C. — c)* ‚qui' *deest C; addidi. — d)* ‚assensum' *omittit C.*

2) *Hermanni.* — 3) *Vid. num. 171.*

176. 1) *Lateranensis, quod a. 1215 mense novembre celebratum est.*

177.

Honorius III papa Andrea, episcopo Pragense, petente excommunicationem concilio Maguntino in clericos dioecesis Pragensis constitutam probat, qui posthac beneficia ecclesiastica ab laicis sint accepturi, aut qui iam acceptis intra duos menses episcopo suo non se abdicaverint. *Laterani [1219] apr. 2.*

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos nº 292] asservatur, pag. 268 (C).

Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 130 nota.

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri .. episcopo Pragensi salutem et apostolicam benedictionem.[a] Cum, sicut in nostra proposuisti presencia constitutus, concilium Maguntinum subiecerit excommunicacionum sentenciis[b] clericos Pragensis diocesis, qui deinceps de manu laica[c] sine tuo vel successorum tuorum assensu iuxta pravam eiusdem diocesis consuetudinem ecclesiastica receperint beneficia, vel sic recepta infra duos menses post dictam sentenciam in tuis vel successorum tuorum manibus non ducerent resignanda: nos tuis precibus inclinati, cum per hoc, sicut asseris, pravam eiusdem diocesis consuetudinem predictum voluerit[d] concilium aboleri, factum huiusmodi auctoritate apostolica duximus approbandum. Datum Laterani, IIII nonas aprilis, pontificatus nostri anno tercio.

178.

Honorius III papa Andreae, episcopo Pragensi, facultatem dat, ut praelatos, presbyteros aliosque clericos dioecesis Pragensis, qui interdicti tempore divina officia celebraverint, absolvere possit. *Laterani [1219 ante apr. 11].*

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnensi [inter Cerronianos nº 292] asservatur, pag. 268 (C).

Emler, Fontes rer. Bohem. V, pag. 130 nota.

Epistula verba litterarum, quas Honorius III papa a. 1218 maii 29 (v. num. 164) dedit ad Andream episcopum, plane repetit; verba tantum ‚prelatis' *et* ‚aliis' *addita sunt. — In temporis nota Chronici scriba diem quidem omisit, sed epistulam eodem fere tempore datam esse atque illam, quae in codice sequitur (i. e. num. 177), verisimile est.*

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri[a] .. episcopo Pragensi salutem et apostolicam benedictionem.[b] Ex parte tua fuit nobis[c] humiliter supplicatum, ut cum prelatis, presbyteris et aliis clericis tue diocesis,[d]

---

177. a) *Epistula hanc tantum inscriptionem habet in C:* ‚Eidem super eodem idem'; *restitui secundum formam.* — b) ‚sentencie' *C.* — c) ‚laici' *C.* — d) ‚volut' *C.*

178. a) *pro* ‚episcopus — fratri ..' *tantum* ‚papa' *legitur in C.* — b) ‚salutem — benedictionem' *desunt C.* — c) ‚nobis fuit' *C.* — d) ‚dyoc.' *C.*

qui celebraverunt in interdicto et excommunicatione a te in tuam diocesim[e] promulgatis, cum sint multi, dispensare de benignitate sedis apostolice dignaremur. Nos igitur de discrecione tua plenam fiduciam obtinentes, vices nostras in hac parte tibi duximus committendas, per apostolica scripta mandantes,[f] quatinus statuas super hiis auctoritate nostra, quod secundum deum videris statuendum. Datum Laterani, ⟨etc.,[1]⟩ pontificatus nostri[g] anno tercio.

179.

Honorius III papa abbati Velehradensi atque praeposito et decano Olomucensi mandat, ut de lite, quae inter episcopum Pragensem et abbatem Teplensem de decimis est, inquirant. *Romae [1219] maii 23.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii Teplensis asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 92, num. 77 — Erben Reg. Boh. I, pag. 270, num. 577 (fragm.: uterque perperam ad a. 1217), = Horoy, Honorii III Opera omn. t. II, pag. 774, num. 266 — Potthast, Reg. pontif. num. 5814 (perperam ad a. 1218) — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 1370 (ad a. 1218).

In membranae replicatae margine dextro eodem atramento atque autographum haec scriptoris nota scripta est: 𝔐.

Honorius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis ..[1] abbati de Welgrad, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis, et ..[2] preposito et ..[3] decano Olomucensibus[a] salutem et apostolicam ‖ benedictionem. Cum olim venerabilis frater noster ..[4] Pragensis episcopus ..[5] abbatem de Tepla, Premonstratensis ordinis, coram venerabili fratre nostro ..[6] episcopo Ratisponensi et coniudicibus suis ‖ auctoritate apostolica super decimis quorumdam locorum sue diocesis convenisset, et iidem iudices in abbatem ipsum propter contumaciam excommunicationis sententiam promulgarint: ‖ dictus abbas, priusquam nuntiaretur excommunicatus, interposito appellationis obiectu, ad sedem apostolicam accedere procuravit, ubi de consensu ipsius episcopi fuit nobis mandantibus absolutus. Demum predictis episcopo et abbati dilecto filio G.[7] subdiacono et capellano nostro a nobis auditore concesso, episcopus ipse petiit restitutionem sibi fieri decimarum, quas diocesano sibi iure debitas dictus abbas a tempore promotionis ipsius in locis percepit eisdem, et ut idem abbas de cetero ab huiusmodi decimarum perceptione quiescat. Prefatus vero abbas e contra litem contestando respondit,

---

178. *e)* ‚tua dyocesi‘ *C.* — *f)* ‚m̄9‘ (= mandamus) *C.* — *g)* ‚pont. n.‘ *desunt C.*

1) *Tertio pontificatus sui anno Honorius III Laterani sedem habuit ab a. 1218 iul. 25 inde usque ad a. 1219 apr. 11.*

179. *a)* ‚Olomuceñ‘ *A.*

1) *Sigifrido aut Siberto.* — 2) *Stephano.* — 3) *Walthero.* — 4) *Andreas.* — 5) *Willhelmum.* — 6) *Conrado IV.* — 7) *Gregorio.*

quod bone memorie ..[8] ipsius episcopi predecessor, capituli sui accedente consensu, decimas ipsas et quicquid in eis iuris habebat, Teplensi ecclesie pia liberalitate donavit; quod tam per scriptum autenticum,[9] cuius transcriptum exhibuit, quam testes idoneos, salvis aliis defensionibus eius legitimis, se obtulit suo loco et tempore probaturum. Cum autem super hiis per capellanum eundem auditis non potuerit coram nobis fieri plena fides, de utriusque partis assensu per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus audituri, que partes hinc inde duxerint proponenda, causam huiusmodi sufficienter instructam infra unius anni spatium cum eodem autentico, per quod se tutum abbas ipse proponit, ad nostram presentiam transmittatis. Nos autem transcriptum illud vobis ad cautelam sub bulla nostra mittimus interclusum. Nullis litteris obstantibus, si que apparuerint preter assensum partium a sede apostolica impetrate. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Rome apud sanctum Petrum, X kalendas iunii, pontificatus nostri anno [tertio[b]].

Bulla, quae e funiculo cannabino appendebat, iam avulsa et deperdita est.

180.

Honorius III papa Andreae, episcopo Pragensi, facultatem dat, ut Cistercienses, Praemonstratenses aliosque exemptos dioecesis illius excommunicatos, quod interdicti tempore divina celebraverint, absolvere possit.

Romae [1219] maii 30.

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos nº 292] asservatur, pag. 268—269 (C).

Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 130 nota.

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri .. Pragensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.[a] In nostra proposuisti presencia constitutus, quod nonnulli Cistercienses, Premonstratenses et alii exempti tue diocesis[b] pro eo, quod interdicti tui sentenciam contempnentes presumpserunt celebrare divina, vinculo sunt excommunicacionis astricti, et quidam eciam excommunicati adhuc non desinunt celebrare, credentes se excommunicacione huiusmodi non teneri. Unde nobis humiliter supplicasti, ut, cum sit multitudo in causa, propter quod severitati est aliquid subtrahendum, illos absolvere ac cum eis dignaremur misericorditer dispensare. De tua itaque discrecione plenam in Domino

179. *b) annus pontificatus erasus est in A, sed* ‚tertio' *ibi scriptum esse tum ex primae litterae linea superiore, quae adhuc superest, tum e loci erasi longitudine (14 mm) certissime conici potest.*

8) *Daniel II.* — 9) *a. 1201 datum; v. num. 26.*

180. *a) Inscriptio his tantum verbis indicatur in C:* ‚Eidem super eodem'. — *b)* ‚dyoc.' *C.*

fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus,[c] inquisita super hiis et cognita veritate, agas super hoc cum eis misericorditer, prout secundum deum videris expedire. Datum Rome apud sanctum Petrum, III kalendas iunii, pontificatus nostri anno tercio.

181.

Honorius III papa Andreae episcopo et capitulo Pragensi mandat, ut beneficia canonicorum et aliorum praelatorum inobedientium in dioecesi Pragensi aliis personis idoneis canonice conferant. *Reatae [1219] iul. 11.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. X) asservatur, fol. 115r, lib. III, ep. 533 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 77 (reg.) – Erben, Reg. Boh. I, pag. 284, num. 609 — Potthast, Reg. pontif. num. 6102 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 2141.

Episcopo et capitulo Pragensi.[a] Cum perversi difficile corrigantur, ut quidam quondam prelati et canonici tam civitatis, quam diocesis Pragensis, videlicet Arnoldus decanus et Christoforus Pragensis et Benedictus Belinensis, Wecemilus Bechinensis, Sdizlaus Horsouensis,[b] Dersizlaus Satcensis, Johannes Curimensis, Pribzlaus Pelznensis, Pragensis diocesis archidiaconi, et Walkinus, Bohuzlaus, Matheus, Peregrinus, Johannes de Asafemburc et Bartholomeus, canonici Pragenses, perversissimos se ostendunt, nec vexatio adhuc eis tribuit intellectum, nec perfusa ipsorum facie ignominia erubescere didicerunt, quin potius maledictionem ut aquam bibentes, suspensionis et excommunicationis sententias promulgatas in eos exigentibus culpis suis pertinaciter parvipendunt, et tamquam in profundum venerint peccatorum, claves ecclesie contempnere non formidant. Et licet eorum contumacia exigente ipsos officiis et beneficiis ecclesiasticis privaverimus, mandantes eosdem per venerabilem fratrem nostrum ..[1] Eistetensem episcopum ipsis denuntiari privatos, illi cum eo, qui est rex super omnes filios superbie,[2] quasi stipulam malleum estimantes et deludentes vibrantem hastam,[3] irreverenter beneficia ipsa retentare contendunt in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum, sicut tu, frater episcope, in nostra proposuisti presentia constitutus. Ut igitur gravior pena pungat, quos non compunxit hactenus penitudo, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus beneficia ipsa, prout ad vos est eorum donatio devoluta, personis idoneis canonice conferre curetis, et si qui eos, quibus ipsa conferenda duxeritis, molestare presumpserint, ipsos excommunicationis sententia, sublato appellationis obstaculo, percellatis. Datum Reate, V idus iulii, pontificatus nostri anno tercio.

---

180. *c)* ‚quatinus' *deest C.*

181. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.* — *b)* ‚Horsoneñ' *R.*

1) *Hartwigum; vid. num. 168.* — 2) *Job XLI, 25.* — 3) *v. Job XLI, 20.*

182.

Honorius III papa Andreae, episcopo Pragensi, facultatem dat, ut clericos dioecesis Pragensis excommunicatos, quod illo non concedente interdicti tempore ab alienis episcopis consecrationem acceperint, absolvere possit.

Reatae [1219] iul. 20.

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos n° 292] asservatur, pag. 269 (C).

Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 130 nota.

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri .. Pragensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.[a] Exposuisti nobis, in nostra presencia constitutus, quod cum diocesi[b] tua ecclesiastico per te supposita interdicto, in clericos, qui interdictum huiusmodi non servarent, generalem excommunicacionis sentenciam promulgaris,[c] multi ex ipsis prefatam incurrerunt sentenciam, qui, absolucionis beneficio non obtento, absque tua licencia fecerunt se ab alienis episcopis ad ordines promoveri. Unde a nobis suppliciter postulasti, ut dispensandi cum talibus, si non commiserunt in ordinibus sic susceptis vicium symonie ac alias idonei[d] fuerint, licenciam tibi concedere dignaremur. Nos ergo tuis precibus annuentes, de speciali gracia tibi concedimus postulata. Datum Reate, XIII kalendas augusti, pontificatus nostri anno tercio.

183.

Honorius III papa Conrado IV Ratisponensi et Ulrico Pataviensi episcopis ac Ulrico, praeposito sancti Nicolai Pataviae, multiplices persecutiones Andreae, episcopo Pragensi, eiusque ecclesiae illatas exponit, iisque mandat, ut Otakarum regem eiusque barones ad satisfactionem competentem exhibendam inducant, et si eorum monitis infra duos menses acquiescere noluerint, ex tunc eos excommunicatos denuntient.

Reatae [1219] aug. 2.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. X) asservatur, fol. 122^{r}—122^{v}, lib. IV, ep. 542 (R).

Raynaldi Annal. eccl. XIII, pag. 294, ad a. 1219, § 27 (fragm.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 109, num. 102 — Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 78 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 286, num. 612 (frgm.) — Gradl, Monum. Egrana I, num. 150 (reg.) — Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Rom. sel. (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 72, num. 100. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V (Abth. 3) num. 6343 — Potthast, Reg. pontif. num. 6111 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 2168.

182. *a) pro* ‚Honorius — benedictionem‘ *tantum* ‚Idem eidem‘ *habet C.* — *b)* diocesis‘ *C.* — *c)* ‚sentenciam excomm. promulgeris‘ *C.* — *d)* ‚ydonei‘ *C.*

..[1] Ratisponensi et ..[2] Patauiensi episcopis et ..[3] preposito sancti Nycholai Patauiensis.[a] Etsi nos cum propheta zelus domus Domini comedat,[4] ita quod iniuriam eius nequeamus equanimiter sustinere, multo magis tamen exinde salutis illorum pericula formidamus, qui eidem iniuriari ausu sacrilego presumentes, dum ei dampna irrogant temporalia, eterne mortis laqueum[5] sibi parant. Unde amarissime ancxiamur, quod karissimus in Christo filius noster .. Boemie rex illustris, salutis sue, quam paterno zelamur affectu, neglector, in persecutionem Pragensis ecclesie suum videtur animum obfirmasse, quam debuerat a persecutoribus favorabiliter defensare, ut ex seculari potentia placens Domino seculorum,[b] compararet sibi apud deum incomparabile meritum et apud homines nomen bonum. Nam cum olim idem rex et barones sui per procuratores ad hoc specialiter destinatos fidem coram venerabili fratre nostro ..[6] archiepiscopo Maguntino prestiterint, ac postmodum coram te, frater Ratisponensis, ac coram dilectis filiis ..[7] de Ebra et ..[8] de Walsassen Cisterciensis ordinis abbatibus, Ratisponensis et Herbipolensis diocesum, a sede apostolica delegatis, prestita fide firmarint, iura venerabilis fratris nostri .. episcopi et ecclesie Pragensis dimittere illibata, sicut idem rex suis nobis litteris intimavit[9]: nunc, sicut prefatus episcopus, dicto abbate de Walsassen, qui a nobis super hoc datus fuerat executor, et .. nuntio eiusdem regis presentibus, exposuit humiliter coram nobis, ipsum et ecclesiam suam multipliciter persequentes, in ecclesiis suis personas instituunt et destituunt, vel potius intrudunt, et spoliant pro sue libito voluntatis, nec permittunt eum vel officiales suos ecclesiastica iudicia exercere. Decimas quoque sibi solvere denegant, pravam consuetudinem pretendendo, que dici debet potius corruptela. Et non solum fructus ecclesiasticarum rerum et alia, quibus prefatum episcopum, dum apud sedem apostolicam moraretur, illicite spoliarant, et tallias, quas ab hominibus suis extorserant, sibi restituere denegant, verum etiam quedam predia Pragensis ecclesie ac aliarum ecclesiarum suarum nec non quedam alia sua propria, que longo tempore, antequam ad sedem apostolicam iter arriperet veniendi, quiete possederat et Pragensi ecclesie pro quodam debito assignarat, temere invadentes, alienasse dicuntur, alias ecclesiarum privilegia infringendo. Preterea excommunicatis scienter communicant, et scismaticos non permittentes debita pena puniri, eis qui exigentibus culpis suis ecclesiasticis beneficiis sunt privati, proventus beneficiorum subtrahi nullatenus patiuntur; quin etiam clericos, qui citationis vel privationis litteras scismaticis offerunt, eicientes de regno, inhibent, ne aliquis in tota Pragensi diocesi apostolicas vel ipsius episcopi litteras recipere audeat, facientes de interdicti vel excommunicationis sententiis mentionem. Clericos

183. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R. — b)* ‚seculorum' *in margine additur in R.*

1) *Conrado IV.* — 2) *Ulrico.* — 3) *Ulrico.* — 4) *Cf. Psalm. LXVIII, 10* ‚Quoniam zelus domus tuae comedit me'; *cf. et. Joh. II, 17.* — 5) *Cf. II Reg. 22, 6.* — 6) *Sigifrido II.* — 7) *Eberhardo.* — 8) *Hermanno.* — 9) *Vide superius num. 172.*

etiam et nuntios episcopi exire vel intrare regnum libere non permittunt; nec hiis contenti, a clericis in pedagiis sive theloneis triginta denarios exigunt et extorquent, cum a laico non nisi unus denarius exigatur. A domibus autem religiosis currus magnorum sumptuum occasione cuiuslibet exercitus frequenter extorquent. Et licet per nos et delegatos a nobis super hiis sepe ammoniti fuerint diligenter, numquam tamen ab episcopi et ecclesie Pragensis potuerunt molestiis revocari. Licet igitur sepedicto regi tamquam precellenti, et baronibus tamquam ab eo missis deferre velimus, quia tamen non est deferendum hominibus contra deum, cui est contra omnes homines deferendum: de fratrum nostrorum consilio discretioni vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus regem et barones eosdem, ut prefato episcopo de dampnis illatis et subtractis fructibus nec non irrogatis iniuriis satisfactionem exhibeant competentem et ab ipsius de cetero molestatione desistant, recepta super hiis ab ipsis pignoraticia vel fideiussoria cautione, moneatis prudenter et efficaciter inducatis. Quod si monitis vestris, quod absit, infra duos menses acquiescere forte noluerint, denuntiamus eos ex tunc excommunicationis et totam terram eorum interdicti sententiis subiacere; quas vos renovantes singulis diebus dominicis et festivis, faciatis easdem, appellatione remota, tam ab episcopis, quam ecclesiarum prelatis et aliis omnibus vicinis inviolabiliter observari, donec redeuntes ad cor, relaxari easdem sententias mereantur. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.[c] Datum Reate, IIII nonas augusti, pontificatus nostri anno quarto.

184.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Honorium III papam rogat, ne contra se vel terram suam ante nuntiorum suorum adventum aliquid statuat; de episcopi Pragensis dolosa agendi ratione conqueritur; pro magistro Arnoldo, decano Pragensi, et Benedicto, cancellario suo, deprecatur.

[1219 cc. sept.—oct.]

Apographum insertum est transsumpto Innocentii IV dd. Lugduni 1245 iul. 13, cuius apographum a. 1413 mart. 12 confectum in tabulario secreto Vaticano asservatur (C). — Alterum apographum transsumpti eiusdem anno 1773 confectum exstat in cod. ms. lat. nº 8990 bibliothecae nat. Parisiensis fol. 171r (P).

Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 81 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 289, num. 618 (frgm., minus recte ad a. 1220) — Huillard-Bréholles, Rouleaux de Cluny, in: Notices et extr. des ms. de la bibl. imp. XXI, 2, pag. 301 (reg.) — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10858.

Epistula notis temporis omnino caret. Ante anni 1220 initium missam esse, ex eo intelligi potest, quod nuntii, quos rex brevi tempore se missurum esse promittit, anno quem dixi

183. c) ‚hiis — exequantur‘ *tantum compendio* ‚etc‘ *significantur in R.*

mense februario exeunte vel martio ineunte (ante mart. 20) ad papam venerunt. Post medium annum 1219 epistulam scriptam esse manifestum est, quod in ea festum s. Barnabae (iun. 11) nuper praeteritum commemoratur. Quibus omnibus circumspectis, epistulam mense fere septembri vel octobri a. 1219 missam esse puto.

Sanctissimo patri ac domino H., dei gracia[a] sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, O., eadem gracia Boemorum[b] rex, promptum[c] in omnibus cum summa devocione servitium. Quoniam[d] ab adolescentia nostra obedivimus fideliter et devote et in antea tota mente disponimus obedire sancte Romane ecclesie, matri nostre, quantum nostre vires nobis ministraverint[e] et facultas, sicut sanctitatem vestram credimus non latere, dominacioni vestre confidencius porrigimus preces nostras. Inde est, quod paternitatem vestram, que confert unicuique iura sua, quantumcumque possumus[f] deprecamur, quatinus ad instanciam domini Pragensis episcopi nichil contra nos et nostros vel regnum nostrum statuere debeatis, usque dum maiestati[g] vestre nostri se nuncii representent,[1] quos curabimus ad pedes vestros in proximo destinare, qui facient omnia, que secundum mandatum vestrum fuerint facienda. Ad vestram siquidem presenciam nostros iam dudum[h] nuncios honorifice misissemus, nisi eiusdem episcopi fraus et dolus multipliciter impedisset. Nam cum[i] scit nos nuncios habere paratos, nobis per suos suadere[k] facit amicos, per suos eciam nuncios et litteras intimando, ut res nostras in curia Romana non expendamus in vanum, quia proponit accedere ad confinium[l] regni nostri et nobiscum et Boemis componere secundum desideria nostra; et sic nobis illudens,[m] nostrum propositum de nunciis destinandis sepius impedivit, quod et[n] facere conatur ad presens. Et ut hec plenius credere valeatis, noscat vestra beatitudo benigna, quod nuper in festo beati Barnabe[o] apostoli[2] nobis idem episcopus per Radoslaum clericum intimavit,[p] quod compositionem inter nos et ipsum auctoritate apostolica celebratam[3] tam de decimis, quam de aliis, vult totaliter acceptare; quod credere non valemus; set laborat in fraudem ut prius, ne ad pedes vestros nostros nuncios destinemus,[q] quos parati sumus in proximo destinare. Immensam[r] quoque clemenciam vestram modis quibus possumus exoramus, ut dilectos fideles capellanos nostros, magistrum Arnoldum Pragensem decanum, latorem presencium et Benedictum cancellarium nostrum, quo tanquam dextera nostra carere[s] nequimus ad presens, divine retribucionis intuitu nostrique interventu servicii habere dignemini commendatos, si quam

184. *a)* ‚gratia' *et similiter etiam infra* ‚tia' *pro* ‚cia' *et* ‚tio' *pro* ‚cio' *P.* — *b)* ‚Boemie' *P.* — *c)* ‚prumptum' *P.* — *d)* ‚Quia' *C.* — *e)* ‚ministraverunt' *P.* — *f)* ‚possimus' *P.* — *g)* ‚magestati' *C.* — *h)* ‚iandudum' *C.* — *i)* ‚dum' *C.* — *k)* ‚suaderi' *P.* — *l)* ‚confingium' *P.* — *m)* ‚illudens' *una cum membrana destructa periit in C.* — *n)* ‚et quod' *C, P.* — *o)* ‚Bernabe' *C;* ‚Barnabee' *P.* — *p) voces* ‚per Rad. cl. intima' *cum membrana putrefacta perierunt in C.* — *q) litterae* ‚cios destin' *perierunt in C.* — *r)* ‚Inmensam' *C.* — *s)* ‚cavere' (!) *P.*

1) *Nuntiorum nomina in litteris papae a. 1220 mart. 20 (v. num. 190) adferuntur.* — 2) *iun. 11 a. 1219.* — 3) *Formam compositionis vide superius num. 172.*

noxam pro nostris serviciis, quod non credimus, incurrisse dicantur, causa fidelitatis et devocionis nostre remittentes eisdem.[4] Nam causa ipsorum ita est nostre connexa, quod eis deesse non possumus nec debemus, nec deerimus tempore vite nostre, quia in multis negociis nobis fideliores aliis sunt inventi. Quicquid etenim boni feceritis cum eisdem, persone nostre reputamus impensum. Profecto coram deo, qui testis est in celo fidelis, et hominibus protestamur, quod predictis decano et cancellario nulla fuit omnino citacio presentata; quod parati essemus cum multis aliis iurare cum eis. Porro idem decanus ad pedes sanctitatis vestre cicius accessisset, set fuit anno preterito et presenti in utroque per XVI septimanas et amplius gravissima infirmitate detentus, ita quod de eius vita desperabatur omnino. Super hiis autem fidem plenam adhibeatis decano iam dicto, que ex parte nostra vestre proposuerit maiestati; ipse eciam predicti cancellarii nostri causam, cuius procurator existit, procurabit fideliter sicut suam.

185.

Fridericus II, Romanorum rex, monasterium in Scheftersheim in sua et imperii speciali protectione recipit. — Inter testes: ‚Odakarus rex Boemie‘.

Apud Norimbergam 1219 nov. 2.

Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Friderici II, t. I, pag. 696 — Wirtembergisches Urkundenb. III, pag. 87, num. 620 (ex autogr. in tabul. Oehringensi) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 287, num. 613 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 1066.

Norimbergae eo tempore curiam celebratam esse, haec chartae Leopoldi VI ducis Austriae, quae a. 1219 nov. 4 data est, verba docent: ‚cum Ratispone fuissemus revertentes a curia domini regis aput Nurenberch celebrata‘; *Ried, Cod. d. Ratisp. I, pag. 322; Meiller, Reg. d. Babenberg., pag. 124, num. 159. — Cf. Dudík, Mähr. Gesch. V, pag. 124.*

186.

Fridericus II, Romanorum rex, hospitali sanctae Mariae Theutonicorum donat capellam in Rödelheim cum dote, decimis, mancipiis et iustitiis eiusdem. — Inter testes: ‚Odacrius Boemorum rex‘.

Apud Norimbergam 1219 nov. 3.

Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Friderici II, t. I, pag. 697 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 287, num. 614 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 1067.

187.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Plasy confirmat praedium Močidlce quondam ab Agnete, Cunonis de Potvorov vidua, donatum, de quo cum eodem monasterio Zavišius praedii ipsius prior possessor contendebat.

Pragae 1219 dec. 6.

184. 4) *Petitioni eventum non defuisse, litterae papae a. 1220 iun. 21 datae (v. num. 191) demonstrant.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A). — Apogr. s. XVIII med. praebet Scheppl, Lapis sepulchralis fundatoris ... monii ... de Plassio (cod. ms. tabularii Musaei regni Boh.) pag. 63—65 (B).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 287, num. 615 (frgm.) — Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen XII, pag. 67, num. 26 (reg.).

Autographum manu scribae, quem nota ‚Otakarus 9' signavimus, exaratum est; de quo vid. prooemium diplomatis num. 113.

‖ In nomine sancte et individue trinitatis. ‖ Premuzle, dei gratia Boemorum rex, universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, ditioni nostre subiectis, in perpetuum. Cum ex regie clementie ‖ liberalitate omnibus nobis subiectis ac devote famulantibus pacem et quietem providere debeamus, maxime tamen hiis defensionis opem et tuicionis adminiculum administrare cogimur et ex iure tenemur, quos et purioris vite sanctitas pre ceteris commendat, ‖ et quorum precibus assiduis ac devotis nos adiuvari semper ac regnum nostrum firmari ac stabiliri non dubitamus. Hinc est, quod vidua Cunonis nobilis cuiusdam de Poturowe, Agnes nomine, a filio fratris sui Zawissone predium quoddam Mŏscideliz pro $\overset{tum}{C}$ ‖ marcis argenti comparavit, quod fratribus Placensis cenobii, deo et eius pie genitrici sub monastica professione ibidem devote servientibus, pro remedio anime sue ac viri sui redemptione perpetuo iure possidendum contradidit et in presentia nostra et dilecti fratris nostri Wadizlai et aliorum probabiliorum virorum prefatam donationem pie memorie abbati Meingoto consignavit.[1] Sancte igitur recordationis memoratus abbas Meingotus et omnes successores sui usque ad hec tempora venerabilis abbatis Heinrici predictum predium cum omnibus pertinentiis suis absque lite et omni contradictione, nullo impediente seu repetente, cum omni tranquillitate possederunt. Proch dolor, instinctu maligni inflammatus et incitatus venditor prefatus abbatem Heinricum et fratres cepit impetere, iniuriis etiam et contencionibus pro hereditate et patrimonio vendito lacessere. Cernentes vero iam dicti fratres, quod pene omnibus consumptis miser ad summam inopiam devenisset, metuentes etiam, ne desperatione fractus dampnum aliquod gravius eis inferret, elegerunt rerum suarum dispendium sustinere, quam litibus et contencionibus deservire. Sane consilio prudentum virorum adhibito, requisita etiam voluntate et consensu nostro regali, novem ei marcas se daturos promiserunt; sed quatuor in presentiarum per manum Tazzonis de Chiss in domo Placensi solventes, residuas quinque brevi temporis intervallo completo, per manum Benessonis, fidelis nostri burcgravii Budisensis,[a] totaliter exsolverunt, ea pacti conditione, ut querelis omnibus perpetualiter sopitis abrenuntiatisque omnibus impeticionibus supra dictis, numquam eis de cetero gravis vel molestus fieret, seu in aliquo ledere attemptaret. Huius rei gratia convenientibus utrisque partibus

187. a) *ita A.*

1) *Conf. num. 113.*

ad commune colloquium Boemorum Prage habitum, citatus et requisitus Zawiss a maiestate nostra, libere coram omnibus fatetur hec ita se habere, abrenuntiansque publice, firmiter ac fideliter spondet universa et singula se inviolabiliter velle custodire. Nos igitur, quoniam huius rei cura et sollicitudo nobis maior incumbit, seriem huius narrationis pro maiori cautione adhibenda presenti pagine impressimus ac sigillo nostro consignavimus, subnotatis testibus, qui huic facto interfuerunt: Arnoldus prepositus de Wissegrade, magister Martinus cononicus,[a] Hermannus notarius domini regis, Heinricus scolaris, Beness et Marquardus frater eius, Jaros, Heinricus filius Witegonis, Dalebor iudex curie, Bohuzlaus filius Zlauconis, Diwis gener Benessonis, Zcaztolo et frater eius Heinricus, Prothiwa de Cisincowe, Bůn de Lucowe, Martinus de Bozne et frater eius Heinricus, Wath camerarius, Beneda de Sueisingen et Sdimir cognatus eiusdem. Facta sunt autem hec anno ab incarnatione Domini MCCXVIIII, indictione octava, VIII[b] idus decembris. Datum per manum domini Benedicti, cancellarii aule regie, in urbe Praga, anno regni nostri XXI.[2]

Autographo appensum est filis sericis coloris flavi et rubri sigillum Otakari regis, iam nimis attritum de cera naturali confectum, quod ad eandem formam atque in num. 57 revocandum est.

188.

Přemysl Otakarus I, rex Boemorum, monasterio in Milevsko villam Bojenice, quam Gerlaco abbati quondam pro centum et decem marcis argenti obligavit, denuo donat. *In Knín 1219 —.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario castri Vorlik asservatur (A).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 285, num. 611 (fragm.).

Autographum manu scribae, quem nota ‚Otakarus 14' signamus exaratum est; quae quidem manus iam in nullo prorsus alio eiusdem regis diplomate autographo in conspectum redit. — Villa Bojenice iam a. 1218 ian. 15 monasterio in Milevsko data est (vid. num. 153).

‖In nomine sancte et individue trinitatis amen.‖ Premizl, favente dei clemencia rex Boemorum, claustro Milevcensi in perpetuum. Nove‖rint omnes fideles nostri presentes et futuri, quod nos ob interventum karissime coniugis nostre Constancie, intercedentes[a] quoque dilecto germano nostro Vladislao et Csrinino camerario‖et Ztibor iudice curie, Arnoldo decano Pragensi, maxime autem ob spem vite eterne et cliritatis[a] perpetue villam Bogeniz, quam abbas Gerlacus pro centum et X marcis a nobis obligatam‖tenuit, regia auctoritate eidem[b] dona-

187. *b) genuine ‚VIJ', sed postea eodem atramento adhuc ‚J' additum est A.*

2) *Recte XXII; nam XXI. annus regni Otakari regis die fere 7 septembris a. 1219 iam praeteriit.*

188. *a) ita errore scribae A. — b) praecedit ‚j' erasa A.*

vimus eodem iure, eisdem terminis, quibus nos possedimus, liberaliter perpetuo possidendam. Sane Sdislaus[1] subcamerarius noster et Predvoy dispensator[2] noster precepto nostro memoratam villam cum pratis rivis et silvis obequitaverunt, signa in medio rivuli, qui dicitur Belina, usque in Borovan in longitudine et lato, nullo contradicente, ponentes, in aliis partibus ad memoriam cumulos erexerunt; et cum eis equitaverunt: Martinus canonicus, Rodoslaus[a] de Srilin, Pribislaus de Zenosath, Artleb de Zchrisov, Valterus et Csaztovoy filii Pernoldi, Martinus de Obideniz, Obiden de Petroviz, Ozel et Jura fratres de Predboriz, Bohuhval de Coyetiz, Hvalata, Predich de Artmaniz, Zauid et Prauez domini regis ministeriales, Ztibor de Pocepizs, Pribislaus de Malcoviz, Danisse de Crasoviz, Wolchmar de Druhoviz, Luder de Radimoviz, Pribislav de Beloviz, Predslav de Stresimir, Pertolt de Ricov, Mzton, Martin, Premiz[c] et alii quam plures. Ut autem hec nostre[d] auctoritatis[e] donacio firma et inconvulsa permaneat, presentem paginam conscribi et sigillis nostris iussimus roborari. Datum in Knin anno Domini[f] MCCXIX, presentibus filiis domini regis Wencezlao et Vadislao et his terre nobilibus: Diuis de Diuisoviz, Heinricus Bohutiz, Ivan Clusniz, Predwoy villicus, per manum Anselmi, notarii curie nostre.

Autographo appendebant e filis sericis coloris albi, rubri, flavi et violacei duo sigilla. Quorum primum (regis sigillum) iam avulsum et deperditum est. Alterum sigillum reginae est de cera naturali confectum idem atque in num. 21 et 75.

189.

Honorius III papa Andreae, episcopo Pragensi facultatem dat, ut clericos civitatis et dioecesis illius, qui ab officiis beneficiisque remoti sunt, quod tempore interdicti divina celebraverint, absolvere possit.

Viterbii [1220] mart. 18.

Apographum servavit Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV. in tabulario terrae Moraviae Brunnae [inter Cerronianos n⁰ 292] asservatur, pag. 269 (C).

Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 130 nota.

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri .. Pragensi episcopo.[a] Cum quidam clerici tue civitatis et diocesis per nos sint officio beneficiisque privati pro eo, quod contra interdictum tuum celebrare temere presumpserunt et quidam eciam celebraverunt contra interdictum auctoritate nostra pro-

---

188. *c)* ‚Premiz' *in loco raso eadem manu eod. atram. scr. A.* — *d)* ‚nre' *ead. manu superscriptum A.* — *e) genuine* ‚auctoritas', *sed* ‚s' *statim erasa, correctum A.* — *f)* ‚domini' *in loco raso eadem manu eodemque atramento scriptum A.*

1) *In diplomate num. 153 minus recte Sulislaus.* — 2) *In dipl. num. 153 villicus.*

189. *a)* ‚Honorius — episcopo' *desunt C; supplevi secundum formam.*

mulgatum et propalatum, nos de tua circumspeccione gerentes fiduciam specialem, absolvendi eos ac dispensandi cum illis, prout singulorum merita videris postulare, auctoritate presencium liberam tibi concedimus potestatem. Datum Viterbii, XV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

190.

Honorius III papa Eberhardo II archiepiscopo Salisburgensi et Rudigero episcopo Chiemensi et Wernhero abbati sanctae Crucis mandat, ut ad confinia regni Bohemiae accedentes, partes suas interponant ad reformandam concordiam inter Andream episcopum Pragensem ex parte una et Otakarum regem et barones Bohemiae ex altera. *Viterbii [1220] mart. 20.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. X) asservatur, fol. 166, lib. IV, ep. 678 (R).

Raynaldi Annal. eccl. ad. a. 1220, § 34 et 35. — Manrique, Annal. Cisterc. IV, p. 175 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 110, num 103. — Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 79 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 289, num. 619 — Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Rom. selectae (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 78, num 111 — Potthast, Reg. pontif. num. 6215.

..[1] Salzeburgensi archiepiscopo et ..[2] episcopo Kymensi et ..[3] abbati Sancte Crucis, Cisterciensis ordinis, Patauiensis diocesis.[a] Post diuturnam moram, quam venerabilis frater noster .. Pragensis episcopus apud apostolicam sedem traxit pro questione inter ipsum ex parte una et .. illustrem regem ac barones Boemie ex altera super decimis, iurisditione[b] ecclesiastica, ecclesiarum immunitate ac nonnullis aliis ad ecclesiasticam pertinentibus libertatem suborta, pro qua etiam ipse rex et barones excommunicationi et regnum eius subiacent interdicto, tandem procuratoribus ipsius regis et baronum in nostra presentia constitutis, utraque pars arbitrio nostro libere se commisit. Habito igitur cum fratribus nostris et cum ipsis partibus longo de compositione tractatu, ita quod partes ipse a forma sibi proposita in paucis articulis discordabant, ecce nobilis vir Dalebor maior iustitiarius et Martinus pincerna ipsius regis ac Marcuardus de Dechin et Diuis de Prachen castellani et Habra, procurator nobilis viri B.[4] castellani de Budisin, advenerunt, ex parte dicti regis et sua cum instantia postulantes, ut prefatum episcopum ad Viennam, civitatem nobilis viri ..[5] ducis Austrie, mitteremus, ac affirmantes, quod rex et barones predicti, quos illuc venturos firmissime promittebant, presente dicto episcopo inducerentur facile ad concordiam et ipsi ad hoc impenderent diligens studium et operam efficacem. Quod eciam firmaverunt prestito iuramento, quod ipsi ad hoc directi hec de ipsorum regis et baronum

190. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R.* — b) *ita R.*

1) *Eberhardo II.* — 2) *Rudigero.* — 3) *Wernhero.* — 4) *Benešii.* — 5) *Leopoldi VI.*

mandato speciali dicebant, et quod ad pacem et concordiam fideliter laborarent, quodque custodirent personam episcopi sicut suas, tam deducendo eum ad civitatem predictam, quam ad nostram presentiam reducendo, si forte non posset concordia provenire. Nos igitur acquiescentes precibus et instantie nobilium predictorum, episcopum ipsum ad civitatem iam dictam duximus transmittendum, ut huiusmodi controversia finem, dante Domino, sortiatur. Ideoque per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus ad locum ipsum vel propius, si necesse fuerit, ad regni confinium personaliter accedentes et commonentes ipsum regem, cui super hoc scribimus,[6] ut et ipse iuxta promissionem dictorum nobilium cum aliquot de baronibus, a ceteris tam baronibus, quam nobilibus Boemie mandatum habentibus, ad locum accedat eundem, interponatis prudenter et sollicite partes vestras ad reformandam concordiam inter eos;[7] que si studio vestro mediante provenerit, eadem sufficienti et idonea cautione firmata, prefatas excommunicationis et interdicti sententias relaxetis. Alioquin episcopum ipsum ad nos reduci iuxta promissum nobilium predictorum incolomem facientes, easdem sententias precipiatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Quod si non omnes hiis[c] exequendis potueritis interesse, tu frater archiepiscope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Viterbii, XIII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

191.

Honorius III papa Ulrico II, episcopo Pataviensi, mandat, ut magistro Arnoldo, decano Pragensi, beneficia in dioecesi sua sita restituat.

Apud Urbem veterem [1220] iun. 21.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. X) asservatur, fol. 194r, lib. IX, ep. 789 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 80 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 292, num. 622 — Potthast, Reg. pontif. num. 6276 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, pag. 413, num. 2501.

..[1] episcopo Patauiensi.[a] Propter venerabilem fratrem nostrum ..[2] Pragensem episcopum, magistrum A.,[3] regium capellanum, a suis duximus beneficiis

---

190. *c)* ,hiis — exequaris' *tantum compendio* ,etc' *indicantur in R.*

6) *Epistula haec iam deperdita procul dubio eodem tempore missa erat atque litterae ad archiepiscopum Salzburgensem datae.* — 7) *Papae mandatum archiepiscopus verisimillime exeunte aestate a. 1220 exsecutus est; quem tunc in Austriam venisse refert Meiller, Reg. archiep. Salisb. pag. 225, num. 245 et pag. 535, nota 98. Colloquium inter Otakarum regem et Andream episcopum apud Seefeld habitum esse, refert Pulkavae Chron. perperam ad a. 1221 (Font. rer. Boh. V, pag. 131) et Nicolai de Boh Chron. [ms. tabularii terrae Brunnae, Cerr. nº 292, pag. 269—270] ad a. 1220 (v. Fontes rer. Boh. V, pag. 130 nota).*

191. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.*

1) *Udalrico II.* — 2) *Andream.* — 3) *Arnoldum.*

amovendum. Verum quia nolumus, cum intentionis nostre non fuerit, huiusmodi amotionem extendi nisi ad beneficia illa dumtaxat, que in Pragensi diocesi obtinebat, presentium tibi auctoritate precipiendo mandamus, quatinus ea, que in diocesi tua obtinuit, sibi absque difficultate restituas cum fructibus inde perceptis, amoto ab eis quolibet detentore, ac facias ipsum gaudere possessione pacifica eorumdem. Alioquin venerabilibus fratribus nostris ..[4] archiepiscopo Salzeburgensi et ..[5] episcopo ac dilecto filio .. preposito Sechouiensibus damus nostris litteris in mandatis, ut id auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, exequantur, contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum apud Urbem ueterem, XI kalendas iulii, anno quarto.

192.

Honorius III papa Eberhardo II, archiepiscopo Salisburgensi, Carolo, episcopo Secoviensi, atque praeposito Secoviensi mandat, ut magistro Arnoldo, decano Pragensi, beneficia, quae in dioecesi Pataviensi habuit, restitui procurent.

Apud Urbem veterem [1220] iun. 21.

Litterarum excerptum exstat in Honorii III regestorum volumine II, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. X) asservatur, fol. 194r, post lib. IV, epist. 789 (R).

..[1] archiepiscopo Salzeburgensi et ..[2] episcopo ac .. preposito Sechouiensibus. Propter venerabilem fratrem nostrum ..[3] Pragensem episcopum, magistrum A.[4] regium capellanum, a suis duximus beneficiis amovendum. Verum quia nolumus, cum intentionis nostre non fuerit, huiusmodi amotionem extendi nisi ad beneficia illa dumtaxat, que in Pragensi diocesi obtinebat, venerabili fratri nostro ..[5] episcopo Patauiensi dedimus nostris litteris in mandatis, quatinus ea, que in diocesi sua obtinuit, sibi absque difficultate restituat cum fructibus inde perceptis, amoto ab eis quolibet detentore, ac faciat ipsum gaudere possessione pacifica eorumdem.[a] Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si dictus episcopus mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos id auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, exequi procuretis, contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes hiis[b] exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum[c] apud Urbem ueterem, XI kalendas iulii, anno quarto.

---

191. 4) *Eberhardo II.* — 5) *Carolo.*

192. a) *Prior litterarum pars in R his tantum verbis indicatur:* ‚In eundem modum scriptum est super hoc eisdem *[executoribus]* usque: eorumdem.‘ *Restitui ex epistula, quae proxime praecedit.* — b) ‚hiis — exequantur‘ *tantum compendio* ‚etc‘ *indicantur in R.* — c) ‚Datum ut supra‘ *R.*

1) *Eberhardo II.* — 2) *Carolo.* — 3) *Andream.* — 4) *Arnoldum.* — 5) *Udalrico II.*

193.

Fridericus II, Romanorum rex, passagium sive theloneum in ponte civitatis suae Donauwerth pro libertate omnium inde transeuntium abrogat. — Inter testes: ‚Odacrius Boemorum rex‘ *et* ‚Heinricus marchio Morauie‘.

Apud Augustam 1220 iul. [ex.].

Monum. Boica XXXI, pars 1, pag. 498, num. 263 (ex apogr.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. V, pag. 223, num. 11 (reg.) — Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Friderici II, t. I, pag. 812 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 292, num. 623 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 1146. — Cf. Dudík, Mähr. Gesch. V, pag. 128.

194.

Fridericus II, Romanorum rex, principibus suis Eckberto Bambergensi et Ottoni Herbipolensi episcopis liberam concedit facultatem transigendi de mutuis matrimoniis inter ecclesiarum eorum familias contrahendis et de contrahentium prolibus inter praedictas ecclesias partiendis. — Inter testes: ‚Otacarus rex Boemie‘ .... ‚Henricus marchio Morauie‘.

Apud Augustam 1220 aug. 7.

Monum. Boica XXX, ps. 1, pag. 102, num. 652 (ex autogr.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 293, num. 624 (reg.) — Brandl, Cod. dipl. Mor. VII, pag. 719, num. 54 (reg.) — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 1151.

Cum secundum eiusdem regis diploma ap. Böhmer-Ficker num. 1148 die 1 augusti paucissimi tantum dignitate conspicui principes apud regem restitisse videantur, testium huius diplomatis seriem iam mense iulio exeunte confectam esse, contendere ausim.

195.

Robertus, episcopus Olomucensis, monasterio in Velehrad decimas integras, quas in villis expresse nominatis idem monasterium possidet, capituli Olomucensis assensu concedit.

Olomucii 1220 m. aug.

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae (Velehrad Lit. J, num. 1) asservatur (A). — In antiquo tabularii Velehradensis elencho, qui nunc in tabulario terrae Moraviae asservatur, commemoratur sub sign. Lit. E num. 1 alterum eiusdem chartae autographum, quod iam deperditum esse videtur. — Apographum saec. XV exstat in Libro privilegiorum monii. Velehrad, qui in eodem tabulario asservatur, fol. 15.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 115, num. 107 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 293, num. 627 (frgm.) — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. I, num. 227 — Kopetzky, Reg. z. Gesch. d. Hzgth. Troppau (Arch. f. österr. Gesch. 45, pag. 105) num. 17.

Autographum manu scribae, quem nota ‚Robertus 4‘ designamus, exaratum est.

C. ‖ In nomine sancte et individue trinitatis amen. ‖ Ego Rupertus, dei gracia Olomocensis episcopus, dilectis in Christo fratribus abbati et con‖ventui in Welegrad,

Cysterciensis ordinis, Olomocensis[a] diocesis, in perpetuum. Convenit scribi, quod non convenit[b] oblivisci. Ea enim, que vite presentis agun||tur curriculo, facile vacillant, nisi scripti testimonio roborentur. Cum igitur ex officii nostri debito benefacere singulis teneamur, illis tamen specialius de||bemus ac volumus providere, qui religionis approbate vitam et habitum sunt professi et pro statu universalis ecclesie die noctuque domino deo supplicando devocius famulantur. Eapropter nos, o fratres in Domino dilectissimi, conventum vestrum et domum vestram in Welegrad, tamquam filiam specialem ecclesie nostre Olomocensis, que ipsius mater esse dinoscitur ac patrona, sincere dilectionis ulnis propensius amplexantes, decimas integrales omnium villarum in agris, vineis, aninimalibus[c] sive quibuslibet usufructibus, quocumque censeantur vocabulo, quas tempore sue fundationis vestrum monasterium possidebat, vel in sui dedicatione, nec non et in posterum largicione principum seu baronum vel per emptionis modum aut commutationis nec non sub cuiuslibet legitime occasionis pretextu, remediis quoque decedentium, in quibuslibet provinciis nostre diocesis perpetuis temporibus possessurum erat,[d] ad sustentationem vestram ampliorem et ob vestrarum recompensationem orationum libere et absolute, tocius capituli nostri Olomocensis unanimi accedente consensu, vobis et successoribus vestris in perpetuum misericorditer ac liberaliter duximus concedendas; quarum hic nomina subscribuntur: Welegrad villa forensis cum omnibus suis appendiciis, Maratiz, et utrumque Popowiz, Zneispole, Squalcowiz, Leischowe, Tvpiz, Borsiz, Costelan, Naconice, Polissowiz, Pritluc, Welenowiz, Babice, Wesconewiz, Wezde, Prist, Potwariz, Styboriz cum omnibus suis pertinentiis, in Opauiensi provincia constitutis. Ut igitur hec nostra donacio firma sit et stabilis ac semper maneat inconcussa, nec per aliquem successorum nostrorum valeat in posterum aliquatenus revocari, nos ipsam donationem et donationis memoriam presenti pagina et sigilli nostri munimine roboravimus cum sigillo ecclesie Olomocensis, cum testimonio etiam et sigillis specialibus personarum ipsius ecclesie et ceterorum fratrum, qui hic nominetenus exprimuntur[e]: Ego Walterus, decanus Olomocensis et archidiaconus Brunnensis et Znoemensis, huic donacioni consentiens proprium sigillum apposui. Ego Stephanus, prepositus Olomocensis ecclesie, consentiens proprium sigillum apposui. Ego Radozlaus, Olomocensis archidiaconus, consentiens proprium sigillum apposui. Ego Esau, archidiaconus Prerowensis, consentiens proprium sigillum apposui. Ego Moyses, archidiaconus Brezlauiensis, consenciens proprium sigillum apposui. Ego Vtissen canonicus consensi. Ego Ysaac canonicus consensi. Ego Jacobus canonicus consensi. Ego Sifridus canonicus consensi. Ego Theodericus canonicus consensi. Ego Johannes canonicus consensi. Ego Petrus canonicus

195. *a) scriba genuine* ,Olono' *scripsit, sed errorem statim in loco raso correxit A.* — *b) genuine* ,conuinit' *sed corr. A.* — *c) ita* (,ani-||nimalibus') *A.* — *d) ita scribae incuria A.* — *e) Omnes quae subsequuntur subscriptiones eadem manu atque reliqua autographi pars scriptae sunt.*

consensi. Ego Conradus canonicus consensi. Ego Zeborius canonicus consensi. Ego Arcleus et omnes canonici consensimus. Acta sunt hec sollempniter in Olomuc*f* anno Domini M̊C̊C̊XX, mense augusti, indictione VII,[1] feliciter amen.

Autographo appendent septem sigilla de cera fusci coloris confecta: 1) *Sigillum rotundum (diametros 34 mm) appendet e scidula membranae; in quo sigillo haec inscriptio tribus lineis disposita legitur:* ESAV ‖ PREROŴ ‖ ARCHD̂. — 2) *Sigilli formae ex longo rotundae fragmentum appensum est scidula membranacea.* — 3) *Sigillum Roberti episcopi, e filis sericis coloris rubri et flavi appendens, idem atque in num. 78.* — 4) *Sigillum ecclesiae Olomucensis, filis sericis coloris flavi et rubri appensum, quod ex eadem forma profectum est atque alterum chartae num. 78 sigillum.* — 5) *Sigillum formae ex longo rotundae (alt. 45 mm, lat. 30 mm) e scidula membranae appensum, in quo sacerdotis figura stans depingitur; circumscriptio:* ✠ S · RADOZLAI ARCHID : OLO,OꝛVCЄN : — 6) *Sigillum rotundum (diametros cc. 30 mm) defractum appendet e scidula membranae; in sigilli medio imago viri pectore tenus expressa est, qui manu sinistra librum tenet; circumscriptio:* ✠ ......VM OꝛЄVM. — 7) *Sigillum formae ex longo rotundae (alt. 47 mm) e scidula membranae appensum, in quo figura stans depingitur, quae manu dextra ramum palmae tenet; circumscriptio:* ✠ /// OꝛOIS //// BRЄCIZSLA · ARCHD.

196.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Velehrad villam Žarošice cum monte, qui ibidem situs est, donat. *In Hodonín 1220 —.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 112, num. 104 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 293, num. 606 (exc.).

Autographum manu scribae, quem nota ‚Otakarus 15' signamus, exaratum est. Ad eandem manum revocanda sunt etiam diplomatum autographa, quae a. 1221 iul. 2 ecclesia Pragensis et eodem anno (s. d.) monasterium in Zwettl ab Otakaro rege accepit. Quam quidem manum ipsius Hermanni regis notarii esse, contendere ausim. — Diploma ab ipso Hermanno etiam verbis contextum esse, stili proprietates quaedam, tum in diplomate Zwettlensi (v. num. 218), tum in aliis diplomatibus, quae per manum notarii eiusdem data sunt, repetitae, manifesto declarant. — In temporis nota mensis et dies quidem omissus est, sed mense fere augusto vel septembre diploma datum esse verisimillimum est, quod illo tempore inter Otakarum regem et Andream episcopum in terminis Moraviae et Austriae colloquium de concordia concilianda fuit (vid. pag. 177, num. 190, nota 7).

⁝ In nomine sancte et individue trinitatis. Otakarus qui et Premizl, dei gracia Boemorum rex, ‖ omnibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. ⁝ Processu temporis immutantur plerumque legitime hominum donationes ‖ factaque sollem-

---

195. *f)* ‚Olom̄' *A.*

1) *Indictionem scriba perperam computando effecit; ad annum 1220 indictio VIII pertinet.*

niter celebrata, nisi testimonio proborum[a] et sigillatis inveniantur litteris roborata, ut cum opus fuerit, conspectui dubitancium presententur, et quasi ad presens acta perlectis seriatim litteris videbuntur. Notum itaque facimus omnibus generaliter presentem paginam inspecturis, quod nos abbati et convetui[b] devote Domino in Welgrad famulantibus villam quandam Schorcici[c] nomine, que primitus ad Vhricic pertinebat, de nostra mera liberalitate iure hereditario cum monte, qui ibidem situs est, contulimus in perpetuum possidendam. Ne igitur hoc tam nobile factum nostrum posset in posterum aliquatenus violari, eisdem presens scriptum nostri sigilli fecimus munimine roborari, statuentes ut, si quis hoc tam sollemne factum nostrum in posterum ausu temerario modo quolibet presumserit[b] immutare, C marcas argenti pro pena regali camere componat. Actum in Hodonin, anno ab incarnacione Domini millesimo CCXX in presencia horum, quorum nomina subsequuntur: Heinricus qui et Wladizlaus marchio Morauie, Robertus Olomucensis episcopus, Cǒnradus comes de Ardec, Jaros, Benes, Bauor,[d] Witco et alter Wittco et Henricus filii Wittoconis, Petrus filius Bohute, Wilalmus filius Zbrazlay, Budizlaus, Suatozlaus, Berhterus, Englisalcus prothonotarius.

Data per manum Hermanni notarii, indictione VII.[e]

Sigillum, quod e filis sericis albis appendebat, iam avulsum et deperditum est.

197.

Conradus, comes de Hardek, monasterio in Velehrad cedit de iure, quod sibi in villam Žarošice competebat. — *1220* —.

Apographum exstat in codice privilegiorum monasterii Velehradensis saec. XV, qui in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur, fol. 46v—47r (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 113, num. 105 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 294, num. 628 (fragm.).

Chartam eodem tempore atque Otakari regis diploma, quod sub num. 196 dedimus, confectam esse, testium nomina, quae sub finem adferuntur, demonstrant.

C.,[a] comes de Hardeke, omnibus hanc paginam inspecturis salutem in Domino. Noverint tam presentes quam futuri, quod ego Conradus obtinui pro servicio meo quandam villam Vrscicz cum alia villa Scorscicz nomine cum omnibus appendiciis suis ab illustri rege Boemie tercio, nomine Ottacaro, et fratre eius inclito marchione Morauie, Wadislao nomine, iure hereditario pos-

196. *a) post hanc vocem* ‚hominum' *notarii errore omissum est; cf. num. 218. — b) ita A. — c)* ‚Schorcici' *eodem atramento eademque manu inscriptum est in spatium vacuum relictum A. — d)* ‚o' *ex* ‚a' *statim inter scribendum corr. A. — e) ita scribae errore A; ad annum 1220 indictio VIII pertinet.*

197. *a) Chartae apographo in B inscribitur:* ‚Super Scorcicz et Vrscicz C(onradi) comitis de Hardek.'

sidendas. Contigit autem, quod quidam miles Bertherus nomine a nobis fuit infeudatus de illa villa, que vocatur Scorscicz, set ipse nobis voluntarie resignavit; quam postea de consensu nostro et ad peticionem nostram illustris rex Boemie et inclitus marchio Morauie frater eius prius nominati contulerunt ecclesie[b] Welegradensi perpetuo iure possidendam et sine omni contradiccione ad suos usus convertendam. Hoc autem fecimus nullo precio inducti, set pure pietatis causa, considerantes honestatem religionis fratrum in eadem ecclesia[c] commorancium, sperantes nos[d] per eorum merita eternorum gaudiorum[e] obtinere premia. Ne autem ecclesia[c] in Vrscicz vel eius provisores aliquam querelam possint habere contra ecclesiam[f] Welegradensem de decimis quarundam vinearum, que sunt plantate in predicto predio, ordinatum est cum consilio prudentum virorum et consensu episcopi diocesani, Ruberti nomine, quatenus ecclesia[c] Welegradensis debeat dare ecclesie[b] de Vrscicz quolibet anno carratam vini, ut omnis deinceps de quibuslibet decimis illius excludatur querimonia et actio plenarie sopiatur, quia vinee, que sunt site in predicto predio, labore fratrum ecclesie Willegradensis, que est ordinis Cisterciensis, sunt plantate et exculte. Et ut hec omnia rata permaneant, nostrum sigillum in huius testimonium huic pagine fecimus apponi. Acta sunt hec anno ab incarnacione Domini MCCXX. Huius rei testes sunt: Wadizlaus marchio Morauie, Rubertus Olomucensis episcopus, Jaros, Benes, Witco, et alter Witco et Heinricus filii Vitconis, Petrus filius Boguthe, Wilhelmus filius Zbraslay, Budislaus, Suatoslaus, Bertherus, Engilscalcus prothonotarius.

198.

Robertus, episcopus Olomucensis, Conrado servienti suo eiusque filiis usum vineae in Engensalsdorf ad vitae tempus tribuit pro censu annuo duodecim numorum persolvendo monasterio in Sancta Cruce, cui vineam illam iure hereditario possidendam donat.

[— 1220 —.]

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii Sanctae Crucis asservatur (A).

Weis, Urkunden des Cist.-Stiftes Heiligenkreuz I (Font. rer. Austr., II Abth., tom. XI) pag. 56, num. 42.

Autographum scriba, quem nota ‚Robertus 5' signamus, exaravit; cuius manus iam in nulla eiusdem episcopi charta invenitur. — Charta nota temporis omnino caret: sed mense fere augusto vel septembre a. 1220 datam esse verisimile est, quod tunc abbas Sanctae Crucis cum archiepiscopo Salzburgensi iussu papae (v. num. 190, not. 7) ad Moraviae confinium advenisse videntur, ut de concordia inter Otakarum regem Bohemiae et Andream episcopum Pragensem restituenda cum rege ipso agant. Robertum episcopum tunc in regis comitatu fuisse, chartae num. 195, 196 et 201 demonstrant.

197. *b)* ‚eclesie' *B.* — *c)* ‚ecl̄ia' *B.* — *d) sequitur* ‚per eos', *sed deletum B.* — *e)* ‚gaudio' *B.* — *f)* ‚eclesiam' *B.*

R., dei gratia episcopus Olomucensis, omnibus hanc paginam inspecturis salutem in Domino. Cuidam servienti nostro, ‖ Conrado nomine, concessimus quandam vineam in villa, que vocatur Engensalsdorf, usque ad finem vite sue tenendam ‖ et etiam filiis suis, si quos susciperet ex legitima uxore, filiis inquam tantum et non filiabus; ita tamen, quod in recognitionem ‖ et in censum annualem solvent domui de Sancta Cruce quolibet anno XII nummos, cui vineam prefatam contulimus hereditario iure possidendam, secundum quod prescriptum est. Si autem prefatus C. censum predictum domui iam dicte non solveret, ita ordinavimus: quod, nisi sit ex gratia abbatis et conventus, ipse[a] vinea careat, et abbas ipsam vineam sibi vendicet possidendam sine contradictione. Census autem debet solvi in festo sancti Michaelis. In huius rei testimonium sigillum nostrum fecimus apponi, nullo instrumento huic scripto presenti preiudicante, etiam si prefatus C. aliud instrumentum videatur habere.

Autographo appendebat e scidula membranae inferiori autographi margini excisa sigillum episcopi, quod iam deperditum est.

199.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Sifrido, canonico Olomucensi, ut villam Jarošov monasterio Velehradensi vendere possit, facultatem concedit.

Brunnae 1220 —.

Apographum exstat in Codice privilegiorum monasterii Velehradensis saec. XV, qui in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur, fol. 39v—40r (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 114, num. 106 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 293, num. 625 (extr.)

Diploma ab Hermanno notario verbis contextum esse, stili proprietates quaedam demonstrant, quae in aliis per manum eius datis diplomatibus repetuntur (Cf. num. 196). — Diploma mense fere augusto vel septembre datum est, quod in ipso iidem fere testes adferuntur atque in num. 196 et 197.

In[a] nomine sancte et individue trinitatis. Ottakarus qui et Premizl, dei gracia Boemorum rex, tam presentibus quam futuris in perpetuum. Contingit sepius multis annorum curriculis elabentibus, quelibet facta hominum legittima, celebrata sollempniter, inmutari, nisi vivaci pagine inserantur, ut cum in dubium devenerint, conspectui vivencium presententur, seriatimque publice recitata quasi ad presens conscripta dilucide apparebunt.[b] Notum itaque facimus omnibus generaliter presentem paginam inspecturis, quod cum dilectus capellanus noster Sifridus Olomucensis canonicus quandam villam suam Jarosow nomine, quam a progenitore suo, illustri duce Bretizlao, promeruerat, vellet abbati et fratribus

---

198. a) *ex* ‚ipsa' *eodem atramento corr. A.*

199. a) *Diplomatis apographo inscribitur:* ‚Super Jaroschowe Ottakari regis testimonium et confirmacio' *B.* — b) ‚apparebit' *B.*

de Welegrad pro certa vendere pecunie quantitate, ad nos accedens humiliter postulavit, ut sibi liceret prefatam hereditatem cum nostro permissu venundare abbati et fratribus antedictis. Nos vero ipsius devocionem attendentes, moti misericordia, largam et plenam sibi dedimus licenciam prenotatam hereditatem Jarosow vendendi libere abbati et fratribus memoratis. Eisdem ergo cum devocione confirmacionem[c] a nobis postulantibus, ne hoc tam sollempne[d] factum postmodum posset aliquatenus immutari, presens scriptum nostri sigilli munimine roboratum pro testimonio fecimus exhiberi statuentes, ut si quis hoc tam sollempne factum in posterum ausu temerario modo quolibet presumpserit violare, regali camere C marcas argenti pro pena componat. Actum in Brenna anno ab incarnacione Domini MCCXX, presentibus hiis, quorum nomina subsequuntur: Heinricus qui et Wladizlaus marchio Morauie, Robertus Olomucensis episcopus, Anselmus prothonotarius, Jaros, Benes, Witco, Heinricus, Vitco filius Vitconis, Suatozlaus, Suezlaus, magister Sdizlaus Pragensis canonicus, Hermannus, Beneda, Wilalmus, Bauor, Berhterus, Budizlaus, Gron,[e] Smil, Andreas, Johannes, Welen, Otazlau, Stanimir.[f]

Data per manum Hermanni[g] notarii, indiccione VIII.

200.

Honorius III papa magistro Arnoldo, regis Bohemiae capellano, indulget, ut processu adversus eum acto et litteris ei ab episcopo Pragensi datis non obstantibus, libere ordinis sui officium exsequi possit.

Apud Urbem veterem [1220] sept. 1.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. III, quod in tabulario Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XI) asservatur, fol. 16r, lib. V, ep. 75 (R).

Palacký, Italien. Reise, pag. 22, num. 82 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 294, num. 629. — Potthast, Reg. pontif. num. 6346 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, num. 2662.

Magistro A.,[1] regio capellano.[a] Presentium tibi auctoritate concedimus, ut processu venerabilis fratris nostri ..[2] Ratisponensis episcopi et coniudicum suorum,[3] nec non litteris obtentis a venerabili fratre nostro .. Pragensi episcopo non obstantibus, libere tui ordinis officium[b] exequaris. Datum apud Urbem veterem, kalendis septembris, pontificatus nostri anno quinto.

---

199 *c)* ,confirmacionem' *ead. manus in marg. addidit B. — d) sequitur* ,festum', *sed deletum B. — e)* ,Cron' *B. — f)* ,Staminir' *B. — g)* ,Hermani' *B.*

200. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R. — b)* ,tui ord. off.' *ead. manus in loco raso scripsit R.*

1) *Arnoldo.* — 2) *Conradi IV.* — 3) *Sancti Emmerammi et de Walderbach abbatum (v. num. 156).*

201.

Přemysl Otacarus I, rex Bohemiae, ecclesiae Budissinensis protectionem suscipit, et ut nobiles aut vasalli sui tres vel quatuor mansos aut hortos sive domos nullo contradicente ei donare facultatem habeant, concedit.

Pragae 1220 sept. 28.

Apographum saec. XVIII exstat in registro privilegiorum eccl. Budissinensis, quod in eiusdem eccl. tabulario asservatur, tom. I, pag. 7 (B) et in codice eiusdem tabularii, qui „Copiale caesareum" inscribitur, pag. 3 (C).

Köhler, Cod. dipl. Lusatiae super. I, ed. 2. (1856), pag. 26, num. 13. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 294, num. 630 (frgm.).

Mirum quod contra illius aevi morem consuetudinemque in temporis nota dies festo denotatur; cum autem charta epistulae (mandati generalis) formam habeat, fidem eius tantummodo huius rei causa in dubium vocandam non esse puto.

Ottokarus, dei gratia Bohemiae rex, fidelibus suis universis per terram Budissin constitutis gratiam suam et omne bonum. Universitati vestrae volumus esse notum, quod nos pro salute animae nostrae ecclesiam Budissinensem cum omnibus personis ac rebus pertinentibus ad eandem in nostram regiam protectionem duximus suscipiendam, hanc eidem ecclesiae indulgentiam de nostra regia munificentia concedentes, ut si quis ex nostris nobilibus aut vasallis tres mansos vel quatuor, vel etiam hortos, areas sive domos pro salute sua conferre voluerint ecclesiae memoratae, haec dotis nomine in perpetuum possideat nullo contradicente ecclesia supra dicta. Et ne ullus successorum nostrorum huic concessioni nostrae valeat contravenire aut eam aliquatenus permutare, hanc cedulam inde conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum Pragae, anno Domini MCCXX, in die [sancti] Wenzeslai.

202.

Leopoldus VI, dux Austriae, Honorio III papae scribens se excusat, quod cuidam instrumento sigillum suum apponere denegaverit; supplicat insuper, ne Arnoldo, decano Pragensi, ecclesiae, quas a se habuerat, restituantur, cum alios clericos de iisdem investiverit. *[1220 sept. ex.—nov. in.]*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. III, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XI) asservatur, fol. 37v—38r, lib. V, ep. 185 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 83 (reg.). — Erben, Reg. Boh. I, pag. 295, num. 631 (fragm.). — Winkelmann, Acta imp. ined., pag. 477, num. 595. — Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Rom. sel. (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 102, num. 142.

Magistri Arnoldi quondam excommunicati restitutio, quae epistulae huius argumentum dedit, litteris papae sept. 1 datis (v. supra num. 203) effecta est. Epistulam ante mensis decembris initium iam in curiae Romanae tabulario fuisse, locus quo in registro legitur testimonio est. Namque epistulae 182 et 183 datae sunt nov. 30 (epistula vero 184 nostrae proxime praecedens data est nov. 10); ex eis quae deinde sequuntur litteris ep. 191 data

est decembre 1 et epistulae sequentes iam recto ordine chronologico in registrum relatae sunt. Quibus omnibus circumspectis, epistulam nostram inter ultimos mensis septembris et primos novembris dies ad papam missam esse credimus.

Sanctissimo[a] patri ac domino suo H., venerabili sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, devotus in Christo filius L., dei gratia dux Austrie, Stirieque[b] tam debitum quam devotum cum filiali reverentia obsequium. Cum propter paternitatis vestre benivolentiam et gratiam, que pre ceteris Alamannie principibus parvitatem meam dignata est habundantius et familiarius respicere, firmiter proposueram et adhuc proponam vobis et ecclesie Romane fore semper fidelis ac devotus, non modicum gravat me indignatio, quam erga me concepistis, eo quod instrumento vestro apponere sigillum meum denegavi. Sed pro certo vestra noverit paternitas, quod hoc non ex malitia mea vel indevotione factum est, set propter hoc, quod quedam clausula continebatur in eodem, que valde me terrebat: hoc scilicet, ut ego et uxor mea et liberi sub pena excommunicationis nos astringeremus, ne rex et principes contra id venirent, quod in eodem continebatur instrumento. Proinde vestre humiliter supplico clementie, quatinus omnem rancorem et indignationem erga me conceptam pure in deo remittatis. Nam quicquid rex et principes circa ecclesie Romane honorem ac exaltationem facere qualitercumque voluerint, ego re vera illud non solum non impediam, immo ad idem promovendum pro posse meo studebo deo dante operam efficacem adhibere. Preterea vestre significo paternitati, quod in reditu meo de partibus transmarinis, cum essem apud vos constitutus, de magistri Arnoldi, quondam decani Pragensis, depositione in curia vestra fama tunc fuit celebris et nullus ibidem de illa hesitabat, in tantum quod etiam quidam curie vestre clerici me rogabant, ut beneficia, que idem A. tenuerat a me, conferrem eisdem. Postmodum reversus ad propria,[1] tales inveni rumores: quod archiepiscopus Salzeburgensis, Patauiensis, Ratisponensis et Eistetensis episcopi ex mandato vestro eundem[c] A. officio et beneficiis omnibus denuntiaverant esse privatum; et iudices a vobis delegati mihi vestra mandaverunt[d] auctoritate, ut ad ecclesias, quas prefatus Ar. tenuerat a me, que etiam per annum vel amplius propter meam vacaverant[e] absentiam, clericos idoneos presentarem; quod et feci; et duo capellani mei ad presentationem meam de eisdem ecclesiis fuerunt canonice investiti, qui etiam per biennium iam vel amplius easdem pacifice possederunt. Unde humiliter supplico clementie vestre in Domino, quatinus in meum et capellanorum meorum preiudicium et gravamen memorato A. ecclesias predictas restituere non intendatis; nam si vestre placuerit liberalitati, absque scandalo et congruentius poteritis eidem alio modo providere.

202. *a) Epistulae apographo praemittitur in R inscriptio colore rubro scripta:* ‚Littere ad dominum papam.' — *b)* ‚Strig̅' *R.* — *c) ex* ‚eandem' *corr. R.* — *d)* ‚mandaverit' *R.* — *e)* ‚vacaverat' *R.*

1) *A. 1218 iul. 18 Leopoldus dux in exercitu Damiatam obsidente morabatur; postea reversus, anno 1219 oct. 7 Vindobonae erat; v. Meiller, Reg. d. Babenberg. pag. 123, num. 154 et 155.*

203.

Honorius III papa Otakaro I, regi Bohemiae, Gregorium de Crescentio diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatum commendat.

Laterani [1220] dec. 29.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. III, fol. 62v, lib. V, ep. 309, quod in tabulario secreto Vaticano asservatur (R).

Raynaldi Ann. eccl. ad a. 1220, n. 32 — Palacký, Italien. Reise, pag. 23, num. 85 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 120, num. 113 (reg.) — Erben, Reg. Boh I, pag. 295, num. 632 (fragm.) — Horoy, Honorii III Opera, tom. III, pg. 619, num. 160 — Potthast, Reg. pontif., num. 6457 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 2931 (ubi plures aliae editiones commemorantur). — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6424.

Eadem die iisdemque verbis scripsit papa etiam Waldemaro, regi Daniae, et Johanni, regi Svediae. [Cf. etiam Pokorny, Die Wirksamkeit der Legaten d. Pabstes Honorius III (Krems 1886 Programm) pag. 28.]

.. Illustri regi Boemie.[a] Ecce iuxta precum tuarum instantiam et promissionem nostram misimus ad te dilectum filium nostrum Gregorium de Crescentio, sancti Theodori diaconum cardinalem, apostolice sedis legatum, virum utique prudentia et honestate conspicuum et nobis inter alios fratres nostros suis exigentibus meritis specialiter carum, concesso sibi plene legationis officio per omnes terras, que tue iurisdictionis existunt, ut extirpet nociva et plantet salubria, prout queque secundum datam sibi a deo prudentiam viderit facienda. Rogamus igitur regiam celsitudinem, quatinus ipsum, immo verius nos in ipso, recipias[b] ylariter et honorifice tractes, ac a subditis tuis ei facias dignam honorificentiam exhiberi, ut devotio, quam te ad apostolicam sedem habere confidimus, clareat in effectu, et nos ac fratres nostri per hoc merito in tua caritate crescamus, idemque legatus, qui per se ac suos, qui magnum locum in Urbe obtinere noscuntur, grata tibi poterit vicissitudine respondere, ad tuam dilectionem perpetuis temporibus obligetur. Datum Laterani, IIII kalendas[c] ianuarii, pontificatus nostri anno quinto.[d]

204.

(I) *Honorius III papa Andreae, episcopo Pragensi, et abbatibus, prioribus aliisque ecclesiarum praelatis in regno Bohemiae constitutis Gregorium de Crescentio, sancti Theodori diaconum cardinalem, legatum apostolicum, commendat.*

(II) *Iisdem verbis Roberto, episcopo Olomucensi, et clero dioecesis eius scribit.*

Laterani [1220] dec. 31.

203. *a) Epistula in R inscribitur:* ‚.. illustri regi Dacie;‘ *cum autem post eam adnotatum sit:* ‚In eundem modum regi Boemie,‘ *superscriptionem hanc editioni nostrae praefiximus. — b) genuine* ‚recipiatis‘, *sed eod. atramento corr. R. — c)* ‚kl‘ *eodem, ut videtur atramento superscriptum R. — d) In R sequ.:* ‚In eundem modum regi Suetie.‘

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine III, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XI) asservatur, fol. 62r, lib. V, ep. 307 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 22, num. 84 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 119, num. 112 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 296, num. 633 (fragm.) — Theiner, Vetera monum. Poloniae et Lith. I, pag. 11, num. 24. — Potthast, Reg. pontif. num. 6459 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, pag. 484, num. 2935.

(I) .. episcopo Pragensi et abatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis in regno Boemie constitutis.[a] Suscepti cura regiminis, que nos omnibus constituit debitores, exposcit, ut qui officium speculatoris assumpsimus, non solum ad prope positos, sed etiam ad longe positos nostre sollicitudinis aciem extendamus ac de agro dominico studeamus extirpare plantaria vitiorum, ne forte illis per nostram incuriam excrescentibus, nobis possit adaptari, quod legitur: ‚Per agrum hominis pigri transivi et ecce, urtice repleverant eum et operuerant faciem eius spine.'[1] Quia vero humane conditionis natura non patitur, ut per nos ipsos cuncta nobis imminentia exequamur, exemplo eius, qui cum ubique sit presens, spiritus angelos suos facit[2] et in diversa ministeria mittit illos, aliis ea exequenda committimus, que per nos ipsos[b] exequi non valemus, maiora maioribus, prout ratio singulorum expostulat, committentes. Ut igitur in persona eius, quem ad vos destinare curavimus, plenius agnoscatis, quam et quantam de vobis sollicitudinem habeamus, ecce mittimus ad vos dilectum filium nostrum Gregorium de Crescentio, sancti Theodori[c] diaconum cardinalem, apostolice sedis legatum, virum utique prudentia et honestate conspicuum ac nobis inter ceteros fratres nostros suis meritis exigentibus specialiter carum, commisso sibi plene legationis officio et concessa sibi plenaria potestate, ut evellat et destruat, edificet atque plantet, prout queque secundum datam sibi a deo prudentiam viderit facienda. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus ipsum, immo verius nos in ipso, recipientes ylariter et honorifice pertractantes, eidem tamquam persone nostre intendatis et obediatis humiliter et devote ac ipsius salubria monita et statuta irrefragabiliter observetis. Alioquin sententiam, quam rationabiliter tulerit in rebelles, precipimus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter[d] observari. Datum Laterani, II kalendas ianuarii, anno quinto.[e]

204. a) *Epistulae in R haec superscriptio colore rubro scripta praemittitur:* ‚.. Lubescensi, .. Raseburgensi, .. Szerinensi et .. Caminensi episcopis et abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis per eorum dioceses constitutis.' *Cum autem post epistulae textum adnotatum sit:* ‚In eundem modum .. episcopo Pragensi' *etc., superscriptionem hanc editioni nostrae praefiximus.* — b) ‚ipsos' *eadem (?) manu superscr. R.* — c) ‚Theoderi' *R.* — d) ‚iuiolabilit' *R.* — e) *Sequ. in R:* ‚In eundem modum .. archiepiscopo Vbsallensi et suffraganeis eius et abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis in Vbsalensi provincia constitutis. In e. m. .. archiepiscopo Gnesnensi et abbatibus etc. In e. m. .. archiepiscopo Lundensi et aliis etc.

1) *Prov. XXIV, 30, 31.* — 2) *Cf. Hebr. I, 7.*

(II) In eundem modum .. Olomucensi episcopo et abbatibus, prioribus[f] et aliis ecclesiarum prelatis in Olomucensi diocesi constitutis.[f]

205.

Emerammus, castellanus Znoimensis, monasterio in Louka ius patronatus ecclesiae in Přimětice donat. *[cc. 1220.]*

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A).

(Chmel) Series fundationis Lucensis pag. 15 (fragm.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 117, num 109 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 296, num. 636.

Autographum manu quadam, quae iam in nulla alia charta in conspectum redit, exaratum est. — Charta notis temporis omnino caret, sed eodem fere tempore atque proxime sequens data esse videtur.

Omnibus presentes litteras inspecturis notum facio universis, quod ego Emrammus, ‖ miles et castellanus in Znoem, filius quondam domini Etley, pro remedio anime méé, ‖ patris et matris parentumque meorum dono, concedo et renuncio tibi, domino F.[1] abbati ‖ Lucensi, vice et nomine eiusdem ecclesie ius patronatus, quod adeptus sum ex fundacione ecclesie Primetitz; quam ecclesiam fundavi de licencia et mandato tuo[a] fratrum tuorum in supradicta villa, que ad ecclesiam beati Nicholai in Znoem, que proprie est Lucensis, noscitur pertinere. Dono insuper et concedo atque renuncio omne ius et potestatem, quam habeo vel habere possem sive ex fundatione supradicte ecclesie, sive etiam in possessionibus, quas concessi supradicte ecclesie; quarum nomina sunt hec: manssum[b] in eadem villa, secundum in villa Cvlcharuitz et partem de silva in Massovitz. Huius autem mee concessionis, donacionis et renunciacionis testes sunt hii: Lucas prior Lucensis ecclesie, Henricus camerarius, Gerardus cellerarius, Wilhelmus Stragoviensis canonicus, Johannes parrochianus in Chetov. Ut autem hec mea donacio in perpetuum robur habeat firmitatis, has litteras mei sigilli feci munimine roborari.

Autographo appendet e scidula membranae fragmentum sigilli de cera naturali confecti, quod formae triangulae fuisse verisimillimum est. In sigilli medio scutum conspicitur, cuius insigne est caput tauri cum naribus anulo transfixis (insigne dominorum de Pernstein). Circumscriptio defracta est.

---

204. *f)* ‚prioribus — constitutis' *in R tantum voce* ‚etc' *indicantur. Sequ. adhuc:* ‚In e. m. .. Missinensi episcopo *[Vid. Gersdorf, Urkb. d. Hochst. Meissen (Cod. dipl. Saxon. regiae II Hptth.) tom. I, pag. 84, num. 91].* In e. m. .. Noscensi episcopo et abbatibus etc.

205. *a) Post hanc vocem* ‚et' *scribae incuria omissum esse, nemo non videt. — b) ita A.*

1) *Floriano.*

206.

Robertus, episcopus Olomucensis, monasterio in Louka ius patronatus ecclesiae in Přimětice confirmat, petente Henrico Vladislavo, marchione Moraviae.

In Přimětice 1220 —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A). — Apogr. saec. XV exstat in Matrica Lucensi ms., quae in eodem tabulario asservatur, pag. 51, num. 25 (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 118, num. 110. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 297, num. 637.

Autographum manu scribae, quem ‚Robertus 6' appellamus, exaratum est. — Testium nomina, quae in chartae fine indicantur, nescio qua causa intercedente praetermissa sunt. — Chartam post octobrem a. 1220 datam esse anni pontificatus demonstrant; nam vicesimus Roberti episcopi annus mense illo demum incepit.

R., dei gratia Olomucensis episcopus, cunctis Christi fidelibus presentibus et futuris salutem in vero salutari.[a] Noverint universi huius ‖ scripti copiam habituri, quod illustris marchio Morauie Wladizlaus, qui et Henricus nomine, ius patronatus ecclesie de ‖ Primetiz pro remedio anime sue et predecessorum[b] suorum ad intercessionem[c] nobilis viri Immerammi, Znoymensis cas‖tellani,[d] libere Lvcensi contulit monasterio, et nobis devote supplicavit, quatinus ex nostri iure officii iura spiritualia eidem monasterio confirmaremus. Nos igitur ipsius devocionem, quam habebat circa loca religiosa, commendantes in Christo, donum altaris et omnia iura spiritualia[e] eiusdem ecclesie in Primetiz cum decimis et aliis proventibus ad eandem ecclesiam pertinentibus domino Floriano, supra dicti monasterii Lvcensis abbati, et suis successoribus ad sustentationem fratrum inibi deo famulantium et subventionem pauperum concedimus in perpetuum et presentium auctoritate confirmamus. Acta sunt hec anno gratie M°C°C°X°X° in Primetiz, in die dedicationis ecclesie, pontificatus nostri anno XX°, quoram[f] testibus subscriptis, quorum nomina sunt hec:[g]

Autographo appendet e filis sericis albis Roberti episcopi sigillum e cera naturali confectum, quod ad eandem formam revocandum est atque primum chartae num. 78 sigillum.

207.

Robertus, episcopus Olomucensis, monasterio in Louka ius patronatus quarundam ecclesiarum et decimas ad se spectantes de villis, quae ad ecclesias easdem pertinent, confirmat.

[cc. 1220.]

---

206. *a)* ‚vero salt' *A;* ‚vero salvatore' *B.* — *b) genuine* ‚predes', *sed statim inter scribendum corr. A* — *c)* ‚ionem' *in loco raso eadem manu eodemque atramento scr. A.* — *d) altera* ‚l' *eodem atramento superscripta est A.* — *e) prior* ‚a' *in loco raso ex* ‚l' *corr. A.* — *f) ita A.* — *g) nomina testium non sunt addita A.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A). — Privilegium totidem verbis insertum est litteris Gregorii de Crescentio legati apostolici d. d. 1222 mart. 5. (C) — Aliud apographum exstat in Matrica Lucensi ms. saec. XV (in tabulario terrae Brunnensi) pag. 52, num. 28.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 118, num. 111 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 297, num. 638 (exc.).

Autographum manu scribae, quem nota ‚Robertus 3' (= ‚Otakarus 5') signavimus, scriptum esse videtur. Chartam ab eodem auctore verbis contextam esse atque alia diplomata, quae ab eiusdem scribae manu profecta sunt, verisimillimum est. — Charta notis temporis caret, sed eodem fere tempore atque proxime praecedens, aut paullo post data esse videtur.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego R., Olomucensis episcopus, abbati de Luca et fratribus eius. Cum nostre sit providentie illis providere, || qui minus sibi sciunt consulere, et circa viros religiosos opus pietatis ubique promovere, visum nobis fuit, ut beneficia ecclesia|stica, que abbas et fratres sui indebito modo hactenus possederant, nostra auctoritate et modo debito eis robur dare et firmi||tatem. Ius itaque patronatus, quod habuit in ecclesiis ex concessione principum, militum sive aliorum laicorum, ecclesias quoque cum decimis, quarum hec sunt nomina: ecclesiam de Chatow, ecclesiam de Diakouich, ecclesiam de Gobze, ecclesiam de Rokythnic, ecclesiam de Olexouich, ecclesiam de Domamil, ecclesiam de Lodinnich, ecclesiam de[a] Znoem, quas prius quasi per manus laicas possederant, predecessorum nostrorum minime requisito consensu, eo quod tali abusive adquisitioni de cetero renunciaverint, eis confirmamus. Confirmamus etiam eis decimas ad nos spectantes de villis ad illas ecclesias pertinentibus, que proprie sunt claustri; quas decimas vulgus credebat spectare ad preposituram Bolezlauensem, quam multis temporibus predecessores nostri possederunt et nos possidemus. Abbas personas idoneas episcopo representet, qui ab eo curam animarum recipiant, episcopo in spiritalibus, abbati vero in temporalibus responsuri. Volumus autem, ut abbas requirat integras decimas a suis parrochialibus, et contradictores, nisi resipuerint, excommunicatos denunciet. Et ne super hiis amodo possint gravari, hanc nostre confirmationis paginam nostro sigillo[b] fecimus muniri.

Autographo appendent e filis lineis duorum sigillorum fragmenta, quae de cera naturali confecta sunt. Primum sigillum erat ecclesiae Olomucensis eadem forma confectum atque alterum chartae num. 78 sigillum. Alterum sigillum erat Roberti episcopi Olomucensis (idem atque in num. 78).

208.

Vitko de Prčic monasterio Milevcensi villam Kojetín cum omnibus adiacentibus vendit.

Vletice 1220 —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario castri Vorlík asservatur (A).

---

207. a) ‚de' *eodem atramento ex* ‚in' *statim inter scribendum correctum est A.* — b) *altera* ‚l' *fortasse ex* ‚d' *in loco raso eod. atramento correcta est A.*

Erben, Reg. Boh. I. pag. 296, num. 634 (fragm.) — Sperl in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutsch. in Böhm. XXXVIII (1900) pag. 399 cum imagine phototypica.

Diploma manu quadam ignota scriptum in monasterio ipso confectum esse videtur.

Dicta vel gesta hominum sepelit vetustas temporum, si non fuerint scriptis vel ydoneis testibus roborata. Sciant ‖ presentes et discant posteri, quod ego Witco de Perchyc villam nominę Cogetin, quam pater meus beatę memorię an‖ticus Witco possedit pacificę, et ego possedi, vendidi conventui Milevcensi cum omnibus adiacentibus, videlicet pratis, ‖ silvis, agris, rivis, certis premonstratis eiusdem ville terminis, et sub eadem pacę, sub qua ego et predecessores mei possedimus, possidendam.[a] Ad confirmandam igitur vendicionem meam, nę in posterum ab aliquo inmutari possit, meas litteras super hoc predicto conventui c[o]n[t]uli sigilli munimine roboratas. Hec acta sunt publicę in Wletic presentibus his testibus: Pribizlaus de Wezckouic, Witco dę Clocot, Heinricus dę Nouo castro, Budiwoy filius Zauisę cum fratre Witconę, Nevhlaz filius Radim, Budilaus[b] de Cowarov, Zwatomirus de Nemchiz, Dalebor de Radmiric, Bohuzlaus de Z . . . on,[c] Woco et Zacharias filii Witconis, Vitus plebanus de Predol, Siboto, Johannes filius Dobronii, Hwal prefectus. Anno incarnationis dominice MCCXX.

Autographo appendet e filis sericis sigillum formae triangulae de cera naturali confectum, in cuius medio depingitur figura viri stantis, tunica squamata induti, qui manu dextra vexillum, sinistra scutum tenet. In scuto et vexillo rosa cum quinque foliis depingitur. Circumscriptio: ✠ WITKO : DE : PL_A_NKINBERC.

209.

Honorius III papa universo clero Bohemiae indicat conditiones, quas ad controversiam inter Andream, episcopum Pragensem, et regem Bohemiae componendam magister Johannes de Scacario, regis procurator, proposuerit.

Laterani [1221] ian. 11.

Apographum insertum est confirmationi Přemysli Otakari I regis s. d. (v. num. 212), cuius exemplar servaverunt litterae Honorii III papae, Signiae 1223 iun. 22 datae, quarum autographum in tabulario capituli metropol. Pragensis asservatur (B). — Alterum apographum exstat in Honorii III regestorum vol. III, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XI) asservatur, fol. 66v, lib. V, ep. 335 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 23, num. 86 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 120, num. 114. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 297, num. 639 (fragm. ex B). — H. Jireček, Cod. iuris Boh. I, pag. 45, num. 28 A — Bullarium Roman. ed. Taur. III, pag. 378, num. 52 — Horoy, Honorii III Opera, tom. III, pag. 639, num. 181 — Potthast, Reg. pontif., num. 6479 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, num. 2970 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6427.

208. *a) altera* ‚s' *ex* ‚i' *statim inter scribendum corr. A. — b)* ‚a' *ex* ‚o' *corr. A. — c) inter* ‚Z' *et* ‚on' *tres fere litterae cum membrana destructa perierunt.*

Honorius[a] episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis[a] abbatibus, prepositis, decanis et universis clericis per Boemiam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.[b] Questione super iurisdictione, decimis et aliis diversis articulis inter venerabilem fratrem nostrum Andream,[c] Pragensem episcopum, et dilectum filium magistrum Johannem, procuratorem .. illustris regis et baronum Boemie, coram nobis diutius agitata, idem procurator ipsorum[d] regis et baronum nomine recognovit et dimisit eidem episcopo[e] et ecclesie sue omnem libertatem et omnem iurisdictionem,[f] que sunt ecclesie Boemice[g] sive de iure, sive per privilegia, sive per approbatam consuetudinem acquisite, et specialiter illas, quas iste rex per privilegia sua ecclesie iam dicte concessit, promittens, quod de iurisdictione[h] rusticorum, ad ecclesias sue diocesis pertinentium, coram dilecto filio nostro G.[1] sancti Theodori diacono cardinali, apostolice sedis legato, vel alio, cui hoc committendum duxerimus,[i] exhibebitur iustitie complementum. Dimisit etiam et recognovit memorato episcopo et ecclesie Boemice omnia spiritualia, institutiones, salvo patronis iure patronatus, et destitutiones, correctiones et iudicia clericorum et omnia alia spiritualia, inter que visitationem intelligimus et volumus comprehendi, eo salvo, quod[i] de Boleslaviensi,[k] Melnicensi et Lutomiricensi prepositIturis[l] exhibebitur iustitie plenitudo coram legato ipso vel alio, cui fuerit ab apostolica sede commissum. De decimis vero promisit regis nomine ac baronum, quod plene ac integre solvent eas prefato episcopo et ecclesie sue ac aliis ecclesiis et personis ecclesiasticis, sicut de iure debentur, iustitia de populi decimis, tam de[m] preteritis, quam futuris, coram eodem legato vel alio, cui hec[n] commiserimus, facienda. Omnia quoque privilegia, tam Romanorum pontificum, quam imperatorum et regum Boemie ac ducum vel aliorum, ecclesiis concessa[o] Boemicis, si extant,[p] restituentur eis, quorum fuisse noscuntur, cum possessionibus, que ad Pragensem et alias ecclesias et personas ecclesiasticas pertinere et esse ablate[q] noscuntur. Quod si privilegia ipsius regis vel predecessorum suorum non extant,[p] vel sunt forte deperdita, rex ante relaxationem sententiarum excommunicationis[r] et interdicti, que sunt in ipsum et barones ac regnum eius prolate, eadem restaurabit[s] secundum tenorem, quem dictus episcopus suo expresserit iuramento. Si vero ea, que non sunt sua vel predecessorum suorum, sunt deperdita vel destructa, dabit operam bona fide, ut eadem restaurentur. Pro hiis autem in perpetuum[t] observandis ante relaxationem sententiarum ipsarum prestabitur ex parte regis et baronum sufficiens cautio secundum mandatum nostrum,

209. *a)* ,Honorius — filiis' *desunt R.* — *b)* ,salut. — benedictionem' *desunt R.* — *c)* ,Andream' *deest R.* — *d)* ,ipsorum' *deest B.* — *e)* ,episcopo eidem' *B.* — *f)* ,iurisditionem' *R.* — *g) genuine* ,Boemie', *sed* ,c' *superscr. B.* — *h)* ,iurisditione' *R.* — *i)* ,duxerimus — eo salvo, quod' *in loco raso, sed ead. manu scripta sunt B.* — *k)* ,Bolezlauensi' *B.* — *l)* ,prepositis' *R.* — *m)* ,de' *deest R.* — *n)* ,hoc' *R.* — *o)* ,concessam' *R.* — *p)* ,estant' *R.* — *q)* ,ablata' *R.* — *r)* ,excommunicationum' *R.* — *s)* ,eidem restau||bit' *B.* — *t)* ,imptuū' *R.*

1) *Gregorio de Crescentio.*

quod legato fecimus sepe dicto; qua prestita, dicte sententie relaxentur. Nos autem habentes rata predicta, ne quid eis desit ad robur plenarie firmitatis, de consilio fratrum nostrorum auctoritatem nostram adiecimus decernentes ea in perpetuum valitura. Nulli ergo omnino[u] hominum liceat hanc paginam[u] nostre constitutionis infringere,[v] vel ei ausu temerario contraire.[v] Si quis autem hoc[x] attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.[x] Datum Laterani, III idus ianuarii, pontificatus nostri anno quinto.

210.

Honorius III papa Gregorio diacono cardinali, legato suo, cautionis a rege baronisque Bohemiae postulandae formam praescribit.

Laterani [1221] ian. 23.

Apographum insertum est litteris Přemysli Otakari I regis s. d. (v. num. 212), quorum exemplar servavit confirmatio Honorii III papae data Signiae 1223 iun. 22, cuius autographum in tabulario capituli metropolitani Pragensis asservatur (B). — Alterum apographum exstat in Honorii III regestorum volumine III, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XI) asservatur, fol. 80 r, lib. V, ep. 404 (R).

Raynaldi Ann. eccl. ad an. 1221 n. 39. — Palacký, Ital. Reise, pag. 23, num. 87 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 120, num. 115 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 298, num. 640 (frgm.) — H. Jireček, Cod. iuris Bohem. I, pag. 47, num. 28 B. — Potthast, Reg. pontif. num. 6525. — Pressutti, Reg. Honorii III, t. I, pag. 497, num. 3027 (reg.) — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6430.

Honorius[a] episcopus, servus servorum dei, dilecto filio[a] G.[1] sancti Theodori diacono cardinali, apostolice sedis legato, salutem[b] et apostolicam benedictionem.[b] Formam cautionis, quam a .. rege[c] et baronibus Boemie a te recipi volumus pro questione, que inter ipsos et .. Pragensem episcopum super iurisdictione[d] ac aliis articulis vertitur, tibi presenti pagina duximus exprimendam. Rex et .. frater ac .. primogenitus[e] eius prestabunt corporaliter iuramentum et sub certa pena dabunt fideiussores de regno et etiam[f] extra regnum. Maiores vero barones regni prestabunt similiter pro se ac pro aliis iuramentum et nichilominus sub certa pena dabunt fideiussores in regno. Et si forsitan rex vel successores ipsius per se vel per submissos aliquos contravenerint et requisiti non emendaverint infra certum terminum, eisdem a te vel ab[g] alio legato seu

209 *u)* ,omnino – paginam' *tantum compendio* ,etc' *indicantur R.* — *v)* ,infringere — contraire' *tantum compendio* ,etc' *indicantur R.* — *x)* ,hoc — incursurum' *tantum compendio* ,etc' *indicantur R.*

210. *a)* ,Honorius — filio' *desunt R.* — *b)* ,salut. — benedictionem' *desunt R.* — *c)* ,a rege' *B.* — *d)* ,iurisditione' *R.* — *e)* ,et frater ac primogen.' *B.* — *f)* ,etiam' *deest B.* — *g)* ,ab' *deest B.*

1) *Gregorio de Crescentio.*

delegato sedis apostolice assignandum, vel si barones aut[h] successores eorum contravenerint per se vel etiam per submissos et ipse rex[i] vel successores eius requisiti eos ad satisfaciendum infra certum terminum, sicut supra dictum est assignandum eisdem, non compulerint iuxta posse, pena continua[k] committatur;[l] qua soluta, nichilominus satisfacere teneantur.[m] Quod si vel penam solvere vel ea soluta satisfacere[n] recusaverint, post primam vel[o] secundam ammonitionem excommunicationis in ipsos et in terram interdicti sententie proferantur, eadem lege servanda circa barones, qui fuerint in ipso negotio transgressores. Hanc autem cautionem convocatis vicinis episcopis[p] et prelatis cum ea solempnitate recipies, quam ipsum negotium videris postulare. Datum Laterani, X kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

211.

Honorius III papa ecclesiae sanctae Mariae (aut sancti Thomae) in Osek reliquias sanctorum in die dedicationis ipsius ibidem recondendas transmittit omnibusque vere poenitentibus, qui ecclesiam eandem die dedicationis aut infra octavas aut anniversario eius visitaverint, indulgentias quadraginta dierum concedit.

Laterani [1221] apr. 21.

Apographum saec. XVII medii exstat in libro, qui inscribitur ,Damascus ex cubiculo abbatis', pag. 239 in tabulario monii. Osek (B). Alterum apographum praebet Liber privilegiorum mon. Osec. anno 1693 scriptus, pag. 184 (C). Aliud apographum servavit Historia mon. Ossecensis ab fr. Malachia Welcker saec. XVIII ex. conscripta, quae in eiusdem monasterii tabulario asservatur, fol. 14v (D). — Excerptum exstat in Honorii III regestorum volumine III, quod in tabulario Vaticano secreto (inter Reg. Vatic. tom. XI) asservatur, fol. 109v, lib. V, ep. 536 (R).

Sartorius, Cistercium bis tertium, pag. 1012 (reg.) — Manrique, Annales Cisterc. IV, pag. 224 (ex R, perperam pontif. a. sexto) = Horoy, Honorii III Opera, tom. IV, pag. 340, num. 118 — Potthast, Reg. pontif., num. 7001 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. I, num. 3263 et tom. II, num. 4827 (perperam ad a. 1223).

Honorius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis[a] universis Christi fidelibus, presentem[b] paginam inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.[c] Cum ecclesie sancte Marie[d] de Ozzech,[e] Cisterciensis ordinis, de reliquiis gloriosissimorum martyrum Cosme, Sebastiani et Fabiani ac Cypriani et beate Petronille virginis et quorumdam aliorum sanctorum duxerimus trans-

210. *h)* ,vel' *B.* — *i) post hanc vocem duo fere litterae erasae sunt B.* — *k)* ,continuo' *B.* — *l)* ,comitatur' *R.* — *m)* ,qua soluta — teneantur' *desunt B.* — *n)* ,ere' *in loco raso scr. B.* — *o)* ,et' *R.* — *p)* ,episcopis vicinis' *B.*

211. *a)* ,Honorius — filiis' *desunt R.* — *b)* ,praesentem' *et similiter infra* ,ae' *pro simplici* ,e' *B, C, D.* — *c)* ,salutem — bened' *desunt R.* — *d)* ,sancti Thome' *R.* — *e)* ,Ozzek' *C;* ,Ossek' *B.*

mittendas, ut in die dedicationis eiusdem ibi cum digna veneratione condantur: volentes fideles ad devotionem eorundem excitari sanctorum et eorum patrociniis communiri, omnibus vere penitentibus et confessis, qui die ipsius dedicationis vel infra octavas seu etiam in eiusdem dedicationis anniversario ad ecclesiam ipsam cum devotione accesserint, quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, misericorditer relaxamus. Datum Laterani, XI kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

212.

Přemysl Otakarus I rex et barones Bohemiae pactionem, quam procurator eorum mag. Johannes de Scacario in Romana curia cum episcopo Pragensi eorum nomine iniit, et cautionem praestandam ratam faciunt; episcopo integram securitatem concedunt eique totius episcopatus possessionem in manus legati apostolici restituunt. *[1221 apr.—mai.]*

Apographum insertum est confirmationi Honorii III papae datae Signiae 1223 iun. 22, cuius autographum in tabulario capituli metropol. Pragensis asservatur (A).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 298, num. 641 (fragm.) — H. Jireček, Codex iuris Bohemici I, pag. 47, num. 28 C.

Litterae temporis nota omnino carent, sed mense fere aprili aut maio, post Gregorii cardinalis adventum datae esse videntur. Dudík, Mähr. allg. Gesch. V, pag. 138, not. 1 minus recte litteras post epistulam papae die 19 iun. ad Gregorium cardinalem missam (v. num. 215) confectas esse putat.

O.,[1] dei gratia rex, et barones Boemie universis presentem paginam inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre tenore presentium facimus manifestum, quod nos approbamus et rata habemus omnia, que a procuratore nostro magistro Johanne de Scacario in Romana curia cum episcopo Pragensi sunt acta, que in tenore compositionis subscripte plenius continentur. Cuius tenor est talis: Honorius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis abbatibus, prepositis, decanis et universis clericis per Boemiam constitutis *etc.*[2] Parati etiam sumus cautiones pro predicta compositione servanda prestare, que in litteris Romani pontificis confectis exinde continentur. Quarum tenor est talis: Honorius episcopus, servus servorum dei, dilecto filio G.,[3] sancti Theodori diacono cardinali, *etc.*[4] Concessimus etiam integram securitatem et plenam episcopo predicto et suis omnibus ac rebus eorum, data fide in manibus venerabilis patris nostri domini G., sancti Theodori diaconi cardinalis,

212. 1) *Otacarus.* — 2) *Sequuntur litterae Honorii III papae dd. Laterani 1221 ian. 11 totidem verbis transscriptae (v. num. 209).* — 3) *Gregorio de Crescentio.* — 4) *Sequuntur litterae Honorii III papae dd. Laterani 1221 ian. 23 (v. num. 210).*

apostolice sedis legati, et pacis osculo[a] vice et nomine iuramenti. Possessionem autem totius episcopatus Pragensis cum ablatis omnibus a die compositionis prefate restitui fecimus in manus domini cardinalis. Ad cuius rei perpetuam firmitatem has litteras conscribi fecimus et nostrorum sigillorum munimine roborari.

213.

Henricus Vladislavus, marchio Moraviae, monasterio Velehradensi villam suam Žalkovice et mediam silvam Rašín libere possidendam donat.

In Velehrad 1221 iun. 12.

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 121, num. 117 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 299, num. 643 (reg.).

Autographum manu scribae, quem nota ‚Vladislavus 3' designamus, exaratum est; quem quidem scribam monasterii Velehradensis monachum fuisse verisimilis est coniectura.

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Nos Heinricus, qui et Wladizlaus, miseracione divina marchio Morauie, claustro ‖ sancte Marie in Welherad[a] Cysterciensis ordinis et omnibus ibidem degentibus in perpetuum. Quoniam generacio preterit et generacio advenit ‖ et actiones humane sollempniter celebrate propter incertos rerum et temporum eventus sollent cum tempore defluere et a memoria reseca‖ri, necesse est, ut ea, que sub tempore gerutur,[b] litteris et testibus perhennentur. Noscat igitur tam presens hominum etas quam successura posteritas, quod inter ceteras donaciones, quas ob reverenciam beate virginis Marie fecimus cenobio in Welherad,[a] predium sive villam nostram Schucowicz cum pratis, pascuis, virgultis, agris cultis et incultis contulimus, addita eciam medietate silve Rassin cum limitibus suis, ut in ipsa silva sicut in omnibus aliis suis silvis et aquis liberam habeant potestatem, ut nullus in pascuis, in piscacione, in venacione eos presumat inquietare; sed nec venator aliquit[c] sibi vendicet iuris, verum omnem utilitatem undecumque provenientem cenobium illud libere et absolute possideat. In rei geste robur perpetuum presens privilegium sigilli nostri karactere consignantes; testes, qui huic actioni interfueru[n]t, nominetenus subscribendo: Bertherus de Vrene, Teodericus de Saderer, Szwoyze dapifer, Petrus pincerna, Adalbertus de Kaniz, Werso camerarius, Wilhamus de Znoym, Lutobor de Znoym, Victor de Olomuc,[d] Andreas marscalcus, Nicolaus, Doben, Szidobor, Paulik de Wasan, Hirze filius Kanimiri, Virchozlaus, Vidko, Dluhomilus, Heroldus, magister Arnoldus Pragensis,[e] Thomas de Olomuc,[d] Mathias de Ywansiz, Gregorius. Acta sunt hec anno Domini ˚M˚CCX˚XI,˚ II idus iunii. Datum Welherad.[a]

Sigillum, quod autographo appendebat, iam avulsum desideratur.

---

212. *a)* ‚obsculo' *A.*

213. *a)* ‚Welh'ad' *A.* — *b) ita scriptoris incuria A.* — *c) ita A.* — *d)* ‚Olom̄' *A.* — *e)* ‚pragn̄is' *A,*

214.

Honorius III papa Gregorio, diacono cardinali, legato suo, Andrea Pragensi episcopo petente mandat, ut inquirat, num ecclesia Pragensis in metropolitanam promoveri et in dioecesi eius plures episcopatus constitui possint.

Laterani [1221] iun. 19.

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine III, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XI) asservatur, fol. 147v, lib. V, ep. 735 (R). — Alterum apographum praebet Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur, pag. 270 (C).

Raynaldi Ann. eccl. ad a. 1221 n. 29. — Palacký, Ital. Reise, pag. 23, num. 90 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 122, num. 118. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 299, num. 644 (frgm. ex R) — Potthast, Reg. pontif., num. 6689 — Pressutti, Reg. Honorii III. t. I, pag. 565, num. 3476 (reg.) — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6467.

G.,[1] sancti Theodori diacono cardinali, apostolice sedis legato.[a] Venerabilis frater noster .. Pragensis episcopus humiliter postulavit a nobis, ut an metropolis in Pragensi ecclesia et utrum plures episcopatus in diocesi possint sua constitui, per te mandaremus inquiri. Sic enim, ut episcopus ipse proponit, status libertatis ecclesiastice in terra illa roborari valebit; quod attendens felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster, suis supplicationi huiusmodi[b] auribus inclinatis, in parte super hoc procedere procuravit. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus de singulis huius negotii circumstantiis sollicite ac prudenter inquirens, quod circumspectio tua reppererit, per litteras tuas nobis studeas fideliter intimare. Datum Laterani, XIII kalendas iulii, pontificatus nostri[c] anno quinto.

215.

Honorius III papa Gregorio diacono cardinali, legato suo, mandat, ut episcopo Pragensi locum idoneum et securum ad colloquium cum rege et baronibus Bohemiae habendum prospiciat.

Laterani [1221] iun. 19.

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine III, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XI) asservatur, fol. 147v, lib. V, ep. 736 (R). — Alterum apographum praebet Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur, pag. 270 (C).

Raynaldi Annal. eccl. ad an. 1221 n. 39. — Palacký, Ital. Reise, pag. 23, num. 91 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 123, num. 119. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 299, num. 645 (frgm.) — Potthast, Reg. pontif., num. 6690. — Pressutti, Reg. Honorii III, t. I, pag. 565, num. 3477 (reg.) — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6468.

---

214. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R;* ‚Eidem super eodem' *epistula inscribitur in C.* — b) ‚huiuscemodi' *C.* — c) ‚pontif. nostri' *deest R.*

1) *Gregorio de Crescentio*

Honorius, episcopus[a] servus servorum dei[a] dilecto filio[b] Gregorio, sancti Theodori dyacono cardinali, apostolice sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.[c] Quia venerabili fratri nostro . .[d] Pragensi episcopo propter regem et barones Boemie periculosum nimis existeret in loco litigare suspecto, decet te,[e] cuius circumspectioni persone sue securitatem commisimus, pro nobis et te ipso ac eodem episcopo super hoc sollicite providere. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus de competenti loco et securo, unde nullum timeatur periculum, provideas episcopo memorato. Datum Laterani, XIII kalendas iulii, pontificatus nostri anno quinto.[f]

216.

Litterae de pacis inter Otakarum, regem Bohemiae, et Andream, episcopum Pragensem, restituendae conditionibus.

In monte Schatzberg 1221 iul. 2.

Autographum in membrana scriptum in tabulario archiepiscopatus Pragensis asservatur (A).

Emler, Reg. Boh. II, pag. 1157, num. 2642. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 9997f, g.

Pateat omnibus litteras inspecturis presentes, quod anno Domini MCCXXI, VI nonas iulii et tercia die colloquii, residente venerabili patre domino G.[1] de Crescentio, sancti Theodori diacono cardinali, apostolice sedis legato, in monte Scach[2] et constitutis ‖ ibidem illustri rege Boemie cum baronibus nec non et domino Pragensi episcopo ibidem constituto, dominus Pragensis episcopus cepit supplicare et instare domino legato, ut in publicum legi faceret acta processus vel saltem prothocolla; qui post ‖ multas preces non potuit optinere. Peciit etiam, ut in recipienda caucione barronum sequeretur formam apostolici mandati. Ad quod predictus dominus cardinalis respondit: ‚Super hoc sit salvum tibi ius et quicquid de iure poterit esse salvum.' Pe‖ciit etiam, ut possessiones, que plurime sunt, cum privilegiis redderentur, et precipue ille possessiones, quas idem rex donaverat per privilegia sua et postmodum una cum privilegiis suis abstulerat; que restaurare debebat. Tunc venerabilis pater dominus legatus respondit: ‚Procedas ad privilegia, si tu vis.' Petente etiam quodam iuris perito ipsius episcopi, ut super hoc sibi audientia preberetur, ipse pater respondit: ‚In hoc audi-

215. *a) pro* ‚episcopus — dei' *perperam* ‚papa' *scribit C. — b)* ‚fratri' *C. — c)* ‚sal. et ap. ben.' *addidi. In R epistulae superscriptio tantum voce* ‚Eidem' *indicatur. — d)* ‚Andree' *C. — e)* ‚te' *deest C. — f)* ‚Dat. Lateran. ut supra' *R; supplevi e registri ep. 735.*

216. 1) *Gregorio. —* 2) *Šembera in Památky archaeologické IX pag. 195 sq. montem hunc esse „Schatzberg" apud Rugelsdorf inter Retz et Seefeld in Austria inf. recte exponit; v. et. Berichte u. Mitth. des Alterthumsvereins zu Wien XIII (1873) pag. 10 sq.*

entiam non prestabo.' Et cum instaret dominus episcopus, quod non sufficiebat sibi restitui pergamenum et incaustum, quod temerarium et absurdum videbatur super his iuramentum prestare: ad hoc venerabilis pater predictus respondit, quod ad exprimendum tenorem privilegiorum sine dilacione procederet idem dominus episcopus, nec populum retineret sub vinculo interdicti. Unde timens idem dominus episcopus offendere ecclesiam Romanam, voluntati eius non fuit ausus obviare; sed invocato testimonio omnium prelatorum, qui presentes aderant, quod non audiebantur advocati sui et quod de nullis possessionibus suis aliquis tractatus premittebatur, et maxime de illis, que in privilegiis continebantur, quorum tenor a se exprimi debebat, dixit: ‚Domine cardinalis, supplico, ut provideatis faméé[a] et periculo Pragensis ecclesie; queratis, si extant aliqua privilegia, super quorum tenore me oportet iurare.' Tunc dominus cardinalis in presentia predicti domini regis et primogeniti eius ac venerabilium patrum Wratislauiensis,[3] Olomocensis, Nitriensis[4] episcoporum et prelatorum ac canonicorum Pragensis capituli et aliorum prelatorum et clericorum Pragensis et Pattaviensis diocesum et omnium aliorum, tam baronum Boemie, quam Austrie, cepit querere, si aliqua privilegia Pragensis ecclesie extarent, ut in medium proferentur; vel si etiam aliquis sciret aliquid[b] de privilegiis deperditis Pragensis ecclesie, diceret, vel si ea[c] haberet, exhiberet eadem in continenti; postmodum enim si aliquis aliquid maliciose vellet inde proponere, non debet nec poterit audiri. Et tunc responsum fuit cum adiuratione domino cardinali, quod non haberent ea, nec aliquid scirent de eisdem. Et dixit dominus rex: ‚Iuret dominus episcopus et ego libenter ea restaurabo.' Tunc dictus dominus episcopus volens nolens ad tenorem privilegiorum processit dicens: ‚Dico quod ecclesia Pragensis habuit privilegium, cuius tenor erat, dominum meum regem Boemie dare Pragensi episcopatui et ecclesie et hominibus tam ipsius episcopatus quam ecclesie omnem libertatem et remittere ipsi episcopatui et ecclesie et hominibus eorum omnem exactionem sive inquietacionem, vendicionem, naroch, zuod, hlava, wrez, collectas generales, edificaciones castrorum, fossata, preseca, prouod, narez et omnia alia gravamina; et si quis de hominibus episcopatus vel ecclesie Pragensis furtum vel rapinam vel aliam huiusmodi grandem culpam perpetraverit, perpetrator criminis regie potestatis sententie subiacere debeat, et facultates ipsius debebit habere ecclesia vel episcopatus Pragensis, cuius homo erit. Item si quis homicidium in bonis episcopatus vel ecclesie Pragensis perpetraverit et homicida evaserit, consanguinei occisi reum iure terre perquirant; ita tamen, quod homines ecclesie et episcopatus Pragensis indempnes permaneant. Item dico, quod erat aliud privilegium, in quo continebatur idem et quedam alia, que ad presens de consilio et voluntate domini cardinalis pro bono pacis subticeo, ita tamen, quod per hoc nichil iuris

216. *a)* ‚fa||méé' *A; fortasse* ‚fame mee' *corrigendum est.* — *b)* ‚aliquid' *eadem manu superscriptum A.* — *c)* ‚ea' *ead. manu superscriptum A.*

3) *Laurentii.* — 4) *Johannis.*

Pragensi ecclesie depereat; quod in primo hoc addito, quod Podiwin, quod aliquando fuerat ecclesie Pragensis, ipsi episcopatui idem dux, modo rex, donaverat.‘ Et hanc formam iuramenti suprascriptam dominus cardinalis fecit legi coram rege, presentibus prelatis Pragensis capituli et multis aliis tam prelatis quam baronibus Pragensis diocesis. Qua expressa, dictus dominus episcopus per iuramentum cepit supplicare eidem venerabili patri domino legato, ut de aliis articulis ibidem positis, qui in se litigia continebant et ecclesie lesionem, debitam provisionem adhiberet. Qui dixit, quod nichil aliud restabat, nisi relaxare sententias, ex quo super tenore privilegiorum erat prestitum iuramentum. Et iterato cepit episcopus supplicare, quod quoad populum interdicti sententiam non relaxaret, cum populus esset propter offensam interdictus et nondum satisfecerat; cum etiam pro omnibus baronibus caucio non esset generalis prestita, sed quidam caverant pro quibusdam, antequam caucio, que minus sufficienter prestita fuerat, corrigeretur, vel per meliorem ordinacionem institueretur, differet sententias excommunicationis et interdicti; regem tamen et barones, qui caverant, pro bono pacis, licet de particulari relaxacione nichil in autentico diceretur, ibidem absolveret. Preterea cum cancellarius[5] loqueretur domino cardinali, peciit dominus episcopus a domino cardinali, quod non loqueretur ei, quia ipse erat de principalibus excommunicatis eius, et cepit ei instanter dicere: ‚Domine, hic sunt excommunicati mei, et maxime, quos dominus papa noluit absolvere; ne forte ipsi vel alii eis similes, qui absentes sunt, dicant, quod ego maliciose subtraham eis absolucionem, sciatis, quod paratus sum ipsis, si pecierint, secundum formam canonicam beneficium absolucionis prestare.‘ Sed idem venerabilis pater dominus cardinalis, nullo tractatu premisso super his articulis, qui in autentico positi in se litigia continebant, nec super hoc, quod inimicicie super hoc exorte sopirentur, nec qualiter animi regis et baronum se ad pacem et dilectionem mutuam inclinarent, precibus eiusdem domini episcopi postpositis, processit et sentencias relaxavit.

Hec[d] acta nos duo magistri Gregorius Cathaniensis et Heinricus Cenomanensis clerici ad hec constituti et rogati diligenter conscripsimus. Et cum sigilla a predictis episcopis et aliis prelatis ad hec appendi peterentur, responderunt maiores prelati fere omnes, quod dominus cardinalis sigilla eorum ad se receperat. Quidam tamen, quorum sigilla recepta non fuerant, presenti scripto cum subscripcionibus suis sigilla sua appenderunt dicentes:[d]

Ego[e] Heinricus, Ardacensis prepositus, hiis interfui et subscripsi et sigillum meum apposui.

Ego Sifridus, prepositus Monasterensis, hiis interfui et subscripsi et sigillum meum apposui.

216. *d)* ‚Hec — dicentes‘ *atramento magis obscuro, sed eadem manu atque prior litterarum pars scripta sunt A. — e) Omnes quae subsequuntur subscriptiones manibus praelatorum propriis factae sunt.*

5) *Benedictus, praepositus Litomericensis.*

Ego Vlricus, prepositus[f] sancti Nicolai Patauiensis, hiis interfui et subscripsi et sigillum meum apposui.

Ego Walterus, prepositus de Numburghc, his interfui et supscripsi[g] et sygillum meum apposui.

Ego Vecelinus, abbas de Cotuico, his interfui et subscripsi et sigillum aposui.[g]

Ego Geberhardus,[h] de Valle Liliorum abbas, his interfui et subscribo et sigillum meum appono.

Autographo appendent e scidulis membranae decem sigilla fracta et attrita, quae de cera naturali confecta sunt. In primo sigillo formae rotundae (diametros fere 55 mm) sacerdotis figura pectore tenus expressa conspicitur, qui utraque manu librum tenet; circumscriptio: ✠ HЄ//////ACЄNS/////////IЄ. — 2) *Parvulum fragmentum.* — 3) *Sigillum rotundum (diametros 34 mm), in quo sacerdos depingitur manu sinistra librum, dextra pedum tenens; circumscriptio:* ///IGILLVM ABBIS D//////////////Є////. — 4) *Parvullum fragmentum sigilli formae ex longo rotundae, cuius circumscriptio est:* //////////SΩONA//////////. — 5) *Sigillum formae ex longo rotundae, in quo depingitur figura sacerdotis, qui utraque manu librum tenet. Circumscriptio:* ✠ SIG' VLRICI P........NICOLAI PATAV. — 6) *Parvulum fragmentum, in quo s. Maria Christum infantem in manibus gestans depingitur.* — 7) *Fragmentum sigilli formae ex longo rotundae, in quo depingitur sacerdos manu sinistra pedum tenens; circumscriptio:* //SIGILLV ////////////////////. — 8) *Fragmentum sigilli formae ex longo rotundae, in quo conspicitur figura sacerdotis in solio sedentis, qui manu dextra ad benedicendum elevata, sinistra pedum tenet; circumscriptio:* SIGILLVM ABBATI////////ANCTA CR////////. — 9) *Parvulum fragmentum.* — 10) *Sigillum formae ex longo rotundae, valde attritum, in quo figura quaedam sedens expressa esse videtur.*

217.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, ecclesiae Pragensi libertates renovat eique castrum Podivín restituit. *In monte Schatzberg 1221 iul. 2.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropolit. Pragensis asservatur (A). — Diplomatis verba hiis confirmationibus inserta sunt: litteris Honorii III papae datis Laterani 1223 maii 11 (B) et Signiae 1223 iun. 26 (C); confirmationi Venceslai I datae Pragae 1249 iul. 20 (D) et confirmationi Karoli IV datae Pragae 1352 maii 12 (E), quae omnes in eodem tabulario asservantur.

*Bartholdus Pontanus a Braitenberg, Bohaemia pia, pag. 62 et 87. — Paproczky, Diadochos lib. I, pag. 339. — Goldast, De Boh. regni ... iuribus commentarii, App. docum. (ed. 1627) pag. 52, (ed. 1719) col. *65 num. 36 (ex E) — Balbin, Miscellanea hist. regni Boh. dec. I, lib. VI, pag. 51, num. 39 (ex E). — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 123, num. 120 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 300, num. 646 (fragm. ex A). — H. Jireček, Cod. iuris Bohem. I, pag. 48, num. 28*D. *— Imaginem phototypicam confirmationis Karoli IV dedit Lindner in: Kaiserurkunden in Abbildungen fasc. V, tab 5.*

Autographum manu scribae, quem nota ‚Otakarus 15‘ signavimus, exaratum est; de quo quidem scriba vid. prooemium diplomatis num. 196. — Diploma ab Hermanno regis notario verbis contextum est, qui in ipso conficiendo nonnulla e litteris de pacis conditionibus in monte Schatzberg conscriptis (v. num. 216) ad verbum descripsit. — In extrema auto-

216. *f)* ‚p̄poſt9‘ *A.* — *g) ita A.* — *h)* ‚h‘ *ex* ‚a‘ *statim inter scribendum corr. A.*

graphi parte, quae verbis ‚Testes autem sunt' *incipit, litterae artius ad se accedunt et ultima linea membranae replicatae marginem evitat, ita ut verisimile sit membranam sigillo instructam esse, antequam autographum scribi coeptum sit. — In temporis nota dies ad mandatum pertinet, quo notarius diploma conscribere a rege iussus est; ad quod mandatum etiam testes referuntur.*

‖ In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Nos Otacarus, dei gracia Boemorum rex, universis Christi fidelibus presen¦tis privilegii[a] litteras inspecturis. ‖ Humane nature condicio semper trahit ad se hominis miseriam et defectum, et quanto plus homo in hoc ‖ mundo foris transitoriis rebus involvitur, tanto magis virtus interior enervatur. Unde veram credimus salubris consilii medicinam, ‖ ut sicut quis cadit per vicium, sic assuescat resurgere per virtutem, maxime ius restituens alienum, quod nullum posse absque peccato et mortis interitu detinere credere pure[b] possumus et debemus. Hinc est igitur, quod universos volumus non latere, quod cum inter nos et venerabilem patrem dominum Andream Pragensem episcopum super libertate Pragensis ecclesie et aliis articulis aput examen sedis apostolice questio verteretur, per sanctissimi patris domini Honorii tercii, summi pontificis, providenciam de voluntate parcium est statutum, ut deperdita privilegia nostra et antecessorum nostrorum, quorum tenorem idem episcopus suo iuramento probaret, nos restaurare Pragensi episcopatui et ecclesie deberemus. Pro quo siquidem et aliis adimplendis cum venerabilis pater dominus Gregorius de Crescencio, sancti Theodori diaconus cardinalis, in regno Boemie legacionis officio fungeretur, et idem episcopus in ipsius venerabilis patris domini legati presencia, multis astantibus episcopis, abbatibus, aliis ecclesiarum prelatis et maioribus baronibus regni nostri secundum tenorem infra positum prestiterit iuramentum, nos omnia, que iuravit, adimplere volentes, episcopatui et ecclesie Pragensi privilegium deperditum taliter restauramus: Ad honorem igitur dei patris et beatorum martirum Viti, Wencezlay et Adalberti patronorum[c] nostrorum pro remissione peccatorum et antecessorum nostrorum omnium animabus concedimus et donamus Pragensi episcopatui et ecclesie et hominibus tam ipsius episcopi quam ecclesie omnem libertatem et remittimus ipsi episcopatui et ecclesie et hominibus eorumdem omnem exactionem sive inquietacionem, vendicionem, naroc, zwod, hlauam, wrez, collectas generales, edificationes castrorum, fossata, presecu, prouod, narez et omnia alia gravamina. Et si quis de hominibus episcopatus vel ecclesie Pragensis furtum vel rapinam vel aliam huiusce modi grandem culpam perpetraverit, perpetrator[d] criminis sentencie regie potestatis subiaceat et Pragensis ecclesia vel episcopatus, cuius homo erit, ipsius vendicet facultates. Si quis etiam in bonis episcopatus vel ecclesie Pragensis homicidium presumpserit perpetrare, et homicida evaserit, consanguinei interfecti reum iure terre perquirant; ita tamen, quod homines ecclesie et episcopatus * conserventur indempnes. Podiuin etiam, quod aliquando eiusdem fuit ecclesie, cum omnibus iuribus suis, accessionibus et pertinenciis de regia munificencia eidem ecclesie

217. *a) altera* ‚i' *minori caractere serius addita est A. — b) genuine* ‚iure', *sed corr. A. — c) genuine notarius scripsit* ‚pato', *sed* ‚o' *statim in* ‚r' *correxit A. — d)* ‚ppetoꝛ' *A.*

concedimus et donamus. Ad huius igitur nostre restauracionis, concessionis et donacionis noticiam et inviolabile firmamentum coram infra positis testibus presens privilegium per manum Hermanni, notarii et capellani nostri, fecimus fieri et ipsum sigilli nostri munimine mandavimus insigniri anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, VI nonas iulii, indictione nona, in monte Scac, presidente in Romana ecclesia [e] domino Honorio tercio, regnante vero in imperio domino Friderico, in presencia domini Gregorii de Crescencio, sancti Theodori diaconi [f] cardinalis, apostolice sedis legati.[g] Testes autem sunt hii: dominus Robertus episcopus Olomucensis, dominus Johannes Nitriensis episcopus, dominus Laurencius Wratizlauiensis episcopus, dominus Lupoldus Austrie et Stirie dux, comes Conradus de Ardek, dominus Poppo prepositus Bambergensis, Dluhomil abbas de Breunov, Hermannus abbas de Wilalmov, Rinerius abbas de Insula, Johannes abbas de Gradist, Bertoldus abbas de Stragov, Gerlacus abbas de Mileusk, Gwilelmus abbas de Siloa, Hermannus abbas de Lutomizl, Bonifacius abbas de Gradist, Florianus abbas de Luca, Wernerus abbas sancte Crucis, Valterus prepositus Numburgensis, Veclo abbas de Cotuico, Gebardus abbas de Linuelde, Marquardus abbas de Zuetla, Henricus ducis Austrie notarius, Marquardus prepositus sancti Ipoliti; Bauarus, Budiuog, Boruta, Jaros, Witco, Henricus frater eius, Bohuzlavus, Suatozlaus, Sulizlaus, Holac, Diuis barones Boemie.

Autographo appendet e filis sericis coloris flavi et rubri sigillum Otakari regis de cera naturali confectum, idem atque in num. 57.

218.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Zwettl praedium ‚Sahar' a Friderico, duce Bohemiae, quondam donatum confirmat.

In Svitavis 1221 —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii in Zwettl (in Austria Inf.) asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 120, num. 160 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 301, num. 647.

Autographum scriba, quem nota ‚Otakarus 15' signavimus, manu sua exaravit; de quo vid. num. 196. — Diplomatis verba Hermannus regis notarius composuit.

‖ In nomine sancte et individue trinitatis. Otacarus, qui et Premizl, ‖ dei gracia rex Boemorum, tam presentibus quam futuris in perpetuum. ‖ Contingit plerumque temporis per pro‖cessum donaciones legitimas factaque hominum celebrata sollemniter immutari, nisi vivaci pagine inserantur et testimo‖nio proborum hominum ac sigillatis inveniantur litteris roborata, ut cum in ambiguum

217. *e),* a' *ex* ‚e' *statim inter scribendum corr. A. — f) ex* ‚diacono' *eodem atramento corr. A. — g) Quae subsequuntur usque ad finem litteris magis compressis scripta sunt, praeterea ultima linea diplomatis membranae plicaturam defugit.*

devenerint, conspectui vivencium presententur, et tunc quasi ad presens acta cuilibet dilucide apparebunt. Notum itaque facimus presentibus et futuris, ad quos presens pagina pervenerit, quod nos pro salute ac remedio anime nostre atque omnium nostrorum parentum contulimus et donavimus deo et ecclesie sancte Marie in Swetla ad usum abbatis et fratrum ibidem Domino famulancium predium quoddam, quod vulgariter Sahar appellatur, cum omnibus suis pertinenciis, campis, pratis atque silva, quemadmodum frater noster felicis memore[a] dux Fridericus eisdem contulerat iure hereditario in perpetuum possidendum[1]; ita tamen, quod ipsam silvam non extirpent ad terre nocumentum. Ut autem hoc sollemne factum nostrum robur obtineat perpetue firmitatis, presens scriptum nostri sigilli munimine fecimus roborari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre donationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis vero hoc facere attemptaverit, si par noster est, indignacionem omnipotentis dei incurrat et tradatur perpetuis ignibus cruciandus; si autem minor nobis, regali camere C marcas argenti pro pena componat. Actum in Switauis anno incarnacionis dominice millesimo CCXXI, indictione IX, in presencia horum omnium, quorum nomina subsequuntur: Robertus episcopus Olomucensis, Wladizlavus[b] marchio Morauie, Wencezlaus et Wladizlaus, filii domini regis Premizl, Arnoldus prepositus Wisegradensis, Eppo Pragensis prepositus, Benes, Witco, Henricus frater eius, Jaros, Budiuog, Colda, Diuis, Castolov. Ego quoque Hermannus, prefati regis notarius, interfui et ex ipsius precepto conscripsi ut superius continetur.

Autographo appendet e scidula membranae Otakari regis sigillum de cera naturali confectum, idem atque in num. 57.

219.

Honorius III papa universis abbatibus et conventibus Cisterciensis ordinis concedit, ne apostolicae sedis legati procuratoresve pecuniarias exactiones ab eorum monasteriis exigere vel extorquere praesumant; sed cum ad domos eorum accesserint, sine carnium esu cibis regularibus sint contenti.

Laterani [1222] ian. 19.

Autographum in tabulario terrae Moraviae Brunnensi inter monii. Velehradensis chartas asservatur.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 127, num. 123 (ex apographo cod. Velehrad. saec. XV, fol. 103) — Potthast, Reg. pontif., num. 6772.

‚Cum preter pauperem.‘ — *Litterae iisdem verbis contextae sunt atque illae Laterani 1222 dec. 19 datae, quarum editiones vid. ap. Pressutti, Reg. Honorii III, num. 1754.*

218. *a) ita (pro* ‚memorie‘*) A.* — *b)* ‚Wladizlav⁹‘ *A.*

1) *Friderici ducis diploma in Kamýk a. 1186 iun. 16 datum dedimus in Cod. dipl. r. Boh. I, pag. 283, num. 311.*

220.

Honorius III papa abbati Cisterciensi et universis coabbatibus eius et fratribus significat, se inhibere, ne legati sedis apostolicae sine suo speciali mandato in eos excommunicationis vel suspensionis et in eorum monasteria interdicti sententias promulgent. *Laterani [1222] ian. 19.*

Autographum in tabulario terrae Moraviae Brunnensi inter monii. Velehradensis chartas asservatur.

Boczek, Cod. dipl, Mor. II, pag. 126, num. 122 (ex apographo cod. Velehrad. saec. XV, fol. 100) — Potthast, Reg. pontif., num. 6770.

‚Cum ordinis vestri.' — *Litterae iisdem verbis contextae sunt atque illae Laterani 1218 dec. 22 datae, quarum editiones v. ap. Pressutti, Reg. Honorii III, num. 1763.*

221.

Honorius III papa archiepiscopis, episcopis aliisque ecclesiarum praelatis mandat, ut fratribus Cisterciensis ordinis privilegia et indulgentias ab apostolica sede eis concessas inviolabiliter conservent et faciant ab aliis conservari. *Laterani [1222] ian. 19.*

Autographum in tabulario terrae Moraviae Brunnensi inter monii. Velehradensis chartas asservatur.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 125, num. 121 (ex apographo cod. Velehr. saec. XV fol. 99) — Potthast, Reg. pont., num. 6771.

‚Benefaciens Dominus bonis.' — *Litterae iisdem verbis contextae sunt atque illae Laterani 1218 dec. 31 datae, quarum editiones v. apud Pressutti, Reg. Honorii III, num. 1775.*

222.

Henricus Vladislavus, marchio Moraviae, monasterio in Velehrad donat duos mansos apud Opaviam sitos, quos Ekkardus de Opavia in manus suas resignavit; quos mansos Sibertus abbas eidem Ekkardo, filio ipsius Jacobo eiusque posteris pro censu annuo dimidii fertonis auri in beneficium concedit. *In Kyjov 1222 ian. 25.*

Apographum exstat in Codice privilegiorum monasterii Velehradensis saec. XV, qui in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur, fol. 47v (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 128, num. 124 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 301, num. 648 (extr.) — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. num. 255 – Kopetzky, Reg. z. Gesch. d. Herzogth. Troppau (Arch. f. österr. Gesch. 45, pag. 105) num. 16.

In[a] nomine sancte et individue trinitatis. Ego Henricus, qui et Wadezlaus,[b] dei gracia marchio Morauie. Notum sit omnibus tam modernis, quam modernorum posteris universis, qualiter Ekkardus de Oppauia duos mansos iuxta Op-

---

222. *a) Chartae apographo praefixa est inscriptio:* ‚De villa Ekkehardi Wadizlai *[alia manu alioque atramento in* ‚Wladizlai' *correctum]* marchionis' *B.* — *b) ita genuine B, sed postea alia manu alioque atramento in* ‚Wladezlaus' *correctum.*

pauiam sitos, quos legittima coempcione sibi acquisierat aput dominum Ottonem de Rathibor et Erkkardum, in manus nostras resignavit; quos videlicet mansos nos dilecto nostro venerabili abbati de Welegrad, domino Siberto, libera donacione tradidimus ad peticionem eiusdem Erkkardi. Quos mansos memoratus abbas eidem Erkkardo in beneficio concessit et filio ipsius Jacobo, ea condicione subnexa, ut tam ipsi quam omnes posteri eorum ecclesie[c] Welegradensi annuatim solvant dimidium fertonem auri in perpetuum. Quod si legittimi heredes decesserint, prefati mansi in possessionem predicte ecclesie[c] devolventur. Testes sunt litterati: Folcoldus cancellarius domine regine, Heinricus de Bohorlicz;[d] Thomas, Appollinaris capellani nostri. Laici: Egkarammus burgravius de Snohem, Stephanus de Medelowe, Zemzlaus de Morcwycz, Kosmatha, Herich de Kenesicz et alii multi. Ut autem hec perpetue firmitatis robur optineant, presentem paginam conscribi et sigilli nostri inpressione muniri fecimus. Acta sunt ista in Kihowe, anno incarnacionis Domini MCCXXII, VIII kalendas februarii.

223.

Honorius III papa abbati Cisterciensi et universis coabbatibus eius et fratribus sub eodem ordine deo servientibus significat, se inhibere, ut nemo ab eis de novalibus a tempore concilii generalis[1] *excultis vel in posterum propriis manibus aut sumptibus excolendis decimas exigere vel extorquere praesumat.*

Laterani [1222] febr. 8.

Apographum saec. XV exstat in Codice privilegiorum monii. Velehrad., qui in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur, fol. 109.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 131, num. 127 — Potthast, Reg. pontif., num. 6786.

‚Contingit interdum.' — *Litterae iisdem prorsus verbis contextae sunt atque illae, quae Laterani 1218 dec. 15 datae sunt, quarum editiones vid. ap. Pressutti, Reg. Honorii III, num. 1746.*

224.

Honorius III papa abbati Cisterciensi et universis coabbatibus eius et fratribus sub eodem ordine deo servientibus indulget, ut personas e saeculo fugientes libere recipere possint, non obstante detestabili consuetudine, qua capellani eorum ingressum eis impedire conabantur, donec ab ipsis pecuniam, quae mortuarium vocatur, extorquerent. *Laterani [1222] febr. 8.*

Apographum saec. XV exstat in Codice privilegiorum monii Velehrad., qui in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur, fol. 106r (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 130, num. 126 — Potthast, Reg. pontif., num. 6785.

‚Constituti iuxta verbum.' — *Litterae iisdem verbis contextae sunt atque illae Laterani 1218 dec. 23 datae, quarum editiones vid. ap. Pressutti, Reg. Honorii III, num. 1767.*

222. *c)* ‚eclesie' *B.* — *d)* ‚Bohozlicz' *B.*

223. 1) *Quod celebratum est Laterani 1215 nov. 11—30.*

225.

Honorius III papa Gregorium de Crescentio, diaconum cardinalem, legatum suum, admonet, ne episcopum Pragensem regnum Bohemiae intrare compellat, donec securitati eius sufficienter cautum fuerit. *Laterani [1222] febr. 11.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. III, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XI) asservatur, fol. 197^{v}, lib. VI, ep. 226 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 23, num. 92 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 132, num. 128 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 301, num. 649. — Potthast, Reg. pontif., num. 6790 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 3792. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6499.

G.[1] sancti Theodori diacono cardinali, apostolice sedis legato.[a] Cum venerabili fratri nostro .. Pragensi episcopo coram fratribus nostris mandaverimus viva voce, ut ad tuam presentiam procuratores in Boemiam destinaret, concessa sibi licentia Verone vel Venetiis seu in alio loco tuto interim remanendi, donec de securitate sua sufficienter caveretur eidem, discretionem tuam monemus attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus eundem episcopum intrare regnum Boemie non compellas, donec eidem de securitate sua sufficientem exhiberi facias cautionem. Datum Laterani, III idus februarii, pontificatus nostri anno sexto.

226.

Gregorius de Crescentio, diaconus cardinalis, legatus apostolicus, monasterio in Louka privilegium Roberti, episcopi Olomucensis, de iure patronatus quarundam ecclesiarum, quarum nomina adferuntur, confirmat.
Pragae apud Strahov 1222 mart. 5.

Duo autographa in membrana scripta in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservantur (A^1, A^2).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 132, num. 129 (ex A^1) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 302, num 650 (reg.) — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10000.

Litterarum autographi A^1 formae insignem scripturae cancellariae apostolicae similitudinem prae se ferunt. Autographum A^2 alia manu scriptum est.

Gregorius de Crescentio, miseratione divina sancti Theodori diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo fratribus ..[a] abbati et conventui de Luca[b] salutem ‖ in Domino. Justis postulantium desideriis dignum est nos facilem prebere assensum et vota, que a iuris tramite non discordant, effectu prosequente ‖ complere. Eapropter, dilecti in Domino fratres, iustis postulationibus

225. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R.*

1) *Gregorio de Crescentio.*

226. a) *gemipunctum omittit A^2.* — b) ,Lvca' *A^2.*

vestris grato concurrentes[c] assensu, donationis et confirmationis privilegium,‖ a venerabili patre R.[1] Olomucensi episcopo, monasterio vestro pia liberalitate collatum, sicut in ipsius autentico continetur, in quo etiam sigillum capituli dependebat, vobis confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, cuius tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus ad cautelam. Qui talis est: In nomine sancte et individue trinitatis. Ego R., Olomucensis episcopus, abbati de Luca *etc.*[2] Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre confirmationis paginam aliquo modo infringere, vel ei ausu temerario contrahire.[d] Si quis autem hoc nostre confirmationis scriptum temere presumpserit violare, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius et sacrosancte Romane ecclesie se noverit incursurum. Datum Prage apud monasterium Montis Syon, III° nonas marcii, pontificatus domini Honorii III pape anno sexto.

Utrique autographo appendet e scidula membranae sigillum ex longo rotundum (alt. 4·9 cm, lat. 3 cm) e cera alba confectum, in quo figura sacerdotis infula capiti imposita conspicitur: Circumscriptio: ///S GREGORII · DE CRESCENTIO · SCI THEODORI DIAC CARD.

227.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, universis monasteriis et ecclesiis dioecesis Pragensis amplissimas immunitates et iura concedit, petente Gregorio de Crescentio, diacono cardinali, apostolicae sedis legato. *Pragae 1222 mart. 10.*

Exstant quatuor autographa in membrana scripta, quorum primum et secundum (A1, A2) in tabulario capituli metropolitani Pragensis, tertium et quartum (A3, A4) in tabulario magni prioratus Melitensium Pragae asservantur. — Exemplar autographi instar manu saec. XIII exaratum exstat in tabulario monasterii Břevnovensis (B), apographum eius insertum est confirmationi Karoli IV d. Pragae 1315 ian. 14, cuius autographum in tabulario eiusdem monasterii asservatur (C).

Ziegelbauer, Epitome historica ... monasterii Brevnoviensis, pag. 277 (ex C) — Dobner, Monum. hist. Boem. VI, pag. 9, num. 17 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 133, num. 130 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 302, num. 651 — H. Jireček, Cod. iuris Bohemici I, pag. 50, num. 28 E — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10000a.

Autographa A1 et A2 manu scribae, quem ,Otakarus 16' appellamus, scripta sunt; autographa A3, A4 scriba ,Otakarus 17' exaravit, cuius manus iam in nullo alio Otakari regis diplomate autographo repperitur. — In temporis nota anni regni perperam numero XXV (pro XXIV) expressi sunt.

‖ In nomine sancte ac[a] individue trinitatis amen.[b] ‖ Notum esse volumus universis tam‖ presentibus quam futuris, quod nos Ottacarus,[c] qui et Premisl,[d] dei gratia tercius Boemorum rex, de consilio suppanorum nostrorum ad petici-

226. *c)* ,concurrentes' *A2.* — *d) ita A1;* ,contraire' *A2.*

1) *Roberto.* — 2) *Sequitur charta confirmationis Roberti episcopi, quam supra num. 202 dedimus, totidem verbis transscripta.*

227. *a)* ,et' *A3, A4.* — *b) invocatio atramento magis obscuro scripta est A2.* — *c)* ,Ottakarus' *A3, A4.* — *d)* ,Premizl' *A3, A4.*

onem ac preces nec non mandatum venerabilis patris ac[e] domini Gregorii de Crescencio,[f] sancti Theodorii[g] diaconi cardinalis, apostolice[h] sedis legati, patris utique honesti, providi et discreti, pro salute anime nostre[i] et antecessorum successorumque nostrorum[j] universis monasteriis et conventualibus ecclesiis[k] Pragensis diocesis remittimus, concedimus et donamus omnia inferius posita et conscripta[l] Inprimis siquidem remittentes volumus et precipimus observari, ut homines omnium ecclesiarum[m] et ecclesiasticarum[n] personarum, qui de furto vel alio[o] maleficio[p] incusantur, non nisi per vicinatus testimonium se expurgent et falsus accusator nobis in CCC[tis] denariis condempnetur; et ut nullus hominum ecclesiarum[q] a iudicibus provincialibus, sed a nobis vel summo iudice curie nostre[r] vel cancellario, si non fuerit causa sanguinis, iudicetur. Concedimus etiam et donamus, ut omnes clerici et ecclesiastice[s] persone liberum habeant usum silvarum suarum ad omnia sua necessaria facienda. Preterea remittimus, concedimus et donamus, ut homines ecclesiasticarum[n] personarum et[t] ecclesiarum,[m] fugientes servitutem debitam ecclesiis,[u] a villicis regalibus seu aliis laicalibus personis[v] non recipiantur. Illum eciam[x] abusum volumus aboleri, qui non longo tempore inolevit, quod monasteria seu alie ecclesie[y] currus victualibus honeratos nobis ad expedicionem proficiscentibus seu colloquium celebrantibus ministrabant.[z] Et ne barones vel alii milites in domibus claustralium hospitentur contra voluntatem ipsorum; quod si quis facere presumpserit, quod ibi consumpsit, in duplo restituat et nobis mille CC[aa] denarios persolvat. Mediocris vero persona similiter expensas ibi factas in duplo restituat nobisque in secentis[bb] denariis condempnetur. Illud etiam penitus inhibemus, ne marscalcus noster iunior pauperes in foro vendentes res suas in aliquo audeat[cc] molestare, excepto quod a quolibet homine panem, pisam, milium et salem vendente semel in septimana scilicet VI[a] feria unum denarium vel equipollens recipiat et non ultra. Illam eciam[dd] consuetudinem homines ecclesiasticos[ee] volumus retinere, quod ad succidendum silvam, quod preseca[ff] dicitur, vel castrum edificandum vel ad facienda fossata cum hominibus nostris et baronum laborent. Et ut ea, que privilegiis regum et ducum Boemie probari poterunt esse sua, volumus, quod habeant et possideant sine lite et uti aliis testibus non cogantur. Et quando aliquis pro aliqua causa convenitur, liceat ei uti testimonio quorumcumque. Volumus etiam et precipimus

227. *e)* ,et' *A2*. — *f)* ,Crescentio' *A3*, *A4*. — *g)* ,Theodori' *A2*, *A4*. — *h)* ,apostolicę' *B*. — *i)* ,animę nostrę' *A3*; ,anime nostrę' *A4*. — *j)* ,antecessorum nostrorumque successorum' *A2*. — *k)* ,ecclesiis' *A1*; ,ęcclesiis' *A3*, *A4*. — *l)* ,omnia que inferius sunt expressa' *A2*. — *m)* ,ęcclesiarum' *A3*, *A4*. — *n)* ,ęcclesiasticarum' *A3*. — *o)* ,aliquo alio' *A2*. — *p)* ,malefitio' *A3*, *A4*. — *q)* ,ęcclesiarum' *A3*. — *r)* ,curię nostrę' *A3*; ,curie nostrę' *A4*; ,curię nostre' *B*. — *s)* ,ęcclesiasticę *A3*; ,ecclesiasticę' *A4*. — *t)* ,eccl. personarum et' *deest in A2*. — *u)* ,ęcclesiis' *A3*, *A4*. — *v)* *genuine* ,perf', *sed radendo corr. A1*. — *x)* ,etiam' *A2*, *A3*, *A4*, *B*. — *y)* ,alię ęcclesię' *A3*; ,alie ęcclesię *A4*; ,alie ecclesię' *B*. — *z)* ,ministrabat' *B*. — *aa)* ,cc[tos]' *A3*, *A4*, *B*. — *bb)* ,sexcentis' *A2*. — *cc)* *genuine* ,audeat[g]', *sed titulus erasus A2*. — *dd)* ,etiam' *A2*, *A3*, *A4*. — *ee)* ,ęcclesiasticos' *A3* *A4*. — *ff)* ,prezeka' *A3*, *A4*.

firmiter[gg] observari, ne aliquis villicus seu beneficiarius vel officialis[hh] noster sine iudicio nostro vel cancellarii seu maioris iudicis curie nostre[ii] homines ecclesiarum[m] audeant molestare, et ne quis ad iudicium[kk] venire cogatur, nisi sub testimonio sit citatus. Et quia ab antiquo propter vilitatem monete[ll] a quolibet citato ad causam $\overset{a}{\mathrm{XXX}}$[mm] denarii camerario solvebantur, volumus, ut $\overset{cim}{\mathrm{XV}}$[nn] denariis camerarius sit contentus.[oo] Et quia abbates et alii ecclesiarum[m] prelati ad alium quam ad nos pro causis suis refugium nullum habent, ubicumque generale colloquium debuerit celebrari, ad audiendas causas eorum ante vel infra vel post una die[pp] cum paucis Boemis et cum cancellario promittimus eis audienciam[qq] nos daturos. Illam denique pravam et perversam consuetudinem abolemus, qua[rr] clerici censebantur peiores esse iudeis, videlicet in theloneis in exitu terre nostre;[ss] nam ubi iudeus unum, clericus $\overset{a}{\mathrm{XXX}}$[tt] denarios persolvebat. Si quis vero contra hoc[uu] venire presumpserit, dominus thelonei malefactorem statuat coram nobis, vel beneficio[vv] careat, in quo clericos molestavit. Et quandocumque fur capitur in aliqua villa, sola domus, in qua furtum invenitur, publicetur, vicine[xx] vero domus in pace permaneant; penam tamen, scilicet CCC[yy] denarios cum aliis persolvant. Hanc autem penam alleviare volumus, qua quando quis interficiebatur in aliqua villa et interfector[zz] non capiebatur, quilibet rusticus in CC[a] denariis condempnari solebat, nunc nos micius[b] agentes cum eis, volumus ut tota villa in CC[a] denariis condempnetur. Item quia nobiles terre[c] contra voluntatem abbatum et prelatorum et clericorum aliorum equos suos pascendos in curiis eorum ponunt, qui nisi resipiscant, equos ipsos[d] ad usum nostrum recipi faciemus. Statuimus insuper et volumus esse firmum, ut quicumque contra remissiones, concessiones et donationes predictas aliquid presumpserit attemptare,[e] in $\overset{cem}{\mathrm{X}}$[f] marcis auri continuo[g] condempnetur, quinque iniuriam[h] passo et quinque nostro erario conponat.[i] Ut autem presens privilegium sit in perpetuum[k] valiturum, nostris sigillis fecimus roborari. Acta sunt autem hec coram his testibus: Dalebor iudex, Martinus[l] pincerna, Jaros, Bohuslaus,[m] Zdeslau,[n] Cesta,[o] Wsebor,[p] Zauise iudex, Nicholaus,[q] Hridebor, Iuuan,[r] Cresislau,[s] Heinricus[t] dapifer, Coiata[u] subdapifer, Heinricus[t] filius Bohute, Olricus filius Juric,[v] Zbramir iudex de Plizen.

227. *gg)* ‚firmiter' *deest in* A^{2}. — *hh)* ‚officialis' A^{1}. — *ii)* ‚curię nostrę' A^{3}, A^{4}. — *kk)* ‚iuditium' A^{3}. — *ll) radendo ex* ‚monetē' *corr.* A^{1}; ‚monête' A^{3}, A^{4}; ‚monetę' *B.* — *mm)* ‚XXX' A^{3}, A^{4}. — *nn)* ‚XV' A^{3}, A^{4}. — *oo)* ‚contemptus' A^{2}. — *pp)* ‚vel una die post' A^{2}. — *qq)* ‚audientiam' A^{3}, A^{4}. — *rr)* ‚quia' A^{3}, A^{4}. — *ss)* ‚terrę nostrę' A^{3}, A^{4}. — *tt)* ‚XXX' A^{3}, A^{4}. — *uu)* ‚hoc' *deest in* A^{2}. — *vv)* ‚benefitio' A^{3}, A^{4}. — *xx)* ‚vicinę' A^{3}. — *yy)* ‚$\overset{tos}{\mathrm{CCC}}$' A^{3}, *B.* — *zz)* ‚intefector' *C.* — *a)* ‚$\overset{tis}{\mathrm{CC}}$' *B.* — *b)* ‚mtius' (!) *B.* — *c)* ‚terrę' A^{3}, A^{4}. — *d)* ‚p' *ex* ‚n' *eod. atramento corr.* A^{4}; ‚ipsorum' *B.* — *e)* ‚aliquid adtemptaverit' *B.* — *f)* ‚X' A^{3}, A^{4}. — *g)* ‚contuo' *B.* — *h)* ‚iniurias' *B.* — *i)* ‚cōponat' A^{1}; ‚ɔponat' A^{2}, A^{3}, A^{4}. — *k)* ‚imperpetuum' A^{3}, A^{4}. — *l)* ‚Martnus' *B.* — *m)* ‚Bohuzlaus' A^{3}, A^{4}; ‚Bohuszlavs' *B.* — *n)* ‚Zdezlau' A^{3}, A^{4}. — *o)* ‚Costa' A^{2}; ‚Cezta' A^{3}, A^{4}. — *p)* ‚Uusebor' A^{2}; ‚Uvsebor' A^{3}, A^{4}. — *q)* ‚Nikolaus' A^{4}. — *r)* ‚Iwan' A^{2}, *B.* — *s)* ‚Crezizlau' A^{3}, A^{4}. — *t)* ‚Heyricus' A^{2}; ‚Henricus' *B.* — *u)* ‚Koyata' A^{3}; ‚Koyta' A^{4}. — *v)* ‚Jurik' A^{4}, ‚Jurich' *B.*

Datum Prage per manus fidelis cancellarii nostri Benedicti et prepositi Lutomiricensis[x] anno dominice incarnationis MCCXXII,[y] indictione X,[z] mense marcii[aa] die X, anno vero regni nostri XXV.[bb]

Autographis A1 et A2 appendet e filis sericis flavis et rubris sigillum Otakari regis de cera coloris minii confectum, quod ab eadem forma profectum est atque in num. 57.— Autographis A3 et A4 idem sigillum de cera naturali confectum appensum est filis sericis coloris albi, flavi et rubri. — Exemplari C appensum est sigillum rotundum e cera coloris fusci confectum, cuius diametros 80 mm sunt. In priore sigilli parte depingitur figura regis in solio sedentis, qui corona capiti imposita, manu sinistra pomum cum cruce, dextra vero sceptrum gestat. Circumscriptio: ✠ PAX · REGIS · OTACARI · IN OZANV SCI WENCESLAI. *In posteriore sigilli parte vir depingitur in solio sedens cum capite nimbo ornato, qui manu dextra vexillum tenet, sinistra palmam gerens scuto innititur; in quo quidem scuto insigne aquillae conspicitur. Circumscriptio:* ✠ SANCTVS · WENCESLAVS · BOEMORVM · DVX. *(Ex eadem forma profecta est posterior pars sigilli, quo Otakari regis diploma spurium a. 1194 monasterio Břevnovensi datum instructum est; v. Cod. dipl. Boh. I, num. 410.) Utraeque sigilli parti illud sigillum exemplo erat, quod in Přemysli Otakari regis diplomatibus ab a. 1224 oct. 11 primum reperitur. Qua ex re sigillum exemplaris C adulterinum esse nemo non videt.*

228.

Dluhomilus, abbas Břevnovensis, eiusque conventus omne ius, quod sibi et ecclesiae suae in Rajhrad ad terminorum et circuitus Hranice possessionem vindicabant, Bonifatio, abbati de Hradiště, eiusque conventui dimittunt, acceptis ab eis viginti marcis et fertone argenti ponderis Pragensis.

Apud Pragam 1222 —.

Apographum saec. XVII praebet M. Siebenaicher, Historica relatio de conditoribus monasterii Gradicensis, cuius cod. ms. in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur, tom. I, fol. 273 (B).

Piter, Thesaurus absconditus in agro seu mon. Brevvnoviensi, pag. 142 = Dobner, Mon. hist. Boem. VI, pag. 10, num 18 (reg.), = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 133, num. 131 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 305, num. 656. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10000b.

In[a] nomine domini amen. Ego Dluhomilus,[b] abbas Brzewnovensis, et totum capitulum meum notum facimus omnibus praesentem paginam inspecturis, quod cum nos abbatem Bonifacium et capitulum eius de Gradicz super possessione terminorum et circuitus de Rayngicz, Olomucensis diaecesis, quam possessionem

227. *x)* ‚Lutomericensis' *A4.* — *y)* ‚millesimo CCXXII' *A3, A4;* ‚MCCXX' *B.* — *z)* ‚decima' *B.* — *aa)* ‚marc' *A1, A4, B;* ‚mar' *A4.* — *bb)* ‚anno vero regni nostri XXV, indictione X, mense marcii die X' *A2.*

228. *a) Praecedit inscriptio:* ‚Compositio litis inter Bonifacium abbatem Gradicensem et Dluhomisl abbatem Brzewnovensem circa limites possessionis de Raingicz de anno 1222' *B.* — *b)* ‚Dluhomisl' *B.*

et terminos et circuitum nobis et domui nostrae[c] Reygradae[d] de iure debere cedere dicebamus, primo per iudices auctoritate domini papae[e] delegatos, Epponem videlicet praepositum Pragensem et suos collegas, deinde per dominum Gregorium, sancti Theodori dyaconum cardinalem, apostolice sedis in[f] Boemia et Moravia legatum, traxissemus, in tandem per consilium et voluntatem illustris viri Wladislai, marchionis Moraviae, in cuius potestate[g] praedictus circuitus est, et de cuius et antecessorum suorum donatione idem locus ecclesiae dei in elemosynam pervenit, ad hoc est perventum: ut abbati Hermanno de Wilelmove et Friderico, magistro hospitalis cruciferorum[h] sanctae Mariae in Praga, committeret idem marchio, quod antequam ad aliquam litigiosam sententiam deveniremus, compositio inter nos amicabilis proveniret. Horum itaque mediatorum ordinatione mediante et consilio multorum aliorum prudentum[i] accedente, qui rationes utriusque partis diligenter attenderunt, ita inter nos est amicabiliter statutum, ut pro quaerimonia, quam contra[k] abbatem Gradicensem et suum capitulum praedictos[l] habebamus, XX marcas argenti et fertonem ad pondus Pragense a praefato abbate et suo capitulo reciperemus. Quod et fecimus, bonum pacis et concordiae plurimum amplectentes et quaerimoniae nostrae, quam contra[k] ipsos pro circuitu supradicto habebamus, penitus in perpetuum renunciantes. Ne igitur ab aliquo successorum nostrorum abbatum seu fratrum ecclesiae Brzewnovensis[m] super possessione de Rayngicz abbati vel capitulo de Gradiz vel eorum successoribus in posterum lis vel quaestio moveatur, praesens scriptum sigillo nostro, quod pariter est capituli nostri, eisdem super hoc[n] concessimus roboratum. Insuper sigillum domini nostri illustris[o] regis Boemorum Ottocari et fratris eius marchionis Moraviae Wladislai et venerabilis Olomucensis episcopi Roberti cum sigillis fratrum et coabbatum nostri et Praemonstratensis[p] ordinum et aliorum, qui tunc temporis in Praga praesentes fuerunt, postulavimus super hoc sibi tradi, quae et inferius sunt appensa. Acta sunt haec anno Domini MCCXXII[do],[q] indictione nona[1] apud Pragam solemniter, praesentibus et testantibus multis, quorum nomina sunt haec: de capitulo nostro <etc.>[r]

229.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, privilegium Vratislavi regis de ecclesiae Vyšehradensis fundatione confirmat et renovat, petente Arnoldo praeposito et capitulo Vyšehradensis ecclesiae. *In civitate Pragensi 1222 —.*

---

228. *c)* ‚nostrae nostrae' *B.* — *d)* ‚Reygdae' *B.* — *e)* ‚proprie' *B.* — *f)* ‚sedis etc. in' *B* — *g)* ‚pietate' *B.* — *h)* ‚crucifero' *B.* — *i)* ‚prudentium' *B.* — *k)* ‚erga' *B.* — *l)* ‚praedictis' *B.* — *m)* ‚Brzewnovensi' *B.* — *n)* ‚hoc' *deest in B.* — *o)* ‚illustri' *B.* — *p)* ‚nostrorum et Praemonstratensium' *B.* — *q)* ‚MCCIIdo' *B.* — *r)* *ita B.*

1) *Recte: decima.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli collegiati Vyšehradensis asservatur (A).

Hammerschmidt, Gloria et maiestas ... Wissehradensis eccl., pag. 164 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 304 not. ad num. 652.

Autographum manu scribae, quem ‚Otakarus 18' appellamus, exaratum est. Ab eadem manu praeterea haec eiusdem regis diplomatum autographa profecta sunt: diploma s. a. Georgio de Maršovice (v. num. 231) et privilegium a. 1224 oct. 11 monasterio s. Georgii concessum. — Diplomatis initium et conclusio iisdem verbis contexta est atque in num. 230, ubi tantum ultimi duo testes non adferuntur. — Erben l. l. diplomatis fidem sine ullis argumentis in dubitationem vocat. Anni regni in temporis nota falso quidem computantur, sed vitium hoc nullius est momenti, cum diploma genuinum esse, ex eo perspiciatur, quod eadem manu scriptum est, atque altera duo diplomata, quae ad alias personas data sunt. — Diplomati insertum est apographum Vratislavi regis chartae spuriae de ecclesiae Vyšehradensis fundatione (v. Cod. dipl. r. Boh. I, pag. 371, num. 387), quod verba fere omnia formae B^1 *et* B^2 *repetit, illo potissimum discrimine interposito, quod ministerialium nomina ommittuntur.*

¦ In[a] nomine sancte et individue trinitatis amen. ¦ Quamquam presentis vite mansio peregrinacio reputetur, cum sit nugatoria et || caduca, quia firmitatem et stabilitatem sui status nullam habet, tamen gesta et facta mortalium, quę per oblivionem in interitum devolvuntur, cum in scriptis sunt redacta et sigillorum inpressione munita, magna et perpetua || stabilitate et firmitate roborantur. Inde est, quod ego ¦ Premizl, ¦ divina favente clemencia tercius Boemorum rex, timens, ne per vetustatem privilegiorum Wisegradensis ęcclesię, quę nostra specialis nuncupatur, ad aliquod deve||niat detrimentum, ob spem retribucionis ęternę, nec non ad peticionem dilecti consanguinei nostri[1] Wisegradensis prepositi et capituli eiusdem ecclesie, felicis recordacionis Wratizlai, primi Boemorum[b] regis, predecessoris nostri, eiusdem[c] ęcclesię fundatoris, vestigiis inherentes, donaciones factas per privilegium suum ęcclesię memoratę nostro privilegio renovamus et pariter confirmamus; cuius privigilegium[d] sic incipit: In nomine sanctę et individuę trinitatis. Notum sit cunctis sanctę ęcclesię filiis eandem sanctam trinitatem confitentibus, presentibus scilicet quam futuris, qualiter ego Wratizlaus, dei gracia princeps et monarcha Boemorum,[b] ob spem remuneracionis eternorum premiorum et ob indulgenciam et absolucionem in hac vita omnium delictorum quedam proprie dicionis predia iure hereditario a fidelibus et nobilibus heredibus concambiata et absque ullius contradictione taxato precio et presencia multorum nobilium, immô veridicorum testium a me coempta absque solii conterminio cum omnibus ad hęc pertinentibus: mansis, curtiferis, territoriis, exitibus et reditibus, vectigalibus, venacionibus, piscacionibus, portibus, saltibus, vineis, pratis, pascuis, cultis et incultis ad ecclesiam sanctorum Petri et Pauli sanctique Clementis martyris atque pontificis in civitate Wisegrad constructam manu potestativa in manus karissimi et familiaris mei Benedicti, eiusdem ecclesie defensoris et prepositi, voto, fide, maxima devocione, spe vitę eternę

229. *a) ante hanc vocem lacuna in quam aut crux aut chrismon inscriberetur, vacua relicta est A. — b) ‚*Boem̃*' A. — c) prima ‚*e*' ex ‚*v*' statim inter scribendum corr. A. — d) ita scribae incuria A*

1) *Arnoldi.*

contradidi et sigilli mei inpressione insignivi. Hęc autem prediorum atque villarum eiusdem ecclesie sunt nomina: Sitinicih tota villa cum vineis, cum pomeriis, cuius meta a fonte, qui exiit de monte Lbîn usque ad foralem[e] viam cum vinitoribus VII; Tynec villa; Nawrvtici terra ad duo aratra, Namalesowe de terra VIIII manses; Gozteni tota villa preter hospites abbatis Brevnovensis; Woykowicih[f] tota villa preter terram sancti Clementis de opis; Gogolicih VI manses; Kohowicih de terra ad duo aratra cum uno coquo. Wbelsce: Sihlicih de terra ad II aratra; in alia villa eodem nomine nuncupata terra ad aratrum cum vinitore *; Coiaticih ab hospitibus per totam villam decima. Wbolezlavsce: Wirowicih VII manses de terra cum ministerialibus duobus; Csakowicih[g] III manses de terra cum cocis; Bezne de terra ad tria aratra; Lazenice terra ad aratrum cum fabro; Badreh de terra VII manses cum vinitoribus IIIIor. Inter duo castra, scilicet Hrvdim et Wratizlav, Jenisowici tota villa. Grvzinewizî terra * ad II aratra; Naksaci gore terra ad aratrum cum uno coquo *; Scitarih terra ad aratrum cum uno ministeriali *; Nanezmine terra ad aratrum cum ministerialibus duobus; Woderadeh terra ad II aratra cum ministerialibus aquariis *; Bohsicih terra ad aratrum et vinea cum vinitore I. In castro Kyrim ministeriales, qui dicuntur Ivse, VI *; ibidem I pistor. Hotisi VIII manses cum IIIIor heredibus; Sinaz terra ad IIIIor aratra cum lagenariis III; Pzarih terra ad IIIIor mansus cum scutellariis IIIIor; Lazenici terra ad V aratra cum scutellariis IIIIor *; Wurbicsaz[h] terra ad aratrum; Gradisci VIIII mansus cum piscatoribus VIII; Naclvcu I piscator; Bresaz VIII mansus; Blagoticih terra ad aratrum cum ministeriali figulo; Hwalah terra ad VII aratra; Dvbci terra ad II aratra cum II rusticis *; Csaneticih[i] terra ad aratrum cum figulo *; Wursowicih terra ad aratrum cum II servis *; Noztvleh II servi * cum omnibus ortis; Basci terra ad II aratra cum II cocis *; Lobci terra ad III aratra et III piscatoribus *; Nagorvine terra ad II aratra et I piscatore *; Drahlicih terra ad[k] aratrum cum II rusticis; Bvdegozticih terra ad aratrum cum custode ęcclesie; Kamene mozte terra ad III aratra cum ministerialibus III; Raseh terra ad aratrum cum ministeriali I, Voyacsa ministerialis cum terra ad aratrum; Potliscimi terra ad aratra III cum vinitoribus III; Knowizi XI mansus de terra cum ministerialibus IIIIor et cum aliis ministerialibus, qui vulgariter dicuntur rvdnici, III; Lvbosine de terra VI mansus cum vinitoribus III; ibidem becwar I et terra ad aratrum; Vgercih de terra III aratra cum vinitoribus II; Degnicih de terra ad II aratra cum tornariis II; Knesiwzi de terra ad II aratra cum ministerialibus II, qui dicuntur pomisci; Lihvcewez Nedan ablutor vestimentorum cum filiis et terra ad aratrum; Modriluzeh terra ad II aratra cum campanariis II; Zabehlicih terra ad aratrum cum campanariis II; Tynci terra ad aratrum cum campanariis III. Wtetinsce: Nabrode de terra ad II aratra cum piscatoribus II; Obrini de terra ad II aratra cum picariis II, qui dicuntur pkelnici; ad custodiam Vcrigowic de terra VII mansus; Leteh de terra ad II aratra cum campanariis III; Zvhomazleh de terra ad II aratra cum campanariis III; Zwinarih terra ad aratrum cum porcario, qui dicitur zwinar; Nazhowe V mansus cum piscatoribus IIIIor; Plesiwec totus mons usque ad viam, ibi de terra ad II aratra; Nabrode III mansus cum piscatoribus *; sub ipso monte Tetin stagnum, quod dicitur tone; Mocropzeh II mansus cum piscatoribus II; Lagowicih de terra ad aratrum cum piscatoribus *; Nagoline terra ad aratrum cum custode ecclesie; Komoraz terra ad aratrum cum piscatore *. Brannice III mansus cum ministerialibus *; Ninonicih terra ad aratrum cum caliciariis, qui

---

229. *e) ,l' ex ,r' eodem atramento corr. A. — f) ,h' eod. atramento superscr. A. — g) genuine* ,Sakowicih', *sed* ,C' *superscr. A. — h) genuine* ,Wurbisaz', *sed* ,c' *eod. atramento superscr. A. — i) genuine* ,Saneticih', *sed* ,C' *eodem atramento superscr. A. — k)* ,d' *scribae incuria omissum A.*

dicuntur ceznici,[l] III; ibidem terra colwe ad aratrum; Bvtowicih terra ad aratrum cum caliciario I; Naletni V mansus cum campanariis II; Bvbneh VI mansus cum custodibus V. In provincia Boyzez: Svticih II mansus cum plaustrificibus II; Rastileh[m] V mansus cum ministerialibus V. In Satec I koselug; II [n] cum terra; III qui solvunt ferramenta quater in anno; Lovmazicih Bozen pkelnik cum terra ad aratrum; Vgoscaz terra ad aratrum cum ministeriali I; Tirnowaz terra ad aratrum cum piscatoribus II. In Pragensi suburbio Nazatore IIII custodes cum toto circuitu; Wtravnice custodes et campanarii de tota insula cum fabris et sutoribus et caldariis, mensci; Grecetine terra ad II aratra cum custodibus[o] et campanariis, drizeci VI, fabri IIII, pistores VIIII. Silvas eciam addidi: Lvbicam, Basci, Resetarih, Hwoine usque ad viam et portas[p] terre, Naotave, Gogolicih, Lvnih. Decimam marcam de tributo per totam Boemiam; eciam Zedlcih. Budisine X urna; oblacio, que dicitur poclona et due ville: Scvpcsici et Mislesovvici. Osecs X urna de melle in omni iusticia; messariorum X; de salutacionibus X; de pellibus caprinis X; de cervisiariis X; decimus messor; decimus feniseca. In provincia Wultavensi decimus denarius de vendicione. Prahaticih via in omni iusticia. A villico Pragensi de vendicione decimus denarius. In provincia Kamenecensi de vendicione decimus denarius. In provincia Thetinensi de vendicione X denarius. In via Golotilensi de theloneo VIII denarius. Natreztenici de X lapidibus salis II lapides; X panis; piscis II; de omni iusticia partem. Decima de humulo per totam terram, que pertinet ad regem. Tercia urna de apibus regine ultra montem Ozecs. De uno quoque castro ab avia mensale unum et manuterium I omni anno. A villico Pragense de messoribus Netolicensibus et Dvdlebensibus preposito X ovis. In festo Pentecosten ancilla sive sexingenti. In festo sancti Benedicti bos. In festo sanctorum martirum Georgii atque Adalberti bos. In festo sancti Wencezlai ab agasone poledrum; de avena XV modii; de frumento XVIIII modii. A celerario de melle * XVII urne. Zagradnego XVI ocov. Super hoc autem Pragensis episcopus CC homines, Olomucensis vero C in decima, fratribus regis presentibus, Conrado videlicet et Ottone, eidem ecclesie perpetuo iure devoverunt. Ut autem dotis ordinacio competencius rata servaretur, equum duxi, fratribus meis prefatis laudabiliter assencientibus ceterisque tam Boemie, quam Morauie principibus, supra memoratum templum beati Petri, principis apostolorum, cunctisque sue cathedre successoribus patrocinio muniminique commendare, propter quod eciam de eadem ecclesia XII marcas singulis annis ad pedes universalis pape a Pascha usque ad Ascensionem Domini de moneta nostre provincie statuimus offerendas. Ad huius ergo laudabilis nostr operis supra memorati confirmacionem, testimonium adhibuimus[q] virorum venerabilium, domini videlicet Johannis Tusculanensis episcopi et cardinalis; domini eciam Egilberti Treuerensis archiepiscopi, a quo simul et unctionem regalis consecracionis accepimus; domini quoque Pragensis episcopi, videlicet Jaromir, et domini Olomucensis episcopi Wecelonis et Misnensis episcopi domini Bennonis, qui auctoritate dei et beati Petri ac Pauli, principum apostolorum et sanctorum martirum Viti, Wencezlai atque Adalberti nec non et omnium sanctorum, iussuque apostolice sedis instructi, sub anathematis vinculo quoslibet nostre institucionis quoquo modo immutatores seu destructores forte emersuros cum ceteris membris diaboli innodatos dampnaverunt. § Amen §. Facta est hec renovatio

---

229. *l) genuine* ‚seznici', *sed* ‚c' *eodem atramento superscr. A.* — *m)* ‚Nastileh' *perperam A.* — *n) lacuna quatuor fere litterarum vacua relicta A.* — *o) genuine* ‚custode', *sed eadem manu corr. A.* — *p)* ‚portus' (‚port⁹') *A.* — *q) genuine* ‚adhibibuimus', *sed litterae* ‚bi' *cancellatae sunt A.*

et donacio anno millesimo CCXXII, indictione X, in civitate Pragensi, anno regni nostri XXI,[2] presentibus testibus: Benedicto preposito Lutomericensi et cancellario nostro, Eppone preposito Pragensi, Peregrino preposito Melnicensi, Bogutone preposito Bolezlawensi, Zlavcone camerario nostro, Boguzlao filio eius, Bvdiwoione, Benessone, Marquardo et Zawise fratribus eius, Jarosone, Heinrico, Witkone et alio Witcone fratribus, Milgoztone cum filiis, Bawaro filio Dilgomili. Si quid autem privilegio donationi[r] predecessoris[s] nostri deest, nos illud supplentes nostro privilegio restauramus. Si quis[t] autem huic donationi et renovationi seu restaurationi obviare, vel calumpniose[u] eam interpretari voluerit, pro singulis capitulis solvat decem libras auri; medietas nostro erario, reliqua medietas ecclesie Wisegradensi applicetur, privilegio nichilominus in sua firmitate manente.

Autographo appendet e filis sericis albis, flavis et rubris sigillum regis de cera coloris minii confectum, quod ab eadem forma profectum est atque sigillum diplomatis num. 57.

230.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, ecclesiae Vyšehradensi donationes ab Soběslavo II, quondam duce Bohemiae, factas confirmat et renovat, petente Arnoldo praeposito et capitulo eiusdem ecclesiae.

In civitate Pragensi 1222 —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli colleg. Vyšehradensis asservatur (A).

Bartholdus Pontanus a Braitenberg, Bohaemia pia, pag. 72 (frgm.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 303, num. 652 (frgm.).

Autographum manu scribae, quem ‚Otakarus 19' appellamus, exaratum est. — Diplomatis initium et conclusio iisdem verbis contexta est atque num. 229; quam ob rem utrumque diploma eodem tempore datum esse verisimile est. — Erben l. l. nullo prorsus argumento allato diplomatis fidem suspectam esse perperam iudicat. In temporis nota annorum regni numerus mendose quidem expressus est, sed mendum hoc nullam probabilem de diplomatis fide dubitandi rationem praebet. — Membranam sigillo instructam esse, antequam extrema diplomatis pars scripta sit, verisimile est, quod in ultima linea verba ‚nichilominus' *et* ‚in' *filis seiunguntur, quibus autographo sigillum appensum est.*

+ In nomine sancte et individue trinitatis amen. Quamquam presentis vite mansio peregrinatio reputetur, ‖ cum sit nugatoria et caduca, quia firmitatem et stabilitatem sui status nullam habet, tamen gesta et facta mortalium, que ‖ per oblivionem in interitum devolvuntur, cum in scriptis sunt redacta et sigillorum impressione munita, magna et perpetua stabilitate et ‖ firmitate roborantur. Inde est, quod ego ‖ Primilz, ‖ divina favente gracia tertius Boemorum rex, timens, ne

229. *r) ita pro* ‚donationis' *A.* — *s)* ‚o' *ex* ‚e' *eodem atramento corr. A.* — *t)* ‚s' *ex* ‚d' *eodem atramento corr. A.* — *u) genuine* ‚calumpniare', *sed eodem atramento corr. A.*

2) *Recte XXIV.*

propter vetustatem privilegii Wiscegradensis ecclesia, que nostra specialiter nuncupatur, ad aliquod deveniat detrimentum, ob spem retributionis eterne, necnon ad petitionem dilecti consanguinei nostri Arnuldi prepositi et capituli eiusdem ecclesie, felicis recordationis Sobezlai, Boemorum ducis, predecessoris nostri, vestigiis inherentes, donationes factas per privilegium suum ecclesie memorate nostro privilegio renovamus et pariter confirmamus. Cuius privilegium sic incipit: In nomine dei eterni. Ego Sobezlaus, Boemorum dux, dei fidelis cultor et iustitie verus amator, *etc.*[1]) Facta[a] est hec renovatio et donatio anno Domini MCCXXII, indictione X, in civitate Pragensi, anno regni nostri XXI,[2] presentibus Benedicto preposito Lutomiricensi, cancellario nostro, Eppone preposito Pragensi, Peregrino preposito Melnicensi, Bohuta preposito Bolezlauiensi, Zlaucone camerario nostro, Bohuslao filio eius, Budiboione, Benesone, Marcuardo et Zawis fratribus, Jarosone, Witticone, Henrico marescalco nostro, iuniore Vitticone, filiis Vitticonis. Si quid autem privilegio donationis predecessoris nostri deest, nos illud suplentes[b] nostro privilegio restauramus. Si quis autem huic donationi et renovationi seu restaurationi obviare vel calumpniose eam interpretari voluerit, pro singulis capitulis solvat X libras auri; medietas nostro erario, reliqua medietas ecclesie Wiscegradensi applicetur, privilegio nichilominus in sua firmitate manente.[a]

Autographo appendet e filis sericis albis, flavis et rubris sigillum regis de cera coloris minii confectum, quod ab eadem forma profectum est, atque sigillum diplomatis num. 57.

231.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Georgio filio Henrici de Maršovice donat villam Velběhy, petente Benedicto cancellario et Sulislavo subcamerario.

[1219—1222.]

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropol. Pragensis asservatur (A).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 307, num. 661 (extr.) — Volkmer u. Hohaus, Geschichtsquellen d. Grafschaft Glatz I, pag. 13 (reg.).

Autographum manu scribae, quem nota ‚Otakarus 18' signavimus, exaratum est (vid. prooemium diplomatis num. 229). Diploma ab eodem auctore atque num. 229 etiam verbis contextum est. — Diploma nota temporis omnino caret, sed post annum 1219 datum esse ex eo apparet, quod in ipso Benedictus cancellarius regis nominatur. Ante aug. 26 a. 1222 confectum sit necesse est, quod inter testes Sulislavus subcamerarius adfertur, quo munere illa die iam Hroznata fungebatur.

---

230. *a)* ‚Facta est — in sua firmitate manente' *alio quidem atramento, sed eadem manu scripta sunt A. — b) ita (cum uno* ‚p'*) A.*

1) *Sequitur privilegium Soběslavi II ducis anno 1178 datum totidem verbis descriptum, quod dedimus in Codicis huius tomo I, pag. 252, num. 287.* — 2) *Recte XXIV.*

§ In nomine sancte et individue trinitatis. § Quamquam presentis vitę mansio peregrinatio reputetur, quia firmitatem sui ‖ status et securitatem nullam habet, cum sit nugatoria et caduca, tamen facta mortalium, quę per oblivionem in interitum devolvuntur, cum in scriptis sunt redacta, ‖ non modica stabilitate et firmitate roborantur.[a] Inde est, quod ego Premizl, dei favente clemencia Boemorum rex, notum esse volo omnibus Christi ‖ fidelibus, tam presentibus, quam futuris, quod ad peticionem dilecti cancellarii nostri Benedicti Lutomericensis prepositi et Sulizlai subcamerarii, non inmemores eciam servitii nobilis viri Heinrici de Marsowich, dedimus filio suo Georgio villam, quę vocatur Welbezi cum omnibus suis[b] pertinenciis, cum pratis, cum silvis et cum terminis eidem ville iure pertinentibus. Et ut hęc nostra donacio rata sit et firma, et in posterum per nullam penitus personam possit turbari, hanc nostram donacionem tam scriptis quam sigilli nostri inpressione roboramus. Huius rei testes sunt: Slauco camerarius, Benedictus cancellarius et Lutomericensis prepositus, Budiwoj castellanus de Cladzch, Jaros castellanus de Belina, Diuis castellanus de Prachen, Olricus castellanus de Chinow, Boguse de Cowan, Sulizlaus subcamerarius, Martinus canonicus Pragensis, Benes de Benesow cum filiis suis Andrea, Tobya et Wok, Holach de Planan, Jesutbor de villa Nemcihk, Rudger de Hratirob.

Autographo appendet e filis sericis flavis et rubris sigillum regis de cera fusci coloris confectum, cuius diametros 70 mm sunt. In utraque sigilli parte eaedem fere figurae expressae sunt atque in sigillo diplomatis num. 57, sed sigillum hoc ab alia forma profectum esse, ex eo cognosci potest, quod in prioris partis circumscriptione littera I *(in* SCI*) omissa est et singulae litterae in partis aversae circumscriptione alio loco positae sunt. Circumscriptio:* ✠ PAX REGIS OTA...... ANV SC̄ (!) WENCESLAI; *in parte aversa:* ✠ SANCTVS WENCEZLAVS BOEMORVM DVX. *Quod quidem sigillum sine ulla dubitatione adulterinum est, sed diplomatis fidem integram esse, ea re potissimum probatur, quod autographum eadem manu exaratum est atque alia duo diplomata, quae aliis personis concessa sunt.*

232.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, et Henricus Vladislavus, marchio Moraviae, Hartlebo de Znojmo villae Načeratice, quam ei socer eius Unko nobilis de Bohemia in dotem contulit, possessionem confirmant.

Brunnae 1222 iun. 24.

Apographum exstat in Libro privilegiorum eccl. Olomuc. saec. XIV, qui in tabulario capituli metropol. Olomucensis (E I 27) asservatur, pars I membr. fol. 21, num. 23 (B).

Boczek. Cod. dipl. Mor. II, pag. 135, num. 133 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 306, num. 658 (extr.).

231. *a) genuine* ‚corroborantur', *sed litterae* ‚cor' *erasae sunt A.* — *b)* ‚s̃' *A.*

⁑ In[a] nomine sancte et individue trinitatis. ⁑ Quanto rerum observandarum laudabili principio finis debet solidus et perpetuus adunari, tanto super ipsis solidandis hominum recordacio videtur et est vigili litterarum testimonio excitanda, ne lapsu temporis per oblivionis caliginem sopiatur accio, quam observandam imperpetuum posteris constituit solers vigilancia modernorum. Ego Premizl, qui et Odackarus, miseracione divina rex Boemorum, nec non frater meus Wadizlaus, qui et Henricus, illustris marchio Morauie, universis scripti huius apices inspecturis exhibicione presencium duximus attestandum, quoniam dominus Vnko, pie recordacionis vir nobilis de Boemia, domino Arthlebo de Znoyem, genero suo, cum filia sua eidem matrimonialiter copulata villam quandam Nasseratiz dictam cum omnibus attinenciis vice dotis contulit absolute, ita videlicet, ut idem Hartlebus cum consorte thori nec non utriusque filii ac filiorum filii succedentesque ipsorum heredes legittimi prenominate ville possessione perpetua gaudeant et tranquilla. Ne quis igitur successorum meorum aut antedicti fratris mei dotem ac donacionem huiusce modi legittimam ac racionabilem in posterum cassare valeat vel presumat, ego ac frater meus prememoratus propter habundantem confirmacionis certitudinem non solum presentem paginam sigillorum nostrorum munimine dignum duximus insigniri, verum eciam ipso facto per testes, idoneos viros et honestos, quorum nomina subscripta sunt, cautelam adhibuimus efficacem: Wladizlaus et Waczlaus filii mei, Saztolow marscalcus, Zauis, Holax, Szuezlaus, Dulhomilus, Radimir, Adalbertus, Eppo,[b] Bizzen, Bohuzlaus, Heinricus, alter Bohuzlaus, Peley, Arnoldus, Mathias, Hermannus; barones Morauie ac milites: Boruta, Ben de Wetow, Stephanus de Medlow, Petrus de Ruszinow, Ingramus de Znoyem, Houorix, Velen, Pominen, Ekhardus, Heinricus Lupus, Theodericus de Knesiz, Grut, Leo de Klobuc, Velen, Wers, Gwalata, Peregrinus, Wlurammus. Acta sunt hec anno dominice incarnacionis MCCXXII. Datum Brene per manus Hylarii notarii, VIII kalendas iulii.

233.

Henricus Vladislavus, marchio Moraviae, monasterio in Louka villam Mramotice, quam Florianus abbas a Venceslavo nobili emit, confirmat.

Apud Znojmo 1222 —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A).

[Chmel] Series fundationis Lucensis, pag. 17 (frgm) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 134, num. 132 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 304, num. 654 (extr.).

Autographum manu scribae, quem ‚Vladislavus 4' appellamus, exaratum est. — In temporis nota dies non adnotatur, sed ante aug. 12 charta data sit necesse est, quod illa die Henricus Vladislavus morte obiit.

---

232. *a) Diplomatis apographo in codice haec inscriptio colore rubro scripta praemittitur:* ‚Privilegium regis Premizl super Nasseradiz villam.' — *b)* ‚ðppo' *B.*

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Ego Heinricus, qui et Wladizlaus, dei ‖ gratia marchio Morauie. Notum fore volo tam futuris quam presentibus cunctis Christi fidelibus, ‖ quod dominus Florianus, venerabilis in Christo pater meus,[a] dictus abbas de claustro Luka, vir providus, ho‖nestus, nichilóminus et discretus, celle quoque sue sue[b] cure non inmerito commendate fidelis siquidem et sollers procurator, villam quandam, que Bragotiz vocatur, á quodam nobili terre mee nomine Wazezlao in presentia mee dominationis et meorum baronum pro centum et septuaginta marcis argenti hereditario iure prenotato claustro perpetualiter atque rationabiliter deserviendam cum plenitudine et favore gratie mee ad laudem deo et proventum claustri antefati comparavit. Ne autem tam laudabile et religiosum tam utique pium factum quisquam posterorum meorum presumat vel possit cassare vel quoquo modo infringere in posterum, non solum scripto presenti veri sigilli mei inpresione signati,[b] verum etiam et prudenti testimonio meorum nobilium, virorum veridicorum, ad cuius[b] presentiam actum est hoc, et quorum nomina sequens exprimit subscriptio, id ipsum pretaxatum factum fulcire et corroborare non omisi. Hec vero sunt nomina testium: Prozimirus prefectus de Prawlowe, Emerammus burgravius de Znoym, Pomnen Goworich, Sepolt, Ekhart cum fratre Hartlibo, Heinricus Wilk, Welen, Branizlav, Vͦlricus, Bogdanez castellani de Znoyem. Milites curie mee: Petrus pincerna, Peregrinus minor dapifer, Wilhelmus maior pincerna et alii quam plures. Actum apud Znoym anno Domini millesimo CCͦXXͦIIͦ. Datum autem per manus Apollinaris,[c] curie mee protonotarii.

Autographo appendet e filis sericis rubris sigillum marchionis de cera naturali confectum, quod ex eadem forma provectum est atque diplomatis num. 125 secundum sigillum.

234.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, iura quondam a Conrado Ottone duce aliisque praedecessoribus suis, postea vero a se ipso in provincia Znojmensi constituta renovat decernitque, ut eadem iura in provincia Bitovensi observentur.
In Znojmo 1222 —.

Apographum saec. XIV exstat in cod. ms. „Matrica Lucensis" inscripto, qui in tabulario terrae Moraviae [inter Cerronianos II, 253] asservatur, pag. 27—29 (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 140, num. 138 (reg.) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 304, num. 655 — Boczek, Cod. d. Mor. V, pag. 224, num. 12 — Erben l. l. pag. 621, (addit.) num. 7, = H. Jireček, Cod. iuris Boh. I, pag. 54, num. 29 — Volkmer u. Hohaus, Geschichtsquellen d. Grafschaft Glatz I, pag. 13 (reg.).

Diplomatis exordium et conclusio ab eodem auctore contextum esse videtur, qui diploma num. 59 aliaque diplomata ab scriba ,Otacarus 5' scripta composuit. — Diploma eodem tempore atque Henrici Vladislavi charta proxima datum esse demonstrant testium

233. a) ,meus' *eadem manus eodem atramento in loco raso scripsit A.* — b) *ita A.* — c) *prima* ,l' *in loco raso, ubi genuine* ,o' *scriptum erat, eodem atramento corr. A.*

nomina, quae in utroque diplomate adferuntur. — Diplomatis verba fere omnia repetuntur in confirmatione statutorum, quam Otakarus rex a. 1229 mart. 17 provinciae Brunnensi dedit; cuius quidem confirmationis auctoritate fultus nonnulla apographi diplomatis nostri menda correxi.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ottacarus, qui et Premizl,[a] dei gracia Boemorum rex, omnibus generaliter Znoymensis provincie militibus imperpetuum. Equitati est consentaneum et regie conveniens excellencie pariter et honori modis omnibus intendere atque niti, ut nemo contra iuris ordinem aggravetur, sed iura omnia conserventur uni cuique penitus inconvulsa. Iuris enim observancia et temporalis honoris gloria conservatur et anime a deo in celesti patria premium tribuetur. Ne autem ea iura, que prius a nostris predecessoribus, ut a bone memorie duce Conrado et ab aliis, postmodum autem a nobis in tota Znoymensi provincia sunt statuta, processu temporis per quemquam possint[b] hominum inmutari, sed perpetuo[c] stabilia permaneant atque firma, noverit tam presens etas quam sequens eius posteritas, quod nos habito diligenti tractatu cum fidelibus nostris suppanis, Boemis pariter et Morauis, volentes ab omnibus perpetuo inviolabiliter observari, iura statuimus in hunc modum: Omnes hereditates, quas viri nobiles tam minores, quam maiores[d] tempore ducis Conradi sine querela iuste et pacifice huc usque possederunt, in bona tranquilitate pacis amodo possideant. Item nullus camerariorum citet aliquem, nisi cum certo testimonio eorum, quorum interest; et nominatim quilibet eorum debet ducere castellani nunccium et alium iudicis, et insuper duos kmetones de circumsedentibus villis; et si camerarius vadit ipse secundus aut tercius sine nuncciis beneficiatorum, si interficitur, nichil pro eo respondeatur. Si fuerit fur aput aliquem nobilem vel aput aliquem, cuius est villa, et dederit eum curie, omnia bona sua sint, et collum suum in potestatem principis detur. Insuper si fur capitur in aliquo loco et si suspenditur, omnia sua sunt principis, preter fruges, que adhuc remanserunt in terra. Item quod dicitur narok, hoc non debet esse, nisi ubi constet[e] sub certo testimonio sua bona amisisse, nisi acciderit in via vel in silva vel in aliquo secreto loco, vel alicui hospiti; et antequam admittatur, debet notificari curie, quorum interest, scilicet iudici, castellano et ceteris. Quando aliquis pauper venit de propria re conquerendo, pallium sibi nullatenus deponatur. Nullus zoch aliquem accuset, nisi sub certo testimonio vicinorum constet de dampno eius; et si fuerit zoch convictus testimonio[f] fori communis, lapidetur. Quando aliquis subit iudicium aque, nullus dimittat eum in aquam, nisi sacerdos cum suo cooperatore; si deus iuverit eum, iudici det duos denarios et sacerdoti XIIII; si nudaverit se et iudicium noluerit subire, solvat capellano VII denarios et vetule duos. Si aliquis nobilis vir et non druho[g] habuerit super se narok, puer pro

234. *a)* ,Przemizl' *B.* — *b)* ,possit' *B.* — *c)* ,perpetua' *B.* — *d)* ,maiores' *alia manus saec. XVI superscripsit B.* — *e)* ,constat' *B.* — *f)* ,testimoni' *B.* — *g)* ,dezho' *B.*

ipso subeat iudicium; et si non fuerit adiutus, ille solvat CLXXX[h] denarios. Quando ducitur quod dicitur zuode, debet adesse nunccius castellani, iudicis, villici et camerarii et unus vel duo de vicinatu illo; et ultra tres non ducatur, set in tercio remaneat; et si convictus fuerit, CLXXX[h] denarios in cameram regis reddat et illi, qui dicitur powod, satisfaciat. Si quis equos vel equas,[i] boves vel vaccas, vel aliqua maiora subtraxerit, quantitas dampni estimetur sub certa fide et sacramento eorum, quibus iurisdiccio est commissa, et secundum hoc accusatores admittantur. Item fures cum sociis et fautoribus suis pari pena puniantur. Si subtrahuntur alique res, pallium vel aliquid tale, hoc curie non notificetur; set si bos vel iumentum subtrahitur, curie notificetur. Et si quando aliquis vulneratur in via veniendo de foro vel alibi, curie notificetur. Item quando aliquis nobilis capitur in furto et suspenditur, et non habet prolem, hereditas ipsius regi cedat; et si aliquis capitur in manifesto furto,[k] uxor eius terciam partem habeat. Quicumque nobilis vel rusticus occiderit aliquem, CLXXX[h] denarios curie solvat et alias recedat et querat graciam; et uxor sua domi in pace et indempnis[l] sedeat. Si quis non[m] habuerit filium, vel filios,[n] et habuerit filias, ad illas deveniat hereditas equaliter; et si non sint,[o] hereditas deveniat ad proximos heredes. Si alicui subtrahuntur iumenta, aut famuli apes furantur, debent subire iudicium ferri, scilicet vomeres. Insuper si quis spoliatus fuerit[p] per wyboy, incuset quos vult, et de herdost nominet quos voluerit, et antique consuetudines serventur.[q] Preterea nullus de illis, qui custodiunt silvam, debet spoliare aliquem in via vel in foro,[r] nisi illum spoliet, quem invenerit arborem seccantem. Ad hec numquam iudex iudicet in CCC^{tis} denariis, nisi in LX. Insuper iudex numquam debet iudicare solus, nisi presente castellano vel aliquibus nobilibus; et quando villicus iudicat, non debet ire ad capiendum consilium de iudicio, sed iudicet sedens cum militibus. Item quando tempus est ire ad iudicium,[s] et sunt omnes, et villicus non vult venire, iudex iudicet cum militibus. Preterea semper de mane et numquam hora serotina[t] a iudice et a villico iudicium habeatur. Quando aliquis interficitur in via, sive homo[u] militis, sive iudicis, seu villici fuerit,[p] inde[v] fit magna confusio; solent apponi denarii, aurum et[x] argentum; ille qui accusat, non[y] dominus, debet iurare super sancta sanctorum. De debito non debet aliquis vendi, nisi in tercio termino. Insuper nullus de hominibus nobilium, qui vadunt in propria vel in aliqua legacione, sive ad forum, numquam in novo nisi in antiquo theolonio solvat. Item nullus ad iudicium accedat, nisi de domo secundum ius prius citetur. Insuper si villicus regis sine iudicio inpignoraverit aliquem, rex iure suo corrigat;

234. h) ‚CC' *habet confirmatio a. 1229 mart. 17 data.* — i) ‚equm vel equos' *B.* — k) ‚furtu' *B.* — l) ‚in dampnis' *B.* — m) ‚autem' *B.* — n) ‚vel filios' *omittit B.* — o) ‚fuerint' *confirm. a. 1229 mart. 17 data.* — p) ‚fuerit' *deest B.* — q) *in confirm., quae a. 1229 mart. 17 data est, sequuntur quaedam, quae desunt in B.* — r) *genuine* ‚furo', *sed corr. B.* — s) ‚iudicandum' *confirm. a. 1229 mart. 17.* — t) ‚vespertina' *habet confirmatio a. 1229 mart. 17 data.* — u) ‚homo' *omittit B.* — v) ‚id fit' *B.* — x) ‚et' *deest B.* — y) ‚et dominus' *conf. a. 1229 mart. 17 data.*

si est[z] villicus camerarii, marcam auri solvat;[aa] si dominus, beneficio careat. Ad hec omnes communiter tabernas habeant. Preterea campiones non habeant nisi contra extraneos. Interea[bb] provincia Betowiensis in eodem statu permaneat, in quo Znoymensis. In hiis omnibus excipimus privilegia virorum religiosorum a principibus eis concessa et iura clericorum cum dotibus ecclesiarum, qui[cc] reguntur secundum ius canonicum. Ut autem hec omnia rata et inconvulsa permaneant et maiori nitantur robore ac evidenciori in posterum pateant veritate, presentem paginam eis fecimus conscribi et sigilli nostri inpressione roborari, testibus subnotatis, quorum nomina sunt hec: filii regis Wenceslaus et Wadislaus, Robertus Olomucensis episcopus, Eppo prepositus Pragensis, Bohuta prepositus Boleslauiensis, Engelscalcus[dd] regis prothonotarius, Beness castellanus de Budissin, Jaros, Budiwoi castellanus de Cladesco, Diwis castellanus de Prachen, Bohusie castellanus de Netolich,[ee] Coiata subdapifer, Holach subpincerna, Proszimir de Prawlov,[ff] Ingrammus,[gg] Sepolt, Pomnenus[hh] Howoriz, Welen, Ekhardus[ii] et Hartlebus fratres, Henricus Lupus, Rudgerus,[kk] Wlricus, Branizlaus, Bohdanez, Wilhelmus, Lupolt castellani Znoymenses, Lewa camerarius, Theodricus de Chnesiz,[ll] Stephanus castellanus de Dewiczki, Ratibor iudex, Wolframus et filii sui de Branissowicz. Acta sunt hec anno dominice incarnacionis MCCXXII in Znoym, rege et regina cum prenominatis testibus ibidem feliciter existentibus. Datum per manum Hermanni, regis Boemie notarii.

235.

Robertus, episcopus Olomučensis, attestatur se ecclesias parochiales de Frišava et Příkluky limitasse eisque decimas assignasse.

[— 1222 ante aug. 12.]

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur (A). — Apographum saec. XV. exstat in codice Velehradensi in eodem tabulario, fol. 43v—44r.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 138, num. 136 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 309, num. 664 (reg.).

Autographum manu scribae, quem ‚Robertus 7‘ appellamus, exaratum est; quem scribam ex Olomucensis ecclesiae clericorum numero fuisse, verisimilis est coniectura. Ad eiusdem scribae manum revocanda est etiam utraque Roberti episcopi charta, quae sequitur. Quae quidem tres chartae etiam ab uno eodemque auctore verbis contextae sunt. — Chartam non esse absolutam ex eo apparet, quod post corroborationis formulam tres lineae vacuae relictae sunt, quibus testium nomina inscriberentur; quod fortasse idcirco factum est, quod chartae argumentum duobus chartis proximis accuratius exponitur. — Charta temporis nota omnino caret, sed eodem fere tempore confectam esse atque duae proxime sequentes, ex eo quod ipsa continetur, cognosci potest.

234. z) ‚est‘ *omissum in confirmatione a. 1229 mart. 17 data.* — aa) ‚solat‘ *B.* — bb) ‚Int’ra‘ (= in terra) *B.* — cc) ‚quibus‘ *confirm. a. 1229 mart. 17 data.* — dd) ‚Tugelsalcus‘ *B.* — ee) ‚h‘ *ex* ‚z‘ *eodem atramento corr. B.* — ff) ‚Prawlev‘ *B, ubi* ‚v‘ *ex* ‚w‘ *radendo correctum est.* — gg) ‚Igraminus‘ *B.* — hh) ‚Põneus‘ *B.* — ii) ‚Cothardus‘ *B.* — kk) ‚Rugerus‘ *B.* — ll) ‚Chenî‘ *B.*

Rvpertus, dei gracia episcopus Olomuncensis, omnibus presentem paginam inspecturis in perpetuum. Noverint tam presentes quam ‖ futuri, quod nos ecclesię de Briessan certos limites inposuimus et eam secundum quod cautum est in sacris canonibus limitavimus, ‖ decernentes, ut ipsa villa iure parrochiali ad eam spectet, decimas omnes adnectentes eidem nec non sepulturam et ‖ omnia iura spiritualia, que ecclesie parrochiali conpetunt, statuentes eidem illibata conservari. Eodem iure limitavimus ecclesiam de Priklvk, villam de Massowiz infra terminos eiusdem ecclesie includentes, iure parrochiali eam subicientes eidem, volentes et statuentes, ut habeat ius baptizandi, sepeliendi et earum rerum tum in decimis, tum in aliis, que spectant ad ecclesiam baptismalem, non obstante aliqua reclamacione ecclesie de Podiwin, quia ipsa precipue et inmediate spectat ad ecclesiam Olomuncensem, licet ei per potestatem laicalem violencia sit illata, et ecclesia de Podiwin numquam per nos nec per antecessores nostros fuerit limitata. Ut autem hec rata et firma permaneant, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus communiri.[a]

Autographo appendet e scidula membranae sigillum Roberti episcopi de cera naturali confectum, quod ex eadem forma profectum est atque chartae num. 78 primum sigillum.

236.

Robertus, episcopus Olomucensis, ecclesiae in villa Frišava suo permissu fundatae, quam Henricus Vladislavus, marchio Moraviae, monasterio Velehradensi donaverat, ius parochiale assignat eique decimas eiusdem villae condonat, petente Siberto abbate et Henrico Vladislavo marchione. — *1222 [ante aug. 12.]*

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A). — Apogr. saec. XV praebet cod. Velehradensis, qui in eodem tabulario servatur, fol. 38v—39r.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 136, num. 134 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 305, num. 657 (frgm.).

Autographum manu eiusdem scribae ‚Robertus 7‘ exaratum et ab eodem auctore verbis contextum est atque chartae num. 235 et 237. — Ante augusti diem 12 charta data sit necesse est, quod Henrico Vladislavo marchione adhuc vivente confecta est.

R., dei gracia episcopus Olomuncensis,[a] omnibus presentem paginam inspecturis salutem in Domino. Noverint tam presentes quam futuri, quod nos ad peticionem ‖ venerabilis abbatis Siberti et tocius conventus Welgradensis ecclesię et insuper ad peticionem incliti marchionis Morauie Wadizlai nomine, qui fuit ‖ fundator monasterii prefati, in villa, que vocatur Vrishan, quam ipse

235. *a) Post hanc vocem reliquum lineae spatium 60 mm longum vacuum relictum est. Praeterea sequuntur tres lineae vacuae relictae.*

236. *a) ‚Olom̄‘ A.*

cum omni iure suo dederat ecclesie Welgradensi perpetuo possidendam, ecclesiam ‖ quondam fundari permisimus et ei in ipsius consecracione per nos facta ius parrochiale assignavimus, eam certis terminis limitando. Insuper decimas eiusdem ville ei integraliter assignavimus, nullo contradicente ac reclamante, cum omnes provisores et persone ecclesiarum adiacencium essent presentes. Ut autem hec limitacio et decimarum assignacio illi ecclesie et iuris parrochialis concessio, quia tunc temporis ecclesie illius provincie non erant limitate, firmitatem haberent, hanc nostre ordinacionis paginam sigillo nostro fecimus muniri. Huius autem rei testes ad hoc vocati, et in quorum presencia hec acta sunt, sunt hii: Cůnradus scriba de Brunna, Heinricus plebanus de Vrbiz, Heinricus plebanus de Borliz, Sifridus plebanus de Brawiz, Fridericus plebanus de Briwiz, Willehelmus plebanus de Moderiz, Orfanus et frater eius milites, Theodericus iudex de Znoim. Anno millesimo ducentessimo[b] vicesimo secundo.

Autographo appendet e filis sericis albis, rubris et flavis sigillum Roberti episcopi de cera naturali confectum, idem atque in charta num. 78.

237.

Robertus, episcopus Olomucensis, ecclesiae in villa Příkluky ius parochiale concedit eiusque finibus villam Masovice attribuit. — *1222 [ante aug. 12.]*

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A). — Apographum saec. XV praebet cod. Velehradensis, qui in eodem tabulario asservatur, fol. 20v.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 137, num. 135 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 309, num. 663.

Autographum ab eodem scriba ‚Robertus 7' exaratum et ab eodem auctore verbis contextum est atque chartae num. 235 et 236.

R., dei gracia Olomvncensis ecclesie episcopus, omnibus, ad quos iste littere, devenerint, salutem in Domino. Veneranda consuevit antiquitas ea mandare litte‖rarum monimentis, que voluit perpetuo durare et memorie firmam habere tenacitatem. Hac igitur racione moti, volumus innotescere ‖ tam presentibus quam futuris, quod nos in villa, que vocatur Prikluk, ecclesiam quondam permisimus fundari, quam et consecravimus et ‖ eciam limitavimus, ius parrochiale ei concedentes in iure baptizandi et sepeliendi et in omnibus iuribus, que conveniunt ecclesie parrochiali, villam de Massewiz infra terminos eiusdem ecclesie includentes et eam iure parrochiali ecclesie de Prikluk subicientes, in decimis et omnibus aliis rebus ad ecclesiam baptismalem pertinentibus, non obstante aliqua reclamacione in posterum ecclesie de Podewin, que tempore consecracionis ecclesie de Prikluk nulla fuit, quia ipsa ecclesia de Podewin cum omni possessione adiacenti precipue et inmediate spectat ad ecclesiam Olomuncensem, licet ei per potestatem laicalem violencia sit illata, et ecclesia de Podewin numquam

236. b) *ita A.*

per nos nec per antecessores nostros fuerit limitata. Ut autem hec rata et firma permaneant, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus conmuniri. Huius autem rei testes ad hoc vocati, et in quorum presencia hec acta sunt, sunt hii: Herbordus plebanus de Podewin, Adolfus plebanus de Gerenowiz, Heinricus plebanus de V̊rbiz, Albero plebanus de Sheghat, magister Gregorius, Wido iudex de Poratiz, Gotefridus iudex de Podewin, Brestanus et frater eius Wicardus de Sheghat, Adamarus et frater eius Lipertus de Izgrůbi.[a]

Anno[b] millesimo ducentesimo vicessimo[c] secundo.[b]

Autographo appendet e filis sericis albis, rubris et flavis Roberti episcopi sigillum de cera naturali confectum, idem atque in charta num. 78.

238.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, una cum Constantia regina monasterio in Rajhrad decimam septimanam thelonei in Kunovice concedit eique decimam tinam de vinea in Miroslav quondam a Vladislavo marchione donatam confirmat.

Brunnae 1222 [post aug. 12.]

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii Rajhradensis asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 141, num. 139 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 306, num. 659 (extr.).

Autographum scriba, quem ‚Otakarus 20' appellamus, exaravit; cuius litterae similitudinem quandam habent cum illa manu, quam nota ‚Otakarus 15' signavimus. — Diplomatis verba ab Hermanno notario conscripta esse, stili proprietates quaedam demonstrant, tum in diplomate num. 217, tum in aliis diplomatibus, quae per manum notarii eiusdem data sunt, repetitae. — Diploma post augusti diem 12 datum esse ex eo cognosci potest, quod Vladislavus marchio iam mortuus commemoratur.

‖ In nomine sancte et individue trinitatis.‖ Otacarus, qui et Premizl, dei gracia Boemorum rex, et Constancia regina. Ne ea, que ‖ a nobis pie sunt disposita et prudenter, processu temporis per quemquam possint hominum inmutari, set perpetuo stabilia permaneant atque ‖ firma, notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod theloneum illud, quod prius in Brodskih ab antiquo solvebatur, cuius ‖ thelonei conventus de Raghrad recipiebat[a] decimam septimanam, propter nostrum maius commodum idem theloneum in Cunouic transtulimus; statuentes et ab omnibus facientes hoc perpetuo inviolabiliter observari ut prefatus conventus de Raghrad per suum procuratorem in Cunouîc absque omni contradictione semper eiusdem thelonei recipiat decimam septimanam nec in eodem theloneo ipsum quisquam audeat aggravare. Insuper confirmamus

237. *a) Reliquum lineae spatium 24 mm continens vacuum relictum est A. — b) Temporis nota* ‚Anno — secundo' *eadem manu eodemque atramento serius scripta esse videtur A. — c) ita A.*

238. *a)* ‚b' *in loco raso eodem atramento correctum A.*

eidem conventui de Raghrad decimam tinam de vinea, quam eis dedit frater noster bone memorie Wladizlaus, que vinea in Mirozlav vulgariter appellatur; statuentes ut eadem decima de supradicta vinea suprascripto conventui expleatur integre atque plene. Ad huius itaque nostre donacionis et confirmacionis perpetuam memoriam et inviolabile firmamentum presentem paginam conscribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari, adhibito testimonio nostre curie honestorum hominum et proborum, quorum nomina subsequntur: Robertus[b] episcopus Olomucensis, Bawarus camerarius Olomucensis, Ratiborius iudex Brunnensis, Leo camerarius Brunnensis, Stephanus de Medlôv, Ditricus villicus Burnensis,[c] Sdizlaus prepositus Brunnensis, Cunradus scriba Brunnensis et alii quam plures. Actum in Brunna, anno incarnacionis dominice millesimo CCXXII, indictione X.

Datum per manum Hermanni, regis notarii.

Autographo appendebant e filis sericis flavi et rubri coloris duo sigilla, quae iam avulsa et deperdita sunt.

239.

Otakarus I, rex Bohemiae, fratres hospitalis sanctae Mariae Theutonicorum in regno suo constitutos protegendos suscipit, omnes possessiones, quas ipsis Conradus dux vel Vladislavus, marchio Moraviae, aliique quondam donaverant, confirmat eisque libertates et immunitates concedit.

In Olomuc 1222 aug. 26.

Apographum insertum est confirmationi Honorii III papae dd. 1222 dec. 19, cuius exemplar exstat in Honorii III regestorum vol. IV (inter Reg. Vatic. XII) fol. 21r—22v, lib. VII, ep. 80 (R) — Aliud apographum insertum est confirmationi Venceslai I regis dd. Pragae 1236 sept. 29, cuius autographum in Musaeo Czartoryskiano Cracoviae asservatur (A), et confirmationi Karoli IV dd. Pragae 1348 iul. 11, cuius exemplar insertum est autographo eiusdem imperatoris dd. 1361 iul. 8, quod in tabulario regio Dresdensi asservatur (C).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 142, num. 140 (e copia simplici saec. XVII) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 306, num. 660 — Bartoszewicz in Rzyszczewski et Muczkowski, Cod. dipl. Poloniae III, pag. 19 (ex A) — Strehlke, Tabulae ord. Theutonici, pag. 160, num. 175 (frgm.) — Dudík in Arch. f. österr. Gesch. XXXIX, pag. 99 (extr. ex A) — Rodenberg in Mon. Germ. Epp. saec. XIII, tom. I, pag. 145, num. 214 (ex R).

Diplomatis verba ab eodem auctore concepta esse videntur, qui Otakari regis privilegium anno 1207 ecclesiae Olomucensi datum (num 59) conscripsit. — Duo autographa confecta erant; quorum uno (quod in R transscriptum est) sigillum de cera confectum, alteri vero (cuius apographum servavit A et C) bulla aurea appensa erat.

---

238. *b) notarius primo* ‚Bawarus' *scribere voluit, sed litteris* ‚Ba' *scriptis errorem suum cognoscens ipsas statim in* ‚Ro' *correxit A. — c) ita A.*

C.[a] In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. Ego Odakir,[b] rex Boemorum tertius,[c] Hermanno, magistro hospitalis sancte Marie domus Teuthonicorum Jerosolimitani,[d] eiusque fratribus tam presentibus quam futuris in perpetuum.[e] Cum regie excellentie et munificentie beneficia ad omnes generaliter debeant extendi, nostra tamen consulte decrevit serenitas eos tueri potentius et fovere clementius, qui divinis insudantes obsequiis, non solum res suas pro terre sancte defensione largiter expendunt, set etiam[f] corpora sua animo inperturbato[g] et affectu pio gravissimis periculis devotius exponunt.[h] Noverit itaque tam presens etas, quam futura posteritas, quod nos domus et possessiones et fratres hospitalis sancte Marie domus Teuthonicorum Jerosolimitani[d] et insuper omnes in eorum possessionibus habitantes, constitutos in regno nostro tam in Boemia quam in Morauia seu in aliis provinciis regno nostro attinentibus, sub nostre magnitudinis recepimus protectione et omnes possessiones cum omnibus appendiciis[i] suis, quas vel nos eidem domui contulimus, vel inclite memorie dux Cunradus[k] Boemie, vel pie recordationis frater noster Wladizlaus,[l] marchio Morauie, vel etiam alii nobiles viri vel ingenue matrone, sive etiam alii Christi fideles minoris facultatis et potentie prefate domui contulerunt, eidem libere et pacifice possidendas nostra regia auctoritate confirmavimus. Emancipavimus[m] etiam omnia predia eis collata et conferenda cum eorum[n] colonis et inquilinis et omni familia, sive sint liberi, sive servi, ab omni iure ad usus nostros vel nobilium a nobis inbeneficiatorum vel ceterorum officialium spectante vel utilitate secundum morem terre pertinente vel accrescente; hoc statuentes, ne quis prenominatam domum aliquo modo super hiis iusticiis[o] vel consuetudinibus vel commoditatibus,[p] que usui regni vel nobilium vel ceterorum competere videbantur, audeat[q] impetere vel gravare, vel ea, que a nobis eis concessa sunt, in irritum revocare. Ubi autem eos ab omni iure generaliter absolvimus, non est necesse, ut de aliqua iuris specie aliquis questionem debeat movere. Addidimus etiam, quod firmiter sanccimus[r] ipsos et eorum homines per thelonea[s] transeuntes nullum dare passagium pro se ipsis vel pro[t] aliquibus rebus ad domum eorum spectantibus, nisi sint mercatores eorum publici, qui pro comodis propriis ampliandis laborant, quos a theloneis[u] non absolvimus. Si vero contigerit, quod aliquis occidatur ab hominibus eorum et amici occisi velint occisores de[v] homicidio impetere, in curia nostra respondeant, res vero occisorum in providentia fratrum permaneant. Si autem[x] fur vel predo manifeste in ipso actu deprehenditur, bona furis fratribus remaneant et ipsi secundum consuetudinem terre a nostris

239. a) ‚C' *deest in C et R.* — b) ‚Odoacer' *R;* ‚Ottakarus' *C.* — c) ‚iii⁹' *A.* — d) ‚Theutonicorum Jerosolimitane' *R.* — e) ‚imperpetuum' *R.* — f) ‚et' *A.* — g) ‚imperturbato' *R.* — h) ‚exponunt devotius' *R.* — i) ‚appenditiis' *R.* — k) ‚Conradus' *R, C.* — l) ‚Wladyslaus' *C.* — m) ‚vel mancipavimus' *C.* — n) ‚earum' *R.* — o) ‚iustitiis' *R.* — p) ‚comoditatibus' *R.* — q) ‚audeant' *A, R, C.* — r) ‚sanximus' *C.* — s) ‚theolonia' *C.* — t) ‚pro' *deest C.* — u) ‚theoloneis' *C.* — v) ‚ab' *C.* — x) ‚ā' *A.*

iudicibus puniantur. Si vero narok,[y] quod latine vocatur accusatio, furum vel nocturnorum predonum super eorum homines evenerit, iudicio[z] astent curie secundum morem terre, in nullo nostre celsitudini nec nostris quoad aliquam utilitatem responsuri, set omnis culpe satisfactio cedat in usus fratrum; et tamen homines, si rei fuerint comprobati, adversariis satisfaciant. Si vero homo accusatus per honestos vicinos suos, fide eorum requisita, fuerit absolutus, curie non respondeat; et hoc diligenter notandum, quod ubi eos ab omni utilitate nostra et nostrorum absolvimus, nichil iuris quoad hoc nostre magnitudini vel nostrorum comoditatibus retinemus. Nullus etiam cogat fratres aut homines eorum ad aliquod servile officium, vel pro castrorum edificatione proque aliquo servitio tali, quod eis[aa] sit ad impedimentum libertatis sue, quia plenam et integram in omnibus possessionibus suis eis concessimus libertatem, ita ut et ipsi de hominibus suis disponant omnia ad profectum domus. Cum vero celebris memorie imperatores magnifici et alii gloriosissimi reges prescriptam domum amplissimis ditaverint possessionibus et muniverint privilegiis, nos etsi eis non equamur divitiis, tamen pro posse nostro volumus eis beatis parificari meritis; ideoque indulsimus eis, quod sive maiores sive minores in regno nostro constituti proprias possessiones eidem domui contulerint, vel ipsi[bb] aliquas iustis conditionibus vel debitis modis acquisierint, ab omni prefato iure, ad usus nostros vel nostrorum accedente, secundum quod superius est determinatum, easdem possessiones esse liberas et absolutas, ut per hanc indulte libertatis concessionem et utilitatis nobis debite[cc] collationem nostre clementie apud deum et ipsius matrem nostra merita sint favorabiliora et excellentiora. Ut autem hec nostre constitutionis pagina tam serenissimis[dd] temporibus nostris, quam futuris, robur habeat et firmamentum,[ee] eam nostre sublimitatis bulla aurea[ff] fecimus insigniri; districte sanccientes,[gg] ut quicumque has libertates vel indulgentias temere transgressi fuerint, vel ea, que a nobis vel predecessoribus nostris vel a fratre nostro vel ab aliis fidelibus viris eidem domui sunt collata, violenter invaserint vel abstulerint, pena X[hh] marcarum auri in[ii] nostram cameram solvendarum puniantur; ita tamen, ut prius lesis satisfaciant. Huius rei testes sunt: Robertus[kk] Olomucensis episcopus, abbas Gradicensis,[ll] abbas Welegradensis, Bavarus[mm] camerarius, Zauisa[nn] castellanus Olomucensis, Chistiborius[oo] castellanus Prerouiensis, Zulizlaus[pp] dapifer, Weliz iudex, Zpitata, Zlaweta[qq] magistri venatorum, Jaros,[rr] Boruta castellanus de Podwin et filius eius[ss] Boruta, Witigo[tt] et frater eius Henricus, Groznata subcamerarius regis, Boguzlaus filius Zlaukonis,[uu] Stephanus de Medelou,[vv] Emmeramus[xx] de Bozcowiz, Ones castellanus

239. *y)* ‚naroc' *R, C.* — *z)* ‚iuditio' *A.* — *aa)* ‚eius' *C.* — *bb)* ‚ipsis' *C.* — *cc)* ‚debite' *deest C.* — *dd)* ‚serenis' *R.* — *ee)* ‚firmitatem' *R.* — *ff)* ‚n. subl. sigillo' *R.* — *gg)* ‚sanctientes' *R.* — *hh)* ‚decem' *R.* — *ii)* ‚ad' *R, C.* — *kk)* ‚Ropertus' *A.* — *ll)* ‚Gradirensis' *R, A.* — *mm)* ‚Bauarus' *R, C.* — *nn)* ‚Zamsa' *C.* — *oo)* ‚Chistyborius' *C.* — *pp)* ‚Sulyslaus' *C.* — *qq)* ‚Wanyta' *C.* — *rr)* ‚Joras' *R.* — *ss)* ‚eius' *deest C.* — *tt)* ‚Withco' *R.* — *uu)* ‚Boguçlaus fil. Zlawconis' *R.* — *vv)* ‚Medilov' *A.* — *xx)* ‚Emeramus' *R.*

Olomucensis, Luder et frater eius Neplah, Gerhardus de Zbrazlav,[yy] Adlart filius Razonis, Wogna de Bistrici, Prosmirus[zz] castellanus Znoimensis, Eckihardus[a] et frater eius Hartlibus[b] castellani Znoimenses,[c] Petrus et frater eius Zwoise,[d] Olricus filius Juriconis,[e] Holaz[f] subpincerna regis.

Actum Olomuc,[g] anno dominice incarnationis[h] MCCXXII, VII kalendas septembris, indictione X. Datum per manum Hermanni magistri, regis notarii.

240.

Honorius III papa abbati Strahovensi et praeposito atque decano ecclesiae Vyšehradensis mandat, ut magistro Arnoldo decanatum Pragensem, a quo submotus erat, denuo conferant. *Laterani [1222] sept. 30.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. IV, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. XII) asservatur, fol. 5r, lib. VII, ep. 18 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 23, num. 93 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 309, num. 666 (frgm.) — Potthast, Reg. pontif, num. 6882 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. II, num. 4124.

..[1] abbati Stragouensi,[a] ..[2] preposito et ..[3] decano Wischegradensi Pragensis diocesis.[b] Ad instar arche federis in pectore summi pontificis continetur virga correctionis, qua feriat delinquentes, et manna dulcedinis, quo humiliatos refoveat et devotos. Hinc est quod consideratis laboribus diuturnis et gravibus, quos dilectus filius Arnoldus, quondam Pragensis decanus, ad hostium apostolice miserationis expectans diutius pertulit humiliter et devote; attendentes nichilominus patientiam, quam idem etiam inter flagella noscitur habuisse, post vinum mordicantis[c] increpationis oleum misericordie lenitivum veri Samaritani vestigiis inherendo sauciati vulneribus infundere nos oportet. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus de misericordia, que superexaltat iudicio,[4] memorato A. decanatum Pragensem, quo fuit quondam exigentibus culpis suis auctoritate sedis apostolice spoliatus, sicut dicitur nunc vacantem, auctoritate apostolica, sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, conferatis; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes.[d] Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.[e] Datum Laterani, II kalendas octobris,[f] pontificatus nostri anno septimo.

239. *yy)* ‚Gerardus de Zbraizlau' *R.* — *zz)* ‚Prosmir' *C;* ‚Prozimus' *R.* — *a)* ‚Echardus' *R.* — *b)* ‚Arthleybus' *R;* ‚Hardibus' *A.* — *c)* ‚Znoymenses' *R, C.* — *d)* ‚Zwoiso' *R;* ‚Zwoisc' *A;* ‚Swoyssye' *C.* — *e)* ‚Vlricus fil. Juric' *A;* ‚Vlricus fil. Jurzie' *C.* — *f)* ‚Holaç' *R;* ‚Holatsch' *A, C.* — *g)* ‚Olomucen' *R.* — *h)* ‚incarn. dominice' *R.*

240. *a)* ‚Stragonen' *R.* — *b) Superscriptio colore rubro scripta est R.* — *c)* ‚tis' *radendo corr. ex* ‚tois' *R.* — *d)* ‚per cens. — compescentes' *compendio* ‚etc' *indicantur in R.* — *e)* ‚hiis — exequantur' *compendio* ‚etc' *indicantur in R.* — *f)* ‚octubris' *R.*

1) *Bertholdo.* — 2) *Arnoldo.* — 3) *Nomen ignoratur.* — 4) *Cf. Jac. II, 13.*

241.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Neconem militem inquietum cogit, ut dimidiam villam Úherce a monasterio Doxanensi emptam abbati et conventui Kladrubensi sexaginta marcis argenti vendat, idemque ipsam villam monasterio Kladrubensi ex toto possidendam assignat. In Křivoklát 1222 —.

Autographum in membrana iam passim laesa scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A). — Apographum exstat in Libro privilegiorum monii. Cladrubensis saec. XVII in bibliotheca c. r. universitatis Pragensis (sign. II A 10) tom. I, pag. 45, num. 14 (B) et tom. II, pag. 39—41 (C).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 308, num. 662 (frgm.).

Autographum manu scribae, quem ‚Otakarus 21' appellamus, exaratum est; quae manus iam in nullo alio eiusdem regis diplomate autographo invenitur.

‖In nomine sancte trinitatis.‖ Othekarus, qui et Premizl, dei gracia Boemorum rex, universis Christi fidelibus nostre ditioni subiectis in perpetuum. Noverint [t]am pre‖sentis temporis homines quam futuri, quod post decessum Diuisii, baronis nostri, ipsius predium, videlicet dimidiam villam in Vhrec, ad usus nostre regalis [me]nse[a] precepimus‖asignari.[b] Cognoscentes hoc nobis dilecti prepositus et fratres[b] eius in Dogzan, predictum predium ad usus sue ecclesie a nobis habere postulaverunt. Licet ipsis p[ropter suos us]us tunc‖ad presens conferre negassemus, tandem ipsorum prepositi et fratrum eius ac aliorum nobilium crebris victi precibus, pro consequenda nostrorum venia peccatorum donav[im]us. Processu autem temporis prefati prepositus et fratres eius in Dogzan quadam urgente necessitate, suos defectus quocumque modo suplere cupientes, pretactam donationem nostram cuidam nobili viro nomine Neconi pro LX marcis argenti iure hereditario vendiderunt. Dimidia autem villa per donationem pie memorie avi nostri ducis Wladizlai spectabat ad monasterium [Cla]dorubense. Qui sepe dictus nobilis dilectorum abbatis et fratrum in Cladorub tam austeris et inportunus extitit vicinus, tollens quod non posuit et metens quod non seminavit. [Quapropter] dilecti [abba]s et fratres monasterii Cladorubensis vicini sui iniquitatem diutius sustinere non valentes, sua nobis aliquociens conquestione monstrarunt, quod eorum possessionem, quam [glori]osus dux Wladizlaus, avus noster, cum omnibus pertinentiis suis eidem contulit monasterio, iam per aliquot annorum curricula propter frequentes et diuturnos ipsius vicini insultus inculta iacere et, in solitudinem redacta, nichil utilitatis seu commodi temporalis sibi vel aliis ministrare.[b] Nos igitur, quoniam regie maiestati nostre conpetit ipsorum iniurias, damna, lesiones oculo clementiore respicere, perspecta corrigere, et ne vacillent ulterius precavere, ideo iuxta ipsorum frequentem et flebilem peticionem

241. *a) litteras et voces uncis clausas, quae cum membrana destructa perierunt, supplevi ex B et C. — b) ita A.*

predictum nobilem, licet renitentem, receptis LX marcis argenti a dilectis abbate et fratribus in Cladorub de emptione videlicet dimidie ville, quam a preposito et fratribus in Dogzan sibi venditam possidebat, cum omni suppellectili sua inde exire precepimus et pro commodo monasterii Cladorubensis et dilectorum abbatis et fratrum eiusdem ecclesie perpetuo iure hereditario dedimus predictam villam eisdem ex integro possidendam sub testimonio camerarii nostri Zlauconis, Bene[ssii et] Zulizlai nobilium et aliorum baronum terre nostre, scriptum[c] presens[d] sigilli nostri munimine roborantes. Si quis autem, postposito dei timore, hoc infringere atemptaverit, [in]dignationem dei omnipotentis et beate Marie perpetue virginis se noverit incursurum. Datum in Creoplath, per manum domini Benedicti cancellarii anno Domini MCCXXII.

Sigillum, quod autographo filis sericis adpensum erat, iam avulsum et deperditum est.

242.

Honorius III papa Hermanno magistro et fratribus sanctae Mariae Theutonicorum libertates et immunitates iis ab Otakaro I, rege Bohemiae, concessas confirmat, verbis privilegii eiusdem regis integre insertis.

Laterani [1222] dec. 19.

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine IV, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. XII) asservatur, fol. 21r—22v, lib. VII, ep. 80 (R). — Aliud apogr. saec. XIII exstat in cod. ms. tabularii regii Berolinensis, ,h. I. C. 12. fol.' signato, fol. 123v (C).

Palacký, Ital. Reise, pag. 23, num. 94 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 144, num. 141, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 310, num. 667 — Strehlke, Tabulae ord. Theut. pag. 161, num. 176 (ex C) — Rodenberg, Epist. e regestis pontif. (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I. pag. 145, num. 214 (reg.) — Potthast, Reg. pontif., num. 6904 — Pressutti, Reg. Honorii III, t. II, pag. 102, num. 4169.

..[1] magistro et fratribus hospitalis sancte Marie domus Theutonicorum Jerosolimitani.[a] Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum[b] perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, libertates et immunitates vobis ac domui vestre a karissimo in Christo filio nostro O., rege Boemorum illustri, pia liberalitate concessas, sicut eas iuste ac pacifice obtinetis, et in ipsius regis privilegio super hoc confecto plenius continetur, vobis et ipsi domui auctoritate

241. *c)* ,scriptum' *in loco raso eadem manus eodem atramento scripsit A. — d) genuine* ,presentis', *sed litteris* ,tis' *erasis eod. atramento correctum A.*

242. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R. — b)* ,quod — debitum' *verbis tantum* ,etc. usque' *indicantur in R, C.*

1) *Hermanno de Salza.*

apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ad rei autem evidentiam pleniorem tenorem ipsius privilegii presentibus de verbo ad verbum fecimus annotari; qui talis est: In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. Ego Odoacer, rex Boemorum tertius, Hermanno magistro *etc.*[2] Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam[c] nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.[d] Si quis autem[e] hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum[f] Laterani, XIIII kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno septimo.

243.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, omnia bona monasterii in Plasy tuenda suscipit et homines eiusdem monasterii sub suum tantum vel, se absente, Slavkonis comitis ius et iurisdictionem subiunctos esse constituit. *[cc. 1222 —.]*

Autographum in membrana scriptum in tabulario caes. reg. aulico Vindobonensi asservatur (A).

Emler, Reg. Boh. II, pag. 463, num. 1098 (fragm.; perperam ad a. 1277).

Autographum manu scribae, quem ,Otakarus 22' appellamus, exaratum est. — Charta nota temporis omnino caret, sed anno fere 1222 datam esse ex eo quod ipsa continetur conici potest.

O., dei gracia rex Boemorum,[a] omnibus presentem paginam inspicientibus salutem et omne bonum. Sicut iniusta petentium votis omnis iusticia se opponit, || ita pro iustis postulationibus omnis racio intercedit. Inde est, quod dilectorum nostrorum monachorum de Plaz piam erga nos devocionem || attendentes, bona omnia iam dicto claustro pertinentia in tutelam et defensionem nostram benigne suscepimus, ita quod nulli || hominum preterquam nobis, vel in absentia nostra comiti Zlaweconi, iuri stare vel de aliquo ipsi vel eorum homines habeant respondere. Hoc vero beneficium, predictis pię conversationis fratribus a nobis bona voluntate collatum, ne quis audeat infringere, sigilli nostri inpressione confirmavimus. Si qua vero ecclesiastica secularisve persona huic donationi nostrę ausu temerario contraire presumpserit, vel eam aliquo modo violare attemptaverit, noverit se magestatis nostrę lesę reum esse et indignationem nostram graviter incurrisse.

Autographo appendet e scidula membranae sigillum Otakari regis de cera naturali confectum, cuius pars defracta desideratur, idem atque in diplomate num. 57.

---

242. *c)* ,omnino — paginam' *compendio* ,etc' *indicantur in R.* — *d)* ,vel ei — contraire' *desunt in R.* — *e) quae subsequuntur usque* ,incursurum', *compendio* ,etc.' *indicantur in R.* — *f)* ,Datum etc.' *C.*

2) *Sequitur diploma Přemysli Otakari I, regis Bohemiae, quod datum est in Olomuc 1222 aug. 26, totidem verbis transscriptum (v. num. 239).*

243. *a)* ,Boem̄' *A.*

244.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Plasy immunitates concedit.

[cc. 1222.]

Autographum in membrana scriptum in bibliotheca c. r. universitatis Pragensis asservatur (A).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 288, num. 616 (fragm.; perperam ad a. cc. 1220) — Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutsch. in Böhmen XII, pag. 68, num. 27 (reg.).

Autographum scriba, quem ‚Otakarus 23' appellamus, manu sua exaravit. — Chartam post privilegium a. 1222 mart. 10 ecclesiis Bohemiae concessum (v. num. 227) datam esse ex eo quod ipsa continetur, cognosci potest. Ante oct. 11. a. 1224 data sit necesse est, quod ea die rex iam alio sigillo utebatur.

O., dei gracia Bohemorum rex, omnibus hec scripta visuris perpetuam pacem et salutem. Quia mali homines diversis occasionibus mali‖ciam suam palliantes pauperibus maxime claustralium spoliandis[a] intendunt, eô quod defensores non habeant, nos paci Plazen‖sis abbatie providentes, homines ipsorum quoquo modo impetîtos tantum in presencia nostri iudicari statuimus, omnem iusticiam ad nos et‖ad officiales curię nostrę spectantem, sive de narôch, sive de zvode, eis ex integro relaxantes. Si[b] autem extra terram fuerimus longam moram facturi, iudici curie nostre cum testimonio presentis cartule sigillo nostro sigillate presententur;[c] ipse autem causam eorum taliter discutiat, quod in nulla exactione propria donationi nostre[d] contraire videatur, scientes certissime omnes officiales nostre curię tam presentes quam posteri, quod quicunque hanc honestam donationem infringere vel quoquo modo impedire temptaverit, dei omnipotentis et nostram incurret indignationem, habiturus in futuro cum Datân et Abyrôn portionem.

Autographo appendet e scidula membranae sigillum Otakari regis de cera naturali confectum, cuius pars defracta desideratur: quod ad eandem formam revocandum est atque sigillum diplomatis num. 57.

245.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, cum coniuge sua Constantia monialibus apud sanctum Petrum in Olomuc sex terras in villa Bukovany donat eisque immunitates concedit; praeterea villae Klopotovice exemptionem ipsis a fratre suo Vladislavo, quondam marchione Moraviae, concessam confirmat.

Brunnae 1223 mart. 2.

Autographum in membrana scriptum in tabulario archiepiscopali Cromesirensi asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 145, num. 143 (cuius editionis menda correxit Lechner in Zeitschr. f. Gesch. Mähr. u. Schles. II, 1898, pag. 135) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 310, num. 669.

---

244. *a)* ‚o' *eodem atramento superscr.; primum* ‚i' *ex* ‚o' *corr. est A.* — *b)* ‚i' *ex* ‚a' *radendo corr. A.* — *c)* ‚ten' *eod. atramento superscr. A.* — *d)* ‚nr̄e' *eadem manu superscr. A.*

Autographum manu scribae, quem nota ‚Otakarus 5' signavimus, exaratum est; de quo vid. prooemium diplomatis num. 59. — In diplomate conficiendo auctor chartam eiusdem regis sine anno et die, quam dedimus supra num. 60, adhibuit, e qua nonnulla ad verbum descripsit.

§ In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. § Notum sit universis christiane religionis professoribus, tam modernis, ‖ quam futuris, quod ego Ottacarus, qui et Premizl, dei nutu tercius rex Boemie et dux Morauie, cum coniuge mea Constan‖cia, regina Boemie, pro remedio peccatorum nostrorum devotis virginibus circa ecclesiam beati Petri in Olomuchz Christo famulan‖tibus in villa, que vulgo dicitur Bukowan, tres terras ad Thynech pertinentes et tres, que ibidem ad Olomucense castrum pertinebant, hereditario iure possidendas * contulimus. Pauperes quoque earum a reedificatione castrorum et ab omnibus tributorum, * vectigalium ceterorumque huiusmodi exactionibus liberali munificentia absolvimus. Ceterum sicut venerabilis recordationis marchio Morauie, frater noster Wladizsslaus, predecessor noster villam, que dicitur Klopothouichi, quam prefate virgines legitime possidebant, pro remedio anime sue ab omni exactione Olomucensis castri omniumque eiusdem castri beneficorum[a] concessit esse liberam, ita et nos eandem ipsius concessionem approbantes, villam iam dictam prenominatis virginibus sub eadem libertate concessimus libere et pacifice in perpetuum possidendam. Ut autem hec ratam habeant et inconcussam firmitatem, sigilli nostri impressione presens scriptum munivimus. Actum in Brunna, VI nonas marcii, anno gracie millesimo ducentesimo vigesimo tercio. Testes sunt hii: Bawarus Olomucensis camerarius, Golach Olomucensis burgravius, Boruta cum filio suo Boruta, Zavissa cum fratre suo Cstibor, Stephanus burgravius in Deuichki, Semizsslaus cum fratre suo Ninech.

Datum per manum Wyperti, curie nostre prothonotarii.

Autographo appendet e filis sericis coloris caerulei fragmentum sigilli de cera naturali confecti, quod ex eadem forma profectum est atque sigillum diplomatis num. 57.

246.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, civibus de Uničov eadem iura concedit, quae eis ab Henrico Vladislavo, olim marchione Moraviae, donata sunt.

Brunnae 1223 —.

Charta autographi instar in membrana scripta in tabulario civitatis Uničov (Mähr. Neustadt) asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 147, num. 145 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 310, num. 670 (frgm.), — H. Jireček, Cod. iuris Boh. I, pag. 58, num. 30 — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. I, pag. 138, num. 161 (reg.) — Kopetzky, Reg. z. Gesch. d. Hrzgth. Troppau (Arch. f. österr. Gesch., tom. 45, pag. 106) num. 21. — (V. et. Eugl, Gesch. d. k. Stadt Mähr.-Neustadt).

---

245. *a) ita A.*

Charta manu scribae, quem ‚Otakarus 24‘ appellamus, exarata est; quae quidem manus iam in nullo alio eiusdem regis diplomate autographo apparet. Charta sigillis falsis instructa est, quam ob rem non satis constat, an pro autographo habenda sit; sed eorum, quae ipsa continentur, fidem in dubium vocare non ausim. — Eodem fere tempore atque diploma num. 245 datum esse, nonnulla testium nomina, quae in utroque diplomate adferuntur, demonstrant.

+ C + ‖In nomine patris et filii et spiritus sancti amen.‖ Quoniam ea, quę pie ac laudabiliter a predecessoribus ordinata dinoscuntur esse, vel rite concessa,‖ a regia munificentia immutari[a] debent aut [minui, s]et[b] conservari potius et augeri, ideo ego Othakarus, qui et Premizl, dei gratia rex Bohemorum, cum meis liberis notum facimus‖ universis, tam presentibus, quam futturis,[c] quod nos idem ius[d] et eandem per omnia libertatem, quam frater noster Wadizlaus pie memorie, quondam marchio Morauię, concessit dilectis[e] civibus nostris de‖Vnisov, quę est nova villa, in eodem oppido vel extra oppidum, eandem ipsis regia clementia duximus liberaliter concedendam et in scripto autentico sollempniter redigendam. Videlicet ut quelibet area in predicto oppido, sive parva, sive magna, sex denarios, et quilibet mansus terrę arabilis fertonem argenti et tres mensuras annonę, unam scilicet de tritico, alteram de siligine, terciam de avena, singulis annis in festo sancti Martini persolvere teneantur.[f] Item silvam, quam acceperunt exstirpandam ad XXX^ta^ annos, de quibus iam decem preterierunt, eisdem concedimus esse liberam, prout quilibet eorum poterit exstirpare. Item terminos circuitus ipsorum, tam in silvis, quam in campis et pascuis, a predicto fratre nostro marchione sibi iuste primitus deputatos, liberos eis ac pacificos auctoritate regia precipimus conservari. Item omnes culpas secundum quod hactenus inter se et apud ipsos iudicarunt fratre nostro concedente, concedimus ipsis secundum suas consuetudines iudicare, nisi fuerit gravis et magna culpa, quę coram nobis aut[g] nostris merito debeat ventilari. Item in summa idem ius Meidburgense et easdem consuetudines [iuris], quas habent cives nostri de Froudental, eisdem misericorditer volumus indulgere. Ad hęc villicationem seu advocatiam, quam prefatus frater noster Theoderico advoca[to et ei]us heredibus dinoscitur contulisse, ipsi Theoderico et suis heredibus, sicut collata est, in pace cupimus [po]ssidere. Ut autem hęc concessio nostra stabilis habeatur et rata, presenti pagina eandem et sigillorum nostrorum munimine roboramus, rogantes venerabilem patrem Růbertum,[h] Olomucensem episcopum, qui et presens fuit, ut ad maiorem huius concessionis firmitatem suum sigillum apponeret; quod et fecit. Acta sunt hec sollempniter in Brunna, anno dominice incarnationis millesimo C°CXXII°I, indictione XI, per manum Wigberti notarii nostri, presentibus multis testibus, quorum

246. a) *hoc loco* ‚non‘ *omissum esse nemo non videt.* — b) *Quae uncis clauduntur litterae, iam penitus evanuerunt A.* — c) *ita A.* — d) *voces* ‚idem ius‘ *iam vix discerni possunt A.* — e) *litterae* ‚dile‘ *exstinctae sunt A.* — f) ‚t'nant^v‘ *A.* — g) ‚iudicibus‘ *hoc loco scribae incuria omissum esse videtur.* — h) ‚b‘ *ex* ‚p‘ *radendo corr. A.*

nomina sunt hec: Sdizlaus prepositus sancti Petri in Brvnna, Cůnradus scriba in Brvnna, Stephanus de Medlov, Henricus filius Victonis[c] et frater eius Victo[c] iunior, Diuis, Zuatozlaus, Holasc, Coiata, Zemizlaus[i] castellani[k] Olomucenses, Bawarus camerarius Olomucensis, Zauisse, Ztibor, Welis iudex Olomucensis, Zpitata, Petrvs de Loziz et frater eius Nicolaus.

Autographo appendent e filis sericis albis et rubris duo sigilla de cera naturali confecta: 1) *Sigillum formae rotundae, cuius diametros 80 mm sunt. In sigillo eques galeatus conspicitur, qui manu dextra hastam cum vexillo, sinistra scutum tenet, cuius insigne est leo bicaudatus. Circumscriptio:* ✠ PREMISEL· DEI GRACIA REX · BOHEMIE · ⁊ MORAVIE. — 2) *Sigillum formae rotundae, cuius diametros 65 mm sunt. In sigilli medio figura episcopi in solio sedentis conspicitur, qui infula capiti imposita, manu dextra pedum gerit, sinistra vero librum tenet. Circumscriptio:* S. RVTBERTI EPISCOPI OLOMVNCENSIS. *Utrumque sigillum ex toto impar est illis sigillis, quibus tam rex quam episcopus eo tempore utebantur; quam ob rem plane non dubito, quin utrumque adulterinum sit. Regis sigillum ad exemplum sigilli Přemysli, marchionis Moraviae, formatum esse videtur.*

247.

Honorius III papa privilegium a Přemyslo Otakaro I, rege Bohemiae, ecclesiae Pragensi concessum transcribi facit, petente Andrea, episcopo Pragense.

Laterani [1223] maii 11.

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropolit. Pragensis asservatur (A). — Apographum exstat in Honorii III papae regestorum vol. IV, quod in tabulario secreto Vaticano asservatur, fol. 47v—48v, lib. VII, ep. 163 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 23, num. 93bis (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 312, num. 674 (reg.) — Potthast, Reg. pontif., num. 7014 — Pressutti, Reg. Honorii III, t. II, pag. 133, num. 4347.

In membranae replicatae margine dextro haec scriptoris nota legitur: ‚b. f'; *sub membrana replicata in margine sinistro signum* ⁜ *positum est. — In autographi tergo in sinistro angulo superiore nota* ‚A' *legitur, a qua ad dextram adnotatur:* ‚Pra'. *In tergi medio hoc scriptoris registri signum scriptum est:* ℞, *in cuius parte superiore litterae* ‚scpt' *positae sunt. In dextro margine inferiore atramento pallido manus eiusdem temporis adnotavit:* ‚Iste littere scripte sunt in regestro domini pape in fine sexti quaterni anni septimi.'

Honorius[a] episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri[a] .. episcopo Pragensi salutem et apostolicam benedictionem.[b] Fraternitatis tue precibus inclinati, privilegium a carissimo[c] in Christo filio nostro .. Boemie rege illustri | ecclesie tue concessum de verbo ad verbum presentibus mandavimus adnotari.[d] Quod est tale: In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Nos Otacarus, dei gratia Boemorum rex, *etc.*[1] Datum Laterani, V idus maii, pontificatus nostri anno septimo.

Bulla, quae autographo appendebat (e filo cannabino), iam avulsa et deperdita est.

246. *i)* ‚Zemizlau' *A.* — *k)* ‚e' *ex* ‚a' *eodem atramento corr. A.*

247. *a)* ‚Honorius — fratri' *desunt R.* — *b)* ‚salut. — benedictionem' *desunt R.* — *c)* ‚karissimo' *R.* — *d)* ‚annotari' *R.*

1) *Sequitur privilegium Otakari I regis datum in monte Schatzberg 1221 iul. 2 (v. num. 217) totidem verbis transscriptum.*

248.

Laurentius, episcopus Vratislaviensis, fundat in bonis episcopalibus locum forensem Ujezd (Vyasd), praesente inter alios ‚Radozlao archidiacono Olomucensi'.

In Vratislavia 1223 maii 25.

Tzschoppe u. Stenzel, Urkundensammlung z. Gesch. d. Ursprungs d. Städte ... in Schlesien, pag. 282 (ex apogr. in libro nigro episc. Vratisl.) — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. I, pag. 140, num. 265. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 312, num. 675.

249.

Laurentius, episcopus Vratislaviensis, ecclesiae sanctimonialium in Rybnik quarundam villarum in castellatura de Těšín, quarum nomina adferuntur, decimas donat et confirmat capituli sui consensu; in presencia: ... ‚Radozlai archidiaconi Olomucensis'.

In Vratislavia 1223 maii 25.

(Hugo) Ann. Praemonstr. I, Probat. pag. 481 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 151, num. 149. — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. I, pag. 141, num. 266 (reg.).

250.

Honorius III papa litteras, quibus Přemysl Otakarus I rex baronesque Bohemiae conditiones pacis cum Andrea, episcopo Pragensi, constituendae accipiunt, in testimonium et firmitatem transscribi facit.

Signiae [1223] iun. 22.

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropolitani Pragensis asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 152, num. 150 (reg.). — Erben, Reg. Boh. I, pag. 310, num. 668 et pag. 312, num. 676. — Potthast, Reg. pontif., num. 7042. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6543.

In membranae replicatae margine sinistro haec scriptoris nota scripta est: ‚b f.' *In autographi tergo alia, ut videtur, manu adnotatur:* ‚And' *[= Andreas].*

Honorius episcopus, servus servorum dei, universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Litteras carissimi in Christo filii nostri O.[1] regis illustris, et baronum Boemie ipsorum ‖ sigillis munitas perspeximus in hec verba: O., dei gratia rex, et barones Boemie universis presentem paginam inspecturis *etc.*[2] Ne igitur super hiis dubitari possit in posterum, presentes litteras nostre bulle munimine roboratas eidem episcopo et ecclesie sue concessimus in testimonium et cautelam.[a] Datum Signie, X kalendas iulii, pontificatus nostri anno septimo.

Autographo appendet e filo cannabino bulla Honorii III papae, cuius imaginem dedit Diekamp in Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. III, tab. ad pag. 626, num. 5 et 30.

250. *a)* ‚cau' *eadem manu in loco raso scriptum est A.*

1) *Otakari.* — 2) *Sequuntur verba litterarum num. 212, quibus insertae sunt litterae Honorii III papae, datae Laterani 1221 ian. 11 et 23 (num. 209 et 210).*

251.

Honorius III papa libertates et immunitates ecclesiae Pragensi ab Otakaro I, rege Bohemiae, concessas confirmat. *Signiae [1223] iun. 26.*

Apographum insertum est confirmationi Urbani IV papae dd. Viterbii 1262 apr. 26, cuius autographum in tabulario capituli metropol. Pragensis asservatur (B).

Honorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri .. Pragensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, libertates et immunitates ecclesie Pragensi ac hominibus eius a carissimo in Christo filio nostro Octacaro, illustri rege Boemie, pia devotione concessas, prout in eius privilegio super hoc confecto plenius continetur, tibi et per te ecclesie tue auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem rei evidentiam tenorem eiusdem privilegii de verbo ad verbum presentibus duximus inserendum. Qui est talis: In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Nos Octacarus, dei gratia Boemorum rex, *etc.*[1] Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Signie, VI kalendas iulii, pontificatus nostri anno septimo.

252.

Peregrinus, episcopus Pragensis, villam Opočnice monasterio in Vilémov a Sezema de Kostomlaty donatam esse testimonio confirmat.

Pragae 1223 oct. 1.

Autographum in membrana scriptum in tabulario monasterii Břevnovensis asservatur (A).

Dobner, Monum. hist. Boem. VI, pag. 381 (Diplomatarium Wilemoviense) num. 2 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 312, num. 677 (frgm.).

Autographum scriba quidam scripsit, cuius manus iam in nulla alia charta deprehenditur. — Palacký, Dějiny[3] I, pars 2, pag. 138 not. 133 in temporis nota a. 1224 corrigendum esse putat; quam emendationem admitti non posse indictio XI docet, quae recte ad a. 1223 spectat; (cf. et. Winkelmann, Kaiser Friedrich II, tom. I, pag. 387, not. 1).

⁞In nomine sancte et individue trinitatis.⁞ Rei geste memoria ne processu temporis evanescat et pereat, poni‖solet in lingua testium et scrptorum[a]

251. 1) *Sequitur privilegium Otakari I regis, datum in monte Schatzberg 1221 iul. 2 (v. num. 217), totidem verbis transscriptum.*

252. a) *ita (pro* ‚scriptorum‘*) scribae incuria A.*

muniminę roborari. Igitur ego Peregrinus,[b] sacrosancte Pragensis ecclesie episcopus, notum ‖ tam presentibus quam posteris, ad quoscumque presens pagina devenerit, facio cum effectu, hoc videlicet, quod in instanciam et devotas ‖ preces nobilis viri domini Zezemę de Coztomlat hanc paginam in testimonium super villam Opocsenicę[c] scribere non recusavi, quam idem iam supra dictus Zezema dominus de Coztomlat ad usus devotorum fratrum, scilicet abbati ac conventui eius de Wilemov, pro remedio anime suę suorumque tradidit pacifice et quiete hereditario iure possidendam. Verum cum vineas domini Sabahot multiformes bestie moliantur demoliri, presens scriptum sigilli nostri munime[d] supra dicto conventui dignę duximus roborandum. Preterea quisquis hoc decretum infringere temptaverit, indignacionem domini nostri Jesu Christi et beate virginis Marie nec non et sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac simul omnium sanctorum et excommunicacionis sentenciam se senciat incurrisse. Datum Prage in monasterio sancti Viti, anno incarnacionis Domini M̊CC̊XXII̊I,[e] kalendas octobris, indictione XI̊. Et huius rei hii sunt testes: dominus Henricus cum filio suo Vitcone de Nova pomo, Ratmirus de Squirina, Groznata de Podiebrad, Wilhalmus de Coztomat,[f] Johannes[g] filius Zbizlay de Bratercsic,[h] Albreht de Zliven, Miztidruch de Zluscic, Zobehird de Roscsalovic,[i] Vad de Veleľud, Predzlav de Lucsan, Paulec de Giztbic, Janec cum duobus fratribus de Vsehap, Ziesce de Sovinic, Purchart de Vezcie.

Autographo appendent e filis cannabinis tria sigilla de cera naturali confecta: 1) *Sigillum rotundum (diametros 51 mm), in cuius medio murus cum turri conspicitur; circumscriptionis attritae haec tantummodo litterae legi possunt:* ✝ SIGI ....,.. 2) *Sigillum rotundum (diametros 62 mm), in cuius medio figura episcopi stantis cum infula capiti imposita depingitur, qui manum sinistram pro pectore tenet, dextra pedum gestat. Circumscriptio passim valde attrita:* ✝ SIGILLVꝰ PELEGRINI PRAGENSIS ECCL///EPI. *Cum sigillum hoc prorsus alienum sit ab illo episcopi sigillo, quod diplomati num. 259 appensum est, Peregrinum hoc tempore nondum consecratum esse verisimile est.* 3) *Fragmentum sigilli formae triangulae, in cuius medio scalae depinguntur. Circumscriptio:* ✝ S ..... SEZEOꝰE DE ......AT.

253.

Robertus, episcopus Olomucensis, monasterio in Louka possessionem villae Mramotice confirmat, diiudicata controversia, quae de emptione eius inter Florianum abbatem et Ulricum nobilem erat. *In Znojmo 1223 —.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A).

---

252. *b)* ,Peregrinus' *eadem manu eodemque atramento in loco raso scriptum A.* — *c)* ,s' *eodem atramento superscr. A.* — *d) ita A (pro* ,munimine'*).* — *e)* ,O̊ꝛC̊CXXII̊I' *in loco raso ead. manu scr. A.* — *f) ita A.* — *g)* ,Johannes — Purchart de Vezcie' *eadem manu eodemque fere atramento, sed non uno eodemque tractu atque illa, quae praecedunt testium nomina scripta sunt; attamen haec omnia priusquam charta sigillis instructa sit adscripta esse, ex eo cognosci potest, quod haec testium nomina membrana replicata teguntur.* — *h)* ,bᷓtercſic' *A.* — *i)* ,roſcſalovic' *A.*

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 153, num. 151 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 313, num. 679 (fragm.).

Autographum manu scribae, quem nota ‚Robertus 8' designamus, exaratum est.

‖In nomine Domini amen.‖ Ego Robertus, dei gratia Olomucensis episcopus, omnibus fidelibus in perpetuum. Notum facimus omnibus presentibus et fu‖turis, quod cum in presentia nostra apud Zenoim, presentibus etiam castellanis et aliis multis probis viris questio verteretur super quadam emptione‖ville de Brawatiz cum suis appenditiis, quam abbas de Luca Florianus legitime ac sollempniter fecit cum Wencezlao et Wlrico Zenoimensibus,[a]‖ nos á predictis castellanis, qui nobis considebant, quanto potuimus artius et altius ex parte domini regis Boemie[b] et nostra, cum vices ipsius regis Ottacari tunc temporis gereremus, in salute ipsorum requisivimus et eos monuimus diligenter, ut cum ipsi venditioni illi, quam fecerat Vencezelaus ex parte sua et Wlricus ex parte neptis sue et liberorum eius cum abbate prefato de villa supradicta, interfuissent, veritatem de controversia, quam inter sese ex ipsa venditione et emptione habebant, publice et sententialiter declararent. Qui pariter adiurati responderunt aperte, quod prenominatus abbas Florianus legitima emptione villam de Brawatiz cum omnibus suis pertinentiis ab ipsis, Vencezelao scilicet et Wlrico emerat, et quod Wlricus partem pecunie, scilicet duas marchas et fertonem,[c] quam adhuc abbas Wlrico de hac emptione debebat, sine contradictione recipere deberet. Quam cum abbas sibi in presentia nostra et omnium, qui aderant, persolvere volens offeret, ipse primo, secundo ac tercio monitus ad recipiendum, noluit eandem pecuniam recipere. Unde statim iudicatum est a castellanis, quod eadem pecunia sic oblata et a nullo recepta deberet infiscari, hoc est in cameram regis transire. Quod et factum est. Ut igitur predictus abbas et ecclesia Lucensis[d] sepedictam villam cum omnibus suis appenditiis emptam sic legitime et obtentam in pace deinceps valeat possidere et quieta possessione[e] gaudere, nos presens scriptum cum sigilli nostri munimine de hiis, que audivimus et tractavimus, sibi duximus concedendum. Immo et insuper notum fieri volumus, quod in presentia domini marchionis Vladezlai bonę memorie et eodem consentiente hec venditio et emptio primo sunt facte, sicut testantur littere ipsius auctentice domino abbati et ecclesie Lucensi super hoc per eundem marchionem concesse.[1] Actum est hoc sollempniter in Zenoim, anno Domini MCCXXIII, presentibus multis testibus, quorum nomina sunt hec: Lucas prior Lucensis, Heinricus camerarius Lucensis,[f] Nicolaus capellanus Lucensis, magister Gregorius canonicus Olomucensis, Hesso et Am-

253. a) ‚Zenoim̄' *A.* — b) ‚Boem̄' *A.* — c) ‚et fertonem' *eadem manus superscripsit A.* — d) ‚et ecc͞lia Lucen̄' *in A post* ‚appenditiis' *scriptum est, sed revocationis signa haec verba statim post* ‚abbas' *ponenda esse indicant.* — e) *genuine* ‚posso', *sed statim eod. atramento correctum A.* — f) ‚Lucn̄' *litteris minoribus eodem, ut videtur, atramento superscriptum A.*

1) *Vid. num. 233.*

brosius sacerdotes, capellani domine Helwidis. Milites laici de castro Zenoimensi: Engramus burgravius, Sebodo, Pomeninus Houoriz, Lupus, Eghardus, Hartlievus, Bohdantius, Rudgerus, Ortuinus, Theodericus villicus Brunnensis, Streicto villicus Zenoimensis.

Autographo appendet e filis sericis rubris, albis et viridis sigillum Roberti episcopi de cera naturali confectum, quod ex eadem forma profectum est atque primum chartae num. 78 sigillum.

254.

Honorius III papa Otakarum, regem Bohemiae, hortatur, ut possessiones quasdam ecclesiae Vratislaviensis, quas Vladislavus, quondam marchio Moraviae, per vim detinebat, eidem ecclesiae restituat.

Laterani [1224] ian. 27.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. IV, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XII) asservatur, fol. 147r, lib. VIII, ep. 226 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 23, num. 94bis (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 154, num. 152. — Theiner, Monum. vet. Polon. I, pag. 15, num. 33 = Horoy, Honorii III opera omn. IV, pag. 524, num. 112 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 313, num. 680. — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. num. 281a. — Potthast, Reg. pontif., num. 7151 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. II, num. 4725.

Illustri regi Boemie.[a] Olim venerabili fratre nostro ..[1] Wratislauiensi episcopo accepimus intimante, quod clare memorie ..[2] marchio Morauiensis possessiones quasdam ecclesie sue, in quibus aurifodine consistunt, per violentiam detinebat. Unde nos marchionem duximus rogandum[b] eundem, monuimus et exhortati sumus in Domino, ut possessiones ipsas cum perceptis ex eis fructibus ecclesie restitueret memorate, ita quod omnipotentem Dominum, quem male detinendo possessiones easdem offenderat, ex ipsarum sibi valeret restitutione placare ac nos devotionem ipsius commendare[c] possemus; dantes nichilominus venerabili fratri nostro ..[3] Cracouiensi episcopo et dilectis filiis .. abbati de Andreow et J. scolastico Luciocensi,[d] Cracouiensis et Gnesnensis diocesum, nostris litteris in mandatis, ut si prefatus marchio, quod ipsum fueramus ortati, non duceret adimplendum, ipsi eum ad restituendas possessiones easdem per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogerent iustitia mediante. Sed dicto marchione ante decisionem negotii memorati viam universe carnis ingresso, ecclesia pretaxata possessiones per eos recuperare non potuit antedictas. Cum igitur, sicut nostris est auribus intimatum, ad manus tuas tam possessiones iam dicte quam omnia bona marchionis prefati devenisse dicantur, serenitatem tuam rogamus,

254. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R.* — b) ‚rogandam‘ *R.* — c) ‚comdare‘ *R.* — d) *fortasse* ‚Lubucensi‘ *(= Lebus) corrigendum.*

1) *Laurentio.* — 2) *Henricus Vladislavus.* — 3) *Ivoni.*

monemus attentius[e] et hortamur, quatinus possessiones ipsas cum fructibus perceptis ex eis ob reverentiam beati Petri et nostram episcopo et ecclesie restituas supra dictis, preces nostras taliter admissurus, quod dictus episcopus eas sibi et ecclesie sue fructuosas sentiat per effectum, et nos excellentiam regiam propter hoc non immerito commendare possimus. Datum Laterani, VI kalendas februarii, anno octavo.

255.

Honorius III papa Otakaro, regi Bohemiae, Belam, primogenitum regis Ungariae, qui propter persecutiones patris sui in Austriam profugit, commendat.
Laterani [1224] febr. 22.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. IV, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. XII) asservatur, fol. 164r, lib. VIII, ep. 294,2 (R).

Raynaldi Ann. eccl. ad an. 1224, n. 33 — Palacký, Ital. Reise, pag. 23, num. 95 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 314, num. 681 (fragm.) — Potthast, Reg. pontif., num. 7179 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 4806. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6559.

De eadem re scripsit papa etiam ad Leopoldum VI ducem Austriae (v. Rodenberg, Ep. sel. pag. 169, num. 240) aliasque personas; v. Potthast, Reg. pontif., num. 7172 sqq. et 7189 sqq.

.. Illustri regi Boemie.[a] Cum carissimus in[b] Christo filius noster rex B.[1] primogenitus carissimi in Christo filii nostri A.[2] regis Vngarie illustris, gravem pro eo, quod ..[3] uxorem suam ad mandatum nostrum recepit, persecutionem sustineat, coactus ex hoc in terram nobilis viri ..[4] ducis Austrie se[b] transferre, serenitatem tuam rogamus et hortamur attentius, quatenus, cum ei ex hoc merito teneamur adesse, patri eius, ne ipsum ad se redire compellat, set in regno suo, ubi[c] cum eius uxore ac suis sicut regium decet heredem honeste valeat commorari, redditus ei certos[c] assignet, tua consulat celsitudo. Quod si eum in terram tuam venire forte contigerit, pro reverentia nostra honeste ipsum recipias, tuum sibi oportunum consilium et auxilium impensurus. Taliter autem in hac parte preces nostras admittas, quod ille per effectum sentiat de interventione nostra suffragium, et nos id etiam habeamus acceptum. Datum[d] Laterani, VIII kalendas martii, anno octavo.[e]

---

254. *e)* ‚ttentius' *R.*

255. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R. — b) pro* ‚in Chr. — Austrie se' *in R legitur:* ‚etc. usque: transferre'; *supplevi e registri epist. 294,1 quae inscribitur* ‚.. archiepiscopo Colocensi et suffraganeis eius' *(Potthast, Reg. 7176). — c) pro* ‚ubi — certos' *in R legitur:* ‚etc. usque: assignet'; *supplevi ex eadem epistula. — d)* ‚Dat. ut supra' *R; supplevi e registri epistula 294,1. — e) post epistulae finem adnotatur in R:* ‚In eundem modum .. duci Carinthie.'

1) *Bela.* — 2) *Andreae II.* — 3) *Mariam Laskaris.* — 4) *Leopoldi VI.*

256.

Honorius III papa monasterio in Louka ius patronatus in quasdam ecclesias, quarum nomina adferuntur, et decimas, quas ei Robertus, episcopus Olomucensis, iam ante confirmavit, denuo confirmat.

Laterani [1224] maii 20.

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A). — Litterae summarium exstat in Honorii III regestorum vol. IV, quod in tabulario secreto Vaticano asservatur, fol. 193r, lib. VIII., ep. 445 (R). — Apographum (ex A confectum) exstat etiam in transsumpto Guidonis s. Laurentii in Lucina presb. card., d. d. 1268 oct. 22, cuius autographum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur.

[Chmel] Series fundationis Lucensis, pag. 16 (ex A). — Palacký, Ital. Reise, pag. 23, num. 96 (reg. ex R). — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 157, num. 154 (ex A). — Erben, Reg. Boh. I, pag. 314, num. 682 (fragm. ex A). — Potthast, Reg. pontif., num. 7256 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 5007.

In autographi membranae parte replicata ad sinistram haec scriptoris nota legitur: ‚Aftōn' (?). *In autographi tergo in medio margine superiore adnotatur:* ‚℞' [= recipe?]. *In dextro margine superiore ibidem alia manus cancellariae apostolicae adnotavit:* ‚ad Bart et And.' — *In tergi medio hoc scriptoris registri signum legitur:* ‚℞', *cuius parti superiori litterae* ‚scptū' *inscriptae sunt. — Inferius ad dextram alio atramento pallido adnotatur:* ‚Vale'.

‖ Honorius[a] ‖ episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis[a] ..[1] abbati et conventui Lucensi ‖ salutem[b] et apostolicam benedictionem.[b] Cum a nobis petitur,[c] quod iustum est et honestum, tam vigor equita‖tis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane ‖ tenor litterarum venerabilis fratris nostri .. Olomucensis episcopi,[2] litteris dilecti filii nostri G., sancti Theodori diaconi cardinalis, tunc legati apostolice sedis, insertus,[4] nobis exhibitus continebat, quod cum ex laicali concessione haberetis ius patronatus in quibusdam ecclesiis, nec non de Chatouu, de Diakouic, de Chobhe,[d] de Rokytinc,[d] de Olexouic, de Domamil, de Lodinnio[d] et de Huoem[d] ecclesias sue diocesis, quas cum decimis et aliis pertinentiis suis, predecessorum suorum assensu minime requisito, receperatis de manibus laicorum, idem episcopus volens, ut possideretis canonice, quod contra statuta canonica videbamini hactenus possedisse, vobis predicta omnia confirmavit et cardinalis predictus inspectis eiusdem episcopi litteris super hoc factis, in quibus sigillum Olomucensis capituli dependebat, eidem facto robur sue confirmationis adiecit. Nos igitur iustis precibus vestris benignum impertientes assensum, quod super hoc ab ipso episcopo de capituli sui consensu pie ac provide factum est, auctoritate

256. *a)* ‚Honorius — filiis' *desunt in R. — b)* ‚salutem — benedictionem' *omittuntur in R. — c) reliqua arengae pars tantummodo verbis* ‚etc. usque: effectum' *indicatur in R. — d) ita scribarum errore (pro* ‚Gobze' — ‚Rokytnic' — ‚Lodinnic' — ‚Znoem'*) A et R.*

1) *Floriano.* — 2) *Vid. num. 207.* — 3) *Gregorii de Crescentio.* — 4) *Vid. num. 226.*

apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino[e] hominum liceat hanc paginam[e] nostre confirmationis[f] infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem[g] hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.[g] Datum Laterani, XIII kalendas iunii, pontificatus nostri[h] anno octavo.

Autographo appendet e filis sericis rubris et flavis Honorii III bulla plumbea eadem atque in num. 250.

257.

Leopoldus VI, dux Austriae, cum Pilgrimo, abbate de Gleink, commutationem faciens, pro quibusdam praediis suis in Austria sitis a dicto monasterio omnia praedia „ante Boemie nemus et in Riedmarch in diversis locis posita" accipit. *In Krems 1224 iun. 14.*

Meiller, Reg. z. Gesch. d. Babenberger, pag. 134, num. 192 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 315, num. 683.

258.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, attestatur Ratimirum baronem suum Těškov villam desertam monasterii Plassensis ad vitae tempus utendam accepisse, ut illuc colonos adducat, villas locet et ibi habitantes defendat. *In Křivoklát 1224 iun. 21.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A). — Apographum saec. XVIII exstat in B. Scheppl, Lapis sepulchralis ... fund. de Plassio, cuius cod. ms. in tabulario Musaei regni Boh. asservatur, pag. 87—88.

Erben, Reg. Boh. I, pag. 315, num. 684. — Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen XII, pag. 68, num. 28 (reg).

Autographum manu scribae, quem ‚Otakarus 25' vocamus, exaratum est; quem quidem scribam e monachorum Plassensium numero fuisse verisimile est.

⁝ In nomine sancte et individue trinitatis. ⁝ Othekarvs, qui et Premůzle, dei gracia Boemorum ‖ rex, universis Christi fidelibus nostre dicioni subiectis in perpetuum. Noverint tam presentis temporis homines quam futuri, quod dilecti nobis ‖ abbas et fratres eius in Plâz sua nobis aliquotiens conquestione monstrarunt, villam Thyskow, quam gloriosus rex Wladizlavs, pater noster ‖ karissimus, cum omnibus pertinentiis suis eidem contulit monasterio, iam per aliquot annorum curricula propter frequentes et diuturnos latrocinantium insultus incultam iacere

256. e) ‚omnino — paginam' *om. R.* — f) *reliqua formulae pars tantummodo voce* ‚etc' *indicatur in R.* — g) ‚autem — incursurum' *tantummodo voce* ‚etc.' *indicantur in R.* — h) ‚pont. — nostri' *desunt in R.*

et in solitudinem redactam nichil utilitatis seu commodi temporalis sibi vel aliis ministrare. Nos igitur quoniam regie maiestati nostre competit ipsorum iniurias, dampna, lesiones oculo clementiore respicere, perspecta corrigerre et ne vacillent ulterius precavere: de eorum consilio et unanimi consensu fidelem baronem nostrum Rathymirum elegimus, qui ad locum memoratum colonos vocare, villas locare et inibi commorantes ab incursantium iniuriis debeat defensare. Predictus ergo baro noster nostris iussionibus gratanter prebens assensum, pro consequenda suorum venia peccatorum conplendum fideliter suscepit opus iniunctum, ea tamen conditione, ut summam proventuum et utilitatem villarum, quas ibidem locare potuerit, quoad vixerit, plene et integraliter consequatur; ipso vero defuncto, tam possessio quam possessionis utilitas ad possessores pristinos revertatur. Ne autem fraudis aut doli possit argui, villam suam Hůgiezt post mortem suam eorumdem fratrum usibus assignavit; insuper in allodio, quod in bonis ipsorum Thyskowe promisit exstruere, duas araturas, duodecim vaccas, oves LX, quas de facultate propria conparavit. Excipiunt etiam ipsi fratres fenum, quod curie ipsorum Scesszinge possit sufficere, in eadem secandum et colligendum possessione. Ligna quoque de adiacenti nemore suo, quamdiu sepe nominatus baro vivit et possidet, in varios usus ecclesie, sicut et antea, volunt excidere; et ne uxor eius, liberi, fratres aut propinqui post mortem ipsius, in villis, agris, nemoribus aut pratis sibi per fraudem aut violentiam quicquam audeant usurpare, vetantur huius privilegii nostri testimonio et suscriptorum testium auctoritate: Martinus canonicus et prepositus Sathensis, Bohůtha prepositus Bolizlauensis, Hermannus notarius regis, Divvis canonicus Wissegradensis, Bohůzlaus camerarius, Divvis marscalcus, Henricus dapifer, Jaros maior, Borutha et filius eius Borutha, Witigo iunior, Zawis filius Witigonis senioris, Zavvis iudex curie, Beneda filius Styboronis, Styzlaus Cozstica, Zbramir iudex Půlznensis, Hermannus et Budizlaus filii Jarozlai, Odolen filius Bůrsonis. Datum in Creůplath per manum domni Benedicti cancellarii, anno incarnationis Domini MCCXXIIII, indictione XII, anno regni nostri XXVI, XI kalendas iulii.

Sigillum, quod autographo e filis sericis appendebat, iam avulsum et deperditum est.

259.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio Břevnovensi privilegium tuitionis ab Johanne XV papa quondam concessum transscribi facit atque confirmat.

Pragae 1224 iul. 24.

Charta autographi instar in membrana manu saec. XIII scripta in tabulario monasterii Břevnovensis asservatur (A). — Apographum eius insertum est confirmationi Karoli IV datae Pragae 1351 ian. 14, cuius autographum in eodem tabulario asservatur.

Ziegelbauer, Epitome hist. monasterii Brevnov, pag. 251, num. 6 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 158, num. 155 (fragm.), = Erben, Reg. Boh. I, pag. 316, num. 685.

Chartam scriba scripsit, quem ‚Otakarus 26' notamus; cuius scribae manus in nullo alio eiusdem regis diplomate autographo deprehenditur. Scriba e monachorum Břevnovensium numero fuisse videtur. Quamvis igitur diploma re et veritate autographum esse sola scriptura necessarie demonstrari non possit, tamen illius partis, quae est usque ad verba „et alii quam plures“, *origo genuina in dubitationem vocari nequit, cum diplomatibus num. 217, 238, 265, 287 aliis collatis. ab Hermanno notarii regio compositum esse certissime appareat. Diplomatis extrema pars, quae verbis* „Ad hec eciam“ *incipit, eadem quidem manu scripta est atque atramenti mutationis ibidem haud quidem vestigia reperiuntur; quod autem post testium nomina adscripta est, suspicio partem illam diplomatis auctore nesciente, aliquanto post insertam esse haud reici potest.*

In nomine sancte et individue trinitatis. Ottacarvs, qui et Premizl, Boemorum rex. Sicut vetus homo per fidem novus efficitur et baptismum, sic quevis actio ‖ sive factum vetustate nimia demolitum, cuius eternalis memoria potuisset de facili momentanéé irrecuperabiliter deperire, per scripti annotacionem dilucidam sigillique roboracionem perspicuam ad instar ‖ vetusti hominis per regenerationem novum efficitur atque recens ita, ut, si post annorum decursa quam plurima curricula cuiquam exhibitum fuerit dubitanti, omnem ambigue mentis caliginem procul ‖ pellet; nam perpetuo vivit littera roborata, vivit eciam eidem littere pie actio commendata. Notum siquidem facimus universis tam presentibus quam futuris, quod olim pater noster, venerabilis patronus sanctissimusque Pragensis ecclesie pontifex Adalbertus a prima fundatione cenobii Brevnovensis ex consensu et voluntate predecessoris nostri bone memorie ducis piissimi Bolezlai privilegium super abbatis prerogativa honoris dignitate, qua erat pre aliis Boemie abbatibus decoratus, iure ac libertate personarum et rerum cenobii antedicti a sanctissimo patre Johanne papa impetraverat in hunc modum: Johannes episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis Anastasio abbati *etc.*[1] Et quia idem privilegium, ut mos fuit hominum temporis illius, in carta iuncea sive scirpea scriptum erat et in parte magna vetustate nimia iam consumptum, ádeo quod propter attricionem eiusdem carte in quibusdam locis vix littere apparebant, accedens ad nos venerabilis abbas supradicti monasterii, Dlugomilus nomine, presentavit nobis privilegium supra scriptum supplicans humiliter et devote, ut idem iuberemus perlegi coram nobis et in rescripto redigi, approbantes et ratum habentes, quicquid in eodem privilegio contineretur, et quod idem nostri sigilli robore muniremus ad perpetuam memoriam hominum conservandam. Nos vero antedicti abbatis honestis precibus, prout iustum fuerat, inclinati, de manu ipsius in manus nostras recepimus privilegium prenotatum. Cuius, ut prediximus, carta erat confecta iuncea sive scirpea de medulla, ad quod eciam bulla sanctissimi patris Johannis pape, cuius erat privilegium, cum filo integro pariter dependebat. Quod nos perlegi coram nobis fecimus quam pluribus ibidem astantibus ipsiusque continenciam intelleximus diligenter. Et ne tam honesti privilegii

259. 1) *Sequitur privilegium Johannis XV papae, datum Reatae 993 maii 31, cuius verba dedimus in Cod. dipl. Boh. I, pag. 44, num. 38.*

eternali memoria dignus tenor miserabiliter deperiret, ipsum huic nostro scripto, ut in eadem vetustissima carta continebatur, inseri fecimus, acceptantes, approbantes et ratum habentes, quicquid in eadem plenius continetur, ipsumque verax esse asserimus, bona fide coram deo et hominibus eidem testimonium perhibentes. Ad huius itaque nostre acceptationis, approbationis, rati habitionis et testimonii perpetuam memoriam et inviolabile firmamentum presentem paginam per Hermannum nostrum notarium conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum Prage per manum Benedicti, cancellarii curie nostre, prepositi Luthomiricensis, nono kalendas augusti, incarnationis dominice anno millesimo $\overset{o}{\mathrm{C}}$CXXI$\overset{to}{\mathrm{I}}$II, regni nostri deo propicio anno sexto,[a] in presencia Wenцezlai filii nostri senioris, ducis Plizensis et Budesensis[b] et alterius filii nostri iunioris Wladizlai seu et Heinrici, marchionis Morauie, qui in huius rei testimonium sigilla sua fecerunt apponi. Ad hoc eciam vocavimus et rogavimus venerabiles patres nostros dominum Pelegrinum episcopum Pragensem et dominum Robertum episcopum Olomucensem, ut ipsi huius nostre renovationis essent testes et eius violatores, si moniti nollent satisfacere, excommunicarent et excommunicatos denunciarent, et in huius rei testimonium sigilla sua apponerent, quod et fecerunt. Insuper hii, ut testes essent, affuerunt: Arnoldus Wissegradensis prepositus, Bvdiwoy comes, Dalebor, Martinvs, Bohusse, Jaros, Benes, Zlavek, Groznata, Wsebor, Zauisse, Witko, Heinricus dapifer, Coiata subdapifer, Heinricus filius Bohute, Olricus filius Jvrich, Zbramir iudex de Plyzen, Wlastizlau iudex Churimensis, Bauvor, Mstidrud burcravius Pragensis et alii quam plures.[c]
⟨Ad hec eciam coram eisdem testibus ad instantem peticionem venerabilis viri Dlvgomili, abbatis de Brevnov, quosdam homines asscriptos glebe, quos bone memorie Brecizlaus, serenissimus dux Boemie, in tribus villis ad regiam mensam in victualibus dandis specialiter pertinentibus, videlicet in Bvdegostich, Nvthomicih et in Segrovich ob remedium anime sue monasterio Brevnovensi dedit perpetuo possidendos, ad vicina predia eiusdem monasterii, ne a beneficiariis et a villicis nostris diversimode et intollerabiliter de cetero ledantur, de villis supra nominatis fecimus transire, firmiter statuentes, ut dicti homines posterique ipsorum ab omni lege provinciali totaliter exempti, sicut in prefati ducis privilegio scriptum habetur,[2] domino abbati et fratribus suis ipsorumque successoribus libere deserviant. Ipsis quippe villis de novo fundatis propter maiorem memoriam nova nomina taliter inposuimus, scilicet, ut illa villa, que sita est prope Bvdegostich, Camenice vocetur, et que prope Nvthomicih, Gole dicatur, que vero prope Segrovich, nomen Lodinnice sorciatur.⟩

259. *a) ita A; recte* ‚vicesimo sexto'. — *b) genuine* ‚Budis.', *sed eodem atramento statim corr. A.* — *c) Quae subsequuntur, eadem manu eodemque fortasse atramento scripta sunt A.*

2) *Verba haec ad Břetislavi ducis privilegium spurium, quod in Cod. dipl. Boh. I, pag. 353, num. 379 dedimus, referenda esse non videntur, cum privilegium illud saeculo XIII exeunte demum confectum sit.*

Autographo appendent quinque sigilla: 1) *Sigillum Roberti episcopi Olomucensis de cera rubra confectum, quod ad eandem formam revocandum est atque primum chartae num. 78 sigillum, appendet e filis sericis albis et rubris.* — 2) *Sigillum formae ex longo rotundae de cera fusci coloris appendet e filis sericis albis flavis et violaceis. In sigilli medio figura episcopi stantis conspicitur, qui infula capiti imposita, manu sinistra pedum tenet, dextra elata benedicit. Circumscriptio:* + S PEREGRINI DEI GRATIA PRAGENSIS EPI. — 3) *Bulla aurea formae rotundae, cuius diametros 75 mm sunt. In priore bullae parte rex depingitur in solio sedens, qui corona capiti imposita manu sinistra pomum cum cruce, dextra vero sceptrum tenet. Circumscriptio:* + PAX REGIS OTACARI · IN OIANV SCI WENCESLAI. *In altera bullae parte depingitur s. Venceslaus in solio sedens, qui manu dextra vexillum cum hasta tenet, sinistra palmam gerens scuto innititur, in quo insigne aquillae conspicitur. Circumscriptio:* + SANCTVS WENCESLAVS · BOEMORVM · DVX. *Figurae in utraque bullae parte expressae non nisi paulum ab illis differunt, quae in sigillo diplomatis num. 264 conspiciuntur.* — 4) *Sigillum Otakari regis, quod ad eandem formam revocandum est atque sigillum diplomatis num. 57, de cera rubri coloris confectum appendet e filis sericis flavis et rubris. Quod quidem sigillum ex alio eiusdem regis diplomate avulsum et hic alligatum est; genuine hoc loco sigillum proxime sequens appensum fuisse, haec nota, manu saec. XIV in membrana replicata scripta, demonstrat:* „Wencezlay filii Ottakari." — 5) *Sigillum rotundum (diametros fere 80 mm) de cera fusci coloris confectum, cuius pars defracta desideratur, appendet e filis sericis flavis et rubris. In sigillo eques galeatus depingitur, qui manu dextra hastam cum vexillo, sinistra vero scutum, cuius insigne aquilla est, pro pectore tenet. Circumscriptio:* + WENCEZLAVS : DEI : GRA : PILSNENSI /// ....IS · DVX. *Sigillum hoc genuine loco sigilli 4 appendebat. Vestigia, quae in parte aversa apparent, partem cerae excissam fuisse ostendunt, ut filis extractis sigillum resolveretur. Genuine hoc loco Henrici Vladislavi II, marchionis Moraviae, sigillum appensum fuisse, haec nota docet, quae manu saec. XIV in membrana replicata scripta est:* „Wladyslay etiam filii Ottakari"; *quod quidem sigillum iam non exstat.*

260.

Honorius III papa Nepomucensem et Ostrovensem abbates et praepositum Olomucensem capitulo Pragensi ad novi episcopi electionem consiliarios constituit.

Laterani [1224] oct. 4.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. V, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. tom. XIII) asservatur, fol. 6r—6v, lib. IX, ep. 24 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 24, num. 98 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 158, num. 156. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 318, num. 688 (fragm.) — Horoy, Honorii III Opera, tom. IV, pag. 702, num. 13 — Potthast, Reg. pontif., num. 7302 — Pressutti, Reg. Honorii III, t. II, 271, num. 5119.

.. de Nepomuch Cisterciensis ordinis et .. de Ostrou abbatibus, Pragensis diocesis, et .. preposito Olomucensi.[a] Attendentes multum expedire Pragensi

260. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R.*

ecclesie, ut bone[b] memorie ..[1] Pragensis episcopus, qui usque ad mortem pro eius libertate certavit, virum experte probitatis habeat successorem, Pragensi capitulo in celebranda electione pontificis vos, de quorum providentia gerimus fiduciam specialem, consiliarios duximus providendos eisque per scripta nostra mandavimus, ut cum consilio vestro personam, que tanto congruat oneri et honori, sibi eligant in episcopum et pastorem ac eum cum aliquot ex electoribus eius examinandum et confirmandum ad nostram curent presentiam destinare. Ideoque discretioni vestre presentium auctoritate mandamus, quatinus ad ipsam ecclesiam accedentes, studeatis solum deum habere pre oculis, ut talis in eius eligatur episcopum, quod eum apostolica sedes debeat merito approbare. Quod si non omnes hiis[c] exequendis non potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum[d] Laterani, IIII nonas octobris, anno nono.

261.

Honorius III papa capitulo Pragensi scribit, se ei ad novum episcopum eligendum de Nepomuk et de Ostrov abbates et prepositum Olomucensem consiliarios constituise, mandatque, ut electum ad praesentiam suam examinandum et confirmandum destinent. *Laterani [1224] oct. 4.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine V, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. t. XIII) asservatur, fol. 6r, lib. IX, ep. 23 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 24, num. 97 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 159, num. 157 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 317, num. 687 (frgm.) — Potthast, Reg. pontif., num. 7303 — Pressutti, Reg. Honorii III, t. II, pag. 271, num. 5118.

Capitulo Pragensi.[a] Novit vestra discretio illius zeli fervorem illamque mentis constantiam, quam in prosecutione libertatis ecclesiastice habuit et exhibuit bone memorie A., Pragensis episcopus, qui secutus illud sapientis consilium pro iustitia agonizare usque ad mortem,[1] laboribus, inedia et proprie abiectione persone contentis,[b] pro ipsa ecclesiastica libertate usque ad ultimum vite diem

260. *b) litterae* ‚bo' *ex* ‚me' *eodem atramento correctae sunt R.* — *c)* ‚hiis — exequantur' *compendio* ‚etc' *tantum indicantur in R.* — *d)* ‚Datum ut supra' *R; supplevi e registri epistula 23 (v. infra num. 261).*

1) *Andreas; obiit die 30 iul. a. 1223. Annales Boh. ap. Emler, Fontes r. Boh. II, pag. 284 obitum eius ad a. 1224 referunt; quod testimonium autem nihili habendum est, cum temporis rationes, quas Annales sequuntur, passim gravissimis redundent erroribus. In necrologio Claustroneuburgensi obitus eius ad iulii diem 30 his verbis adnotatur:* ‚III kal. aug. Andreas frater noster, Pragensis episcopus'; *v. Fischer, Merkw. Schicksale d. St. Klosterneuburg II, pag. 109. Andreae successor Peregrinus iam a. 1223 oct. 1 et 1224 iul. 24 commemoratur (v. supra pag. 242, lin. 1 et pag. 250, lin. 14). Mirum quod papa simulat se de Peregrini electione nihil comperisse.*

261. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.* — *b) genuine* ‚contentis *(pro* contemptis*)* persone', *sed signis corr. R.*

1) *Cf. Ecclesiast. IV, 33.*

indefesso animo decertavit. Quia igitur sollicita est diligentia providendum, ne vir tante virtutis indignum accipiat successorem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus cum consilio dilectorum filiorum .. de Nepomuch Cisterciensis ordinis et .. de Ostrou abbatum, Pragensis diocesis, et .. prepositi Olomucensis, quos vobis consiliarios providimus in hac parte, personam scientia, vita et fama preclaram tantoque honori et oneri congruentem vobis eligatis canonice in episcopum et pastorem, ac, ne providentie necessarie quicquam desit, eum, quem duxeritis eligendum, cum aliquot ex electoribus eius ad nostram examinandum et confirmandum presentiam destinetis. Datum Laterani, IIII nonas octobris,[c] anno nono.

262.

Honorius III papa Sigifrido II, archiepiscopo Maguntino, significat se capitulo Pragensi abbates de Nepomuk et Ostrov atque praepositum Olomucensem consiliarios ad novum episcopum eligendum constituisse eisque mandavisse, ut electum ad praesentiam suam examinandum et confirmandum destinent; quod factum ut patienter sustineat, mandat. *Laterani [1224] oct. 4.*

Epistulae argumentum exstat in Honorii III regestorum volumine V, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. t. XIII) asservatur, fol. 6r, lib. IX, ep. 23 a.

Würdtwein, Nova subsidia dipl. IV, pag. 130 — Horoy, Honorii III Opera, tom. IV, pag. 703, num. 14 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 318, ad num. 687 (frgm.) — Potthast, Reg. pontif., num. 7304 — Böhmer-Will, Reg. arep. Magunt. II, pag. 188, num. 474 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 5118.

..[1] archiepiscopo Maguntino.[a] Novit fraternitas tua illius zeli fervorem illamque mentis constantiam, quam in prosecutione libertatis ecclesiastice habuit et exhibuit bone memorie A., Pragensis episcopus, qui secutus illud sapientis consilium pro iustitia agonizare usque ad mortem,[2] laboribus, inedia et proprie abiectione persone contentis, pro ipsa ecclesiastica libertate usque ad ultimum vite diem indefesso animo decertavit. Quia igitur sollicita est diligentia providendum, ne vir tante virtutis indignum accipiat successorem, dilectis filiis capitulo Pragensi nostris dedimus litteris in mandatis, ut cum consilio dilectorum filiorum .. de[b] Nepomuch Cisterciensis ordinis et .. Ostrou abbatum Pragensis diocesis et .. prepositi Olomucensis, quos eis consiliarios providimus in hac parte, personam scientia, vita et fama preclaram tantoque honori et oneri congruentem

---

261. *c)* ‚octubris' *R.*

262. *a) Prior epistulae pars verbis tantum:* ‚In eundem modum scriptum est .. archiepiscopo Maguntino, usque: successorem' *indicatur R.* — *b) pro* ‚.. de Nepomuch — presentiam' *in R legitur:* ‚etc. usque: destinare procurent.'

1) *Sigifrido II.* — 2) *Cf. Ecclesiast. IV, 33.*

sibi eligant canonice in episcopum et pastorem, ac ne providentie necessarie quicquam desit, eum quem duxerint eligendum, cum aliquot ex electoribus eius ad nostram examinandum et confirmandum presentiam[b] destinare procurent. Cum ergo id pensato statu Pragensis ecclesie faciamus sine tui iuris preiudicio vel honoris, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus factum huiusmodi tua sustineat caritas patienter. Datum[c] Laterani, IIII nonas octobris, anno nono.

263.

Honorius III papa Otakaro, regi Bohemiae, significat, se capitulo Pragensi de futuri episcopi electione scripsisse, eumque hortatur, ut in hoc eis, si opus fuerit, favorem et auxilium regium impendat. *Laterani [1224] oct. 7.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. V, quod in tabulario Vaticano secreto (inter Reg. Vatic. tom. XIII) asservatur, fol. 6v, lib. IX, ep. 25 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 24, num. 99 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 318, num. 689. — Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Rom. sel. (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 186, num. 259. — Potthast, Reg. pontif., num. 7306, — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 5121.

.. Illustri regi Boemie.[a] Quod super ecclesiastica libertate longam habuisti cum bone memorie Andrea Pragensi episcopo[1] questionem, non tam culpa[b] tua, quam aliorum malitia te ad id pravis suggestionibus incitantium credimus evenisse, cum intellexerimus tum per alios, tum specialiter per dilectum filium nostrum G.[2] de Crescentio, sancti Theodori diaconum cardinalem, qui cum in regno tuo gesserit legationis officium, plenius tuam benignitatem agnovit, te sicut regem decet mansuetum habere animum et clementem, ac etiam libertatis ecclesiastice, nisi quantum pateris te aliena subverti malitia, zelatorem. Cum igitur eodem episcopo rebus humanis exempto, pro celebranda electione futuri pontificis capitulo Pragensi scripserimus, prout pensato rerum statu vidimus expedire, serenitatem tuam hortamur attentius et fiducialiter deprecamur, quatinus in hoc eis, si opus fuerit, ita regium favorem impendas, cohibendo regaliter, si quis forte difficultatis obstaculum opponere attemptaret, quod salubre mandatum nostrum celerem consequatur effectum, et nos devotionem regiam merito debeamus in Domino commendare. Datum Laterani, nonis octobris,[c] anno nono.

264.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterium sancti Georgii Pragense exactione, quae ‚pojezda' vocatur, eximit. *Apud Strahov 1224 oct. 11.*

---

262. *c)* ‚Dat. ut supra' *R; supplevi ex ep. 23 regestri (v. supra num. 261).*

263. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R.* — *b)* ‚culpam' *R.* — *c)* ‚octub' *R.*

1) *Obiit 1223 iul. 30.* — 2) *Gregorium.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A).

Hammerschmidt, Hist. s. Georgii, pag. 32 — P. Raymund von der hl. Elisabeth, Klosterstift St. Georgen, pag. 365, = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 159, num. 158 (fragm.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 319, num. 690 (fragm.).

Autographum manu scribae, quem nota ,Otakarus 18' signavimus, exaratum est; de quo vid. prooemium diplomatis num. 229.

‡ In nomine sanctę et individuę trinitatis amen.[a] ‡ Nos Otacarvs, dei gracia Boemorum rex, dilecte sorori sue Agneti, sancti ‖ Georgii abbatisse, et monasterio ipsius imperpetuum. Non meretur rex esse nec regis vocari nomine, qui celesti regi suisque cęlicolis, qui adhuc militant in terra, se ipsum non inpendit ‖ largiendo sua et ab aliis collata conservando et libertatem omnimodam tribuendo. Eapropter nos serenissimi patris nostri Wladizlai, quondam regis Boemię, qui magnorum monasteriorum funda‖tor extitit et pius defensor, quantum possumus cum deo, vestigiis inherentes, tibi, soror dilectissima, et per te monasterio tuo sancti Georgii, quod est Prage in castro, pro animę nostrę remedio et parentum nostrorum nec[b] non pro amore tuo[c] hanc in perpetuum concedimus libertatem, ut castellanus Wisegradensis, qui modo est vel qui pro tempore fuerit, exactiones turpes, que vulgari vocabulo poiezda vocantur, paganorum pocius quam christianorum, in villis dicti monasterii, quas in presenti possidet vel in posterum iustis modis poterit adipisci, exigere de cetero non presumat, exceptis duodecim denariis publicę monetę semel in anno de quolibet manso illarum villarum, que tali vexacione primitus vexabantur. Si quis autem heredum vel successorum nostrorum contra hoc privigilegium[d] ausu temerario venire presumpserit, maledictionem paternam pro benedictione recipiat et ulcioni divine ac Jehennę ignibus deputetur. Verum si dictus castellanus hanc concessę libertatis paginam diabolo suggerente infregerit, nostrę vel successorum nostrorum camere libram auri persolvat et amplius nichil iuris habeat in eisdem[e] villis, episcopus vero Pragensis eundem castellanum cogendi ad predicta observanda per censuram ęcclesiasticam liberam habeat facultatem.[f] Actum publice aput Ztragov anno dominicę incarnacionis millesimo CCXXIIII, indictione XII, concurrente[g] ,V idus octobris, pontificatus domini Honorii pape III anno VIIII, regnante illustrissimo Romanorum imperatore et rege Sicilie Friderico anno IIII.[h] Huius rei testes sunt videlicet:[i] filius noster Wladizlaus marchio Morauię, Arnoldus decanus et Orso canonicus Pragenses, dominus Jaros, dominus Budiwoy, dominus Borvta, dominus Vitco et Heinricus filii Witconis, Bogvzlaus camerarius

264. *a) Sequitur spatium 27 mm. vacuum relictum A. — b)* ,nec' *eadem manus eodem atramento in fine lineae addidit A. — c)* ,non pro amore tuo' *eadem manu eodem atramento superscripsit A. — d) ita A. — e) litterae* ,eis' *eadem manu eodemque atramento in loco raso scriptae sunt A. — f) Reliquum lineae spatium 31 mm continens vacuum relictum est A. — g) Sequitur spatium 11 mm, quo numerus (I) suppleretur A. — h) Sequitur spatium 45 mm continens vacuum relictum A. — i) ante et post* ,videlicet' *locus rasus duarum fere litterarum A.*

noster, Mztidrug castellanus Pragensis, Groznata subcamerarius noster, Wata et Boguzlaus frater eius de Wranov castellani, Bogvzlaus de Wranov castellanus, Zawise filius Witconis, Wipertus, Ypolitus, Hermannus, Diuinus et alii quam plures ad hoc testes advocati. Ut autem hec nostra donacio rata sit et firma, hanc paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam.

Autographo appendet e filis sericis viridis et rubris sigillum formae rotundae de cera naturali confectum, duo latera habens, cuius diametros sunt 74 mm. In priori sigilli parte rex depingitur in solio sedens, qui corona capiti imposita manu sinistra pomum cum cruce, dextra vero sceptrum tenet. Circumscriptio: ✠PAX · REGIS OTACARI · IN MANV · SCI · WENCESLAI. *In altera sigilli parte depingitur s. Venceslaus in solio sedens, qui manu dextra hastam cum vexillo tenet, sinistra palmam gerens scuto innititur, in quo insigne aquillae conspicitur. Circumscriptio:* ✠SANCTVS · WENCESLAVS · BOEMORVM · DVX. — *Sigilli imaginem praebet Kalousek, Obrana sv. Václava ed. 2, pag. 130. — Figurae in utraque sigilli parte expressae ad similitudinem illarum proxime accedunt, quae in aurea bulla diplomatis num. 258 depinguntur.*

265.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, civitati suae Opaviae bona et villas, quarum nomina adferuntur, donat eiusque civium iura constituit.

In Hulín 1224 —.

Apographum saec. XVII (a. 1616 confectum) exstat in Libro privilegiorum civitatis Opaviae, qui in Musaeo eiusdem civitatis asservatur (B).

Tzschoppe u. Stenzel, Urkundensammlung z. Gesch. d. Ursprungs d. Städte ... in Schlesien, pag. 284 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 155, num. 153, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 317, num. 686 (frgm.) — Kopetzky, Reg. z. Gesch. d. Hzgt. Troppau (in Arch. f. österr. Gesch., tom. 45, pag. 106) num. 22 — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch., num. 280.

Diploma ab Hermanno notario verbis contextum esse, stili proprietates quaedam demonstrant, quae in aliis diplomatibus per manum eius datis repetuntur (cf. num. 199, 218, 259 al.) — Notarii ipsius manu procul dubio etiam autographum, quod iam deperditum est, scriptum erat. — In temporis nota indictio perperam numero XIII expressa est, quod notarii vitio iam in autographo scriptum fuisse verisimile est (cf. num. 196).

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Ottacarius, qui et Praemislaus, dei gratia Boemorum rex. Contingit plerumque donationes legitimas factaque hominum celebrata sollemniter immutari, nisi testimonio proborum et sigillatis litteris roborentur; vivit enim littera et actio litterae commendata. Notum itaque facimus universis tam praesentibus quam futuris, quod nos volentes nostram civitatem Oppaviam nomine ampliare[a] divitiis et honore pariter et decore, ut et per hoc nostra atque nostrae prolis et eius successorum utilitas augeatur, eiusdem civitatis habitatoribus tam modernis quam futuris quoddam ius et quaedam bona dedimus tam nostra propria quam commutata, et quaedam etiam,

265. a) ‚amplificare' *B; correxi autographi num. 278 auctoritatem secutus.*

quae ad castrum nostrum Gradecz nomine pertinebant, dedimus perpetuo pacifice possidenda, ut in praesenti pagina seriatim et plenius continetur. Inprimis statuimus et ab omnibus volumus inviolabiliter observari, quod a fossato praefatae civitatis infra unum miliare tabernae nullae prorsus fiant, sed omnes penitus deponantur, exceptis illis, quae sunt in dotibus ecclesiarum. Et quod civis Oppaviensis in Lubschicz teloneum non persolvat, et tunc etiam non solvat, cum vinum ducit in Poloniam ad vendendum; sua quoque bona, secundum quod ipse possidet, dummodo sibi placeat, sine impedimento aliquo vendat libere cuicunque velit. Praeterea damus antedictae civitati nostram propriam villam nomine Andreowicz cum omnibus suis attinentiis, et aliam villam Lutconis,[b] nomine Lubomirici, cum suis omnibus attinentiis, quam commutavimus cum alia villa nomine Crawar; item aliam villam, quae fuit filii Petri cum suis omnibus attinentiis, quae in vulgari Slawikowawes nominatur; et ab hac parte aquae Hosdnicz nomine ea bona, quae ad nostrum castrum, Gradecz videlicet, cum omnibus suis attinentiis pertinebant, scilicet Napsdicari et Drahul. Ad haec bona Prosimiri venatoris, quae commutavimus cum dimidia villa nomine Lechsdorff, concedimus et donamus sine impedimento aliquo in perpetuum pacifice possidenda. Ad huius itaque nostrae donationis et confirmationis perpetuam memoriam et inviolabile firmamentum praesens privilegium conscribi fecimus et nostri atque filiorum nostrorum sigillis munimine roborari, statuentes, ne liceat cuiquam hominum hoc tam sollemne nostrum factum immutare vel ei ausu temerario contraire; si quis autem nostrorum nobilium attemptaverit immutare, C marcas auri pro poena regali nostrae camerae componat. Huius rei testes sunt: Rupertus episcopus Olomucensis, Arnoldus praepositus Wissegradensis, Bawarus camerarius Olomucensis, Zawiss et frater eius Stiborius, Henricus filius Witkonis et frater eius Witko, Bohuslaus filius Slauconis, Coiata filius Grabise, Witko castellanus de Gradecz, Stephanus de Metlow, Holach castellanus Olomucensis, Zemislaus, Onso et frater eius Victor, Woco filius Borut, Zlatoslaus subpincerna, Zwoyse[c] subdapifer, Petrus filius Bohute et frater eius Nicolaus, Sueslaus camerarius de Brumow. Datum in Hulin per manum Hermanni notarii, anno incarnationis dominicae millesimo ducentesimo vigesimo quarto, indictione XIII.[d]

266.

Waltherus, episcopus de Carlisle, Henrico III, regi Angliae, significat, quae cum Engelberto, archiepiscopo Coloniensi, de negotiis imperii egerit; inter alia de Otakaro rege Bohemiae refert. *[1225 cc. febr. 10].*

Autographum in tabulario regio Londinensi (Royal Letters N⁰ 390) asservatur (A).

Shirley, Royal and other historical letters illustrative of the reign of Henry III (Scr. rer.

265. *b)* ‚Lutronis' *B.* — *c)* ‚Woyse' *B.* — *d) ita B; ad annum 1224 indictio XII pertinet.*

Brit. num. 27) tom. I, pag. 249, num. 213 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10934. — Cf. Winkelmann, Kais. Friedrich II, tom. I, pag. 454 sq.

Excellentissimo domino suo Henrico, dei gratia illustri regi Anglie, domino Hibernie, duci Normannie, Aquitanie et comiti Andegavie, suus devotus in omnibus W.[1] eadem gratia Karleolensis episcopus, salutem et prosperos ad vota successus. — — [Archiepiscopus Coloniensis] itaque per dietam unam ad nos revertens, significavit nobis, ut die Veneris proxima[2] apud quandam abbatiam, que vocatur Audenesburg,[3] ei occurreremus. Quem cum ibi invenissemus, ipsum ex parte vestra salutavimus, gratias ei referentes de amicitiis et honoribus vobis exhibitis et maxime de eo, quod permittere noluit, ut aliqua confederatio fieret inter imperium et regnum Francorum. Ipse vero nobis respondit, quod nescivit, qualiter hoc acciderat, sed semper bonum affectum habuerat negotia vestra promovendi, et quod inimicitias regis Francorum[4] et regis Boemie et aliorum plurimorum magnatum pro vobis incurrerat. — — His auditis, nuntium vestrum ei exposuimus, dicentes ei, quod vos tam de maritagio corporis vestri quam sororis vestre consilio illius parebitis; ad quod respondit consilium suum esse, ut talem et tantam oblationem faceremus, quod dominus imperator[5] non debeat eam repudiare. Dixit etiam periculum esse in mora; rex enim Francorum magnam pecuniam ei obtulit, ut confederationem filii sui habeat et negotium nostrum impediat. Ex altera parte dux Bawarie[6] venit cum maxima pompa ad colloquium Ulme[7] et obtulit pro maritagio filie regis Boemie,[8] que est neptis ipsius, quindecim milia marcarum ultra oblationem triginta milium marcarum, quam ipse rex Boemie prius obtulerat. Sed rex Almannie[9] respondit ei, quod nunquam eam duceret. Preterea adiecit, quod rex Hungarie[10] misit ad dominum imperatorem et pro maritagio filie sue obtulit ei pecuniam maximam. Ipse vero non sitit nisi pecuniam, ut illam accumulet; unde consuluit, ut nos sub festinatione talem oblationem offerremus, qualem acceptare deberet. — —

267.

Honorius III papa Sigifridum II, archiepiscopum Maguntinum, graviter reprehendit, quod Peregrinum, electum episcopum Pragensem, contra mandatum apostolicum consecraverit; quem ut in festo sancti Michaelis proximo ad sedem apostolicam accedere compellat, mandat. *Laterani [1225] mart. 20.*

Apographum exstat in Honorii III regestorum volumine V, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XIII) asservatur, fol. 44^{v}—45^{r}, lib. IX, ep. 246 (R). — Alterum apographum praebet Nicolai de Bohemia Chronicon, cuius cod. ms. saec. XV in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur, pag. 272—274 (C).

---

266. 1) *Waltherus Mauclerc.* — 2) *die 7 februarii.* — 3) *Altenberg in Saxonia.* — 4) *Philippi II.* — 5) *Fridericus II.* — 6) *Ludovicus.* — 7) *mense ianuario fere medio a. 1225; vid. Reg. imp. V, num. 3958 a.* — 8) *Agnetis.* — 9) *Henricus VII.* — 10) *Andreas II.*

Palacký, Ital. Reise, pag. 24, num. 100 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 160, num. 159 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 319, num. 691 (fragm.) — Horoy, Honorii III Opera, t. IV, pag. 819, num 119 — Potthast, Reg. pontif., num. 7385 — Pressutti, Reg. Hon. III, t. II, pag. 321, num. 5395 (reg). — Böhmer-Will, Reg. arep. Magunt. II, pag. 189, num. 487. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6601. — Cf. Frind, Kirchengesch. Böhm. II, 23 et 119.

Prior litterarum pars repetit verba fere omnia epistulae, quam papa a. 1224 oct. 4 ad capitulum Pragense misit (v. supra num. 261).

..[1] archiepiscopo Maguntino.[a] Nimis grave dispendium immineret[b] ecclesiis, si prelatis decedentibus perirent quoque prosecutiones causarum inceptarum pro tuitione iuris et honoris ecclesiastici ab eisdem. Attendentes siquidem zeli fervorem et illam mentis constantiam, quam bone memorie Andreas, Pragensis episcopus, habuit et exhibuit in prosecutione ecclesiastice libertatis, pro qua laboribus et proprie persone abiectione contemptis, usque ad ultimum vite diem indefesso animo decertavit, ac satagentes, ut talis substitueretur eidem, qui causam, quam prosequi sic constanter inceperat, pari vigore animi susciperet prosequendam, mandavimus Pragensi capitulo,[2] ut cum consilio dilectorum filiorum ..[c] de Nepomuc, Cisterciensis ordinis, et ..[c] de Ostrou abbatum * et ..[c] prepositi Olomucensis, quos eis provideramus consiliarios in hac parte, personam scientia, vita et fama preclaram tantoque congruentem oneri et honori sibi eligerent canonice in episcopum et pastorem, ac ne quid[d] deesset necessarie providentie, illum quem in episcopum suum eligerent, cum aliquot ex electoribus eius ad nostram examinandum et confirmandum presentiam destinarent. Tibi quoque dedimus in mandatis,[3] ut id equanimiter tolerares, cum nostre intentionis[e] non esset derogare[f] iuri tuo in aliquo vel honori, sed providere, sicut status temporis exigebat,[g] ut dignum haberet idem episcopus successorem. Ipsi vero antequam ad eos mandatum apostolicum pervenisset, P.[h] canonicum ipsius ecclesie in episcopum suum, sicut accepimus, elegerunt, tuque ipsorum electionem nondum recepto mandato apostolico confirmasti. In quo quidem non es aliquo modo culpabilis, dummodo universa, que debent, in electi persona et ipsa electione concurrant; quod non consuevisti satis diligenter attendere, sicut Padeburnensis[k] ecclesie negotium manifestat.[4] In eo autem es[l] plane ac plene culpabilis et inexcusabilis prorsus, quod postquam predictum recepisti mandatum, ad consecrationem eius procedere presumpsisti, cum scire deberes maius tibi concessum[m] non esse, ubi minus nobis reservatum fuerat et tibi per consequens interdictum. Penam autem excessus huiusmodi suo loco et tempori reservantes, per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus dictum P.[h] in festo sancti Michaelis proximo,[n,5] quod sibi a te volumus terminum peremptorium

267. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R;* ‚Honorius papa archiepiscopo Moguntiñ' *C.* — *b)* ‚imminet' *C.* — *c)* ‚N' *C.* — *d)* ‚neqt' *R.* — *e)* ‚intentioni' *R.* — *f)* ‚derogari' *C.* — *g)* ‚exigerat' *C.* — *h)* ‚Peregrinum' *C.* — *i)* ‚tu quoque' *C.* — *k)* ‚Padeburgeñ' *C.* — *l)* ‚In eo non es' *C.* — *m)* ‚concessum tibi' *C.* — *n)* ‚in festo Natalis domini proximo' *C.*

1) *Sigifrido II.* — 2) *a. 1224 oct. 4; vid. supra num. 261.* — 3) *Vid. supra num. 262.* — 4) *Vid. Winkelmann, Friedrich II, tom. I, pag. 358 sq,* — 5) *die 29 septembris.*

assignari, ad nostram facias personaliter venire presentiam, eundem ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, omni alienationis genere eidem interim penitus interdicto; preceptum nostrum saltem in hoc ita sollicite impleturus, quod in te videatur aliqua devotionis et obedientie scintillula relucere. Datum Laterani, XIII[o] kalendas aprilis, pontificatus nostri[p] anno nono.

268.

(I) *Henricus, Magnae Troiae episcopus, ecclesiae in Křídlovice a se consecratae decimas sex villarum, quarum nomina adferuntur, confirmat.*

— 1225 apr. 27.

(II) *Henricus, Magnae Troiae episcopus, ecclesiae in Křídlovice a se consecratae decimas sex villarum, quarum nomina adferuntur, in dotem a patronis collatas esse profitetur ipsamque ecclesiam patronorum assensu monasterio in Louka subiicit.*

— 1225 apr. 27.

Formae I apographum servavit cod. ms. saec. XV „Matrica Lucensis“ dictus, qui in tabulario terrae Moraviae Brunnensi [inter Cerronianos II, 253] asservatur, pag. 67, num. 45 (B); e quo quidem apographo illud exemplar saec. XVIII procul dubio descriptum est, quod exstat in cod. ms. „Diplomatarium Moraviae“ tom. IV, qui in eodem tabulario [inter Cerron. II, 121] asservatur, fol. 471. — Formae II apographum saec. XV exstat in cod. ms. „Matrica Lucensis“ pag. 66, num. 44 (B), e quo exemplar saec. XVIII descriptum esse videtur, quod exstat in cod. ms. „Diplomatarium Moraviae“ tom. IV, fol. 470. Ex eodem fonte ortum est etiam apographum, a. 1769 confectum, quod in monasterii Lucensis actis (L, nº 2) in tabulario terrae Moraviae asservatur.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 161, num. 160 (forma II ex C) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 320, num. 692 (exc.).

(I.)

In[a] nomine sancte et individue trinitatis. Ego Henricus, dei miseracione Magne Troie episcopus, presentibus et futuris Christi fidelibus presentem paginam inspecturis imperpetuum amen. Cum Morauiam casu adiissemus, rogati

(II.)

In[a] nomine Domini amen. Ego Henricus, dei gracia Magne Troie episcopus. Cum casu terram Morauie intrassemus, rogati a domino Floriano, venerabili abbate Lucensis cenobii, annuente eciam reverendo patre Roberto,

267. o) ‚XIIII‘ *C.* — p) ‚pontificatus nostri‘ *desunt R.*

268 (I). a) *In B praefigitur inscriptio colore rubro scripta:* ‚Privilegium de Magna Troia Scrilowicz.‘

268 (II). a) *In B praefigitur inscriptio colore rubro scripta:* ‚Confirmacio super ecclesia Kriluicz.‘

a domino F.[1] venerabili abbate Lucensis cenobii, et annuente ac hortante domino R., Olomucensis ecclesie episcopo, ecclesiam in Scrilewicz consecraremus, volentes ut iuris exigit racio certificari, quid ad expensas eiusdem ecclesie ministris necessarias vice dotis deputaretur tam a patronis illius ville, ubi fundata consistit ecclesia, quam a ceteris plebesanis in virtute obediencie a nobis interrogatis, audivimus, quod decime VI villarum ab antiquo tempore supra dicte ecclesie fuerint exsolute. Quarum nomina villarum utile decrevimus annotari: Skrilewicz, Boroticz, Raclinowicz, Dersecraiowicz, Bosicz,[b] Petrowicz. Cum igitur ex officii nostri debito teneamur in dedicacionibus ecclesiarum dotem assignatam, ut inconvulsa perpetuo maneat, confirmare: supradictarum decimarum ecclesie memorate attinencium confirmacione[c] sigilli nostri munimine presentem paginam dignum duximus roborare. Datum anno dominice incarnacionis MCCXXV, quinto kalendas maii.

Olomucensis ecclesie episcopo, ecclesiam in Scrilowicz consecraremus, primo monuimus patronos, quid vel quantum nomine dotis eidem ecclesie vellent assignari; qui in continenti nominaverunt decimas sex villarum adiacentium, quarum nomina sunt hec: Scrilowicz, Boroticz, Raclinicz, Dersicraiowicz, Bosicz, Petrowicz. Ne autem aliquis scrupulus dubitacionis super predictis oriatur, presentem paginam sigilli nostri munimine duximus roborandam subicientes plenissimo iure antedictam ecclesiam cum omnibus pertinenciis suis Lucensi monasterio de libera voluntate et consensu patronorum, adicientes eciam, ut quicumque supradictam dotem ecclesie infringere niteretur, iram dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli incurreret et perpetue Ihehenne traderetur. Acta autem sunt hec anno dominice incarnacionis millesimo CCXXV, quinto kalendas maii. Testes autem subscripti sunt hii: Ymrammus quondam castellanus Znoymensis, Detelez de Derben, Lutoldus de Lisinicz, Johannes de Marchia, Ortwinus de Znoym, Chrepecz de Lisiniz drugo Lutoldi, Hnanno de Derben, Petrus magister scolarum de Znoym, Chazlav tunc temporis sacerdos eiusdem ecclesie, Johannes plebanus de Schatov, frater Gerardus de Luka, frater Marcus, frater Henricus et alii fratres quam plures[b] de capitulo Lucensi. Item si necesse est adducere in testimonium huius donacionis ecclesie maximam partem vicinie, ecclesia Lucensis inducere poterit et cetera.

268 *(I). b)* ‚Bolicz‘ *B. — c) ita B.*

1) *Floriano.*

268 *(II). b) ex* ‚plueres‘ *corr. B.*

269.

Vladislavus II, marchio Moraviae, monialibus apud ecclesiam sanctorum Petri et Pauli Olomucii in villa ipsarum Mostkovice easdem libertates concedit, quas villae episcopatus Olomucensis habent. *In Kralice 1225 maii 11.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario archiepiscopali Cromesirensi asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 163, num. 162 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 320, num. 693 (fragm.). — Bretholz, Cod. dipl. Mor. XV, pag. 2, num. 2. — Cf. Lechner in Zeitschr. f. Gesch. Mährens u. Schlesiens II, pag. 135; Snopek in Hlídka IV (XVI), pag. 531, num. XIV.

Autographum manu scribae, quem ‚Vladislavus II. 1' appellamus, exaratum est. Qui quidem scriba idem est atque ille, quem in Otakari regis diplomatibus nota ‚Otakarus 5' signavimus; vid. prooemium diplomatis num. 59. — Charta ab eodem auctore verbis contexta est, qui etiam reliquas chartas conscripsit, quae eadem manu exaratae sunt.

‖In nomine sancte trinitatis et individue unitatis.‖ Cum principalem deceat honestatem iustis deo servientium‖precibus accomodare pium benignitatis auditum et eis maxime profectibus intendere propensius, qui utilitati ecclesiarum ac paci expediant‖et libertati, simul etiam animarum saluti, noverint tam presentes quam futuri, quod ego Wladizlaus, divina gratia marchio‖Morauie, particeps esse cupiens orationum deo famulantium, dominabus deo dicatis virginibus in Olomuch ad ecclesiam apostolorum sanctorum Petri atque Pauli in sancta professione commorantibus in villa iure hereditario collata eis, Mostkowich nuncupata, et a serenissimo rege Boemorum patre nostro confirmata, in remissionem peccatorum ac retributionem eternorum premiorum eam, quam ville episcopatus obtinent, libertatem habendam in perpetuum concedimus;[a] huic nostre concessionis dono hanc gratie nostre benivolentiam attribuentes, ut libera sit iam dicta villa ab omni inquietatione camerariorum terre et omnibus molestiis, ab omni infestatione officialium quorumlibet et gravamine indebito, a castrorum edificatione vel fossati, ab omnium beneficorum[a] nostrorum violentia et tyrannide, ab omnium vectigallium inpedimento, ab omnibus indebite servitutis honeribus, ab omni etiam censu principum et tributorum quorumlibet iniuria. Si autem furem deprehendi contigerit in eadem villa, statuimus ipsum furem tradi in custodia[a] curie principis, bona autem furis integra maneant domino ville ad succursum inopie dominarum, ut inde pro arbitrii sui disponant libera voluntate. Si vero aliquod ibi furtum inveniatur, vel homicidium perpetratum fuerit, inhibemus omnimodis gravamen a castro in villa fieri et predam violentam, que aliâs solet exercêri, penitus interdicimus, sed omnia maneant inconcussa[b] dominabus in laudibus dei nocte ac die vigilantibus. Ut autem hoc nostri privilegii statutum robur habeat firmamenti et inviolabiliter in perpetuum custodiatur

269. *a) ita A. — b)* ‚9cu' *in loco raso fortasse ex* ‚lau' *eodem atramento correctum est A.*

illibatum, sigilli nostri appensione scriptum presens et testium subscriptione firmari precepimus. Huius facti nostri testes sunt hii:[c] Heinricus camerarius Olomucensis, Golâch castellanus Olomucensis, Weliz iudex Olomucensis, Semisszlaus, Onso, Sullizlaus dapifer, Protywen, Prebor iudex Brecizlauensis,[d] Andreas agazo, Wilcek, Rudolfus filius Zauisse. Datum in Kralich, V̊ idus maii, anno dominice incarnationis millesimo CCXXV̊, indictionis tercio decimo.[a]

Autographo appendebat e filis sericis sigillum, quod nunc avulsum et deperditum est.

270.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, donationem villarum quarundam a Bolemila comitissa, uxore Bavari, domui hospitalis Hierosolymitani factam confirmat.
Pragae 1225 [ante iun.]

Exstant duae chartae autographi instar manu eiusdem temporis confectae, quarum una in tabulario magni prioratus Melitensium Pragensi (A 1), altera in tabulario Musei regni Bohemiae (A 2) asservatur.

Erben, Reg. Boh. I, pag. 622, num. 8 (extr. ex A 2) — Delaville Le Roulx, Cartulaire géneral des Hospit. de St. Jean de Jérusalem II, pag. 330, num. 1801.

Utramque chartam scriba scripsit, quem nota ‚Otakarus 27' significamus; cuius scribae manus in nullo alio eiusdem regis diplomate autographo deprehenditur. Accedit, quod sigillum utrique diplomati appensum procul dubio adulterinum est. Quamvis igitur diploma autographum esse sine quaquam dubitatione confirmare non ausim, tamen fidem eius integram esse puto, cum diplomate num. 238 aliisque, quae per manum Hermanni notarii data sint, collatis, diploma nostrum ab eodem notario compositum esse certissime appareat; per quod eorum quae ipso continentur auctoritas satis bene comprobatur. — Ante mensem iunium diploma datum sit necesse est, quod in ipso Peregrinus episcopus testis adfertur, qui mense illo munere suo se abdicavit.

¦ In nomine sancte ac individue trinitatis. ¦ Otthakarus, qui et Premizl, dei gracia Boemorum rex. Ne ea, que a nobis et a quibusdam nostre terre publice ‖ atque sollempniter disponuntur, possint labente diurno tempore per aliquem hominum immutari vel a memoria eorum forsitan procul labi, set perpetuo stabilia perma‖neant atque firma, notum facimus universis tam presentibus quam futuris, ad quos presens pagina pervenerit, quod cum comitissa Bolemila, uxor Bavari,[a] ¦ villam suam Hlum cum tota silva et aliis villis, scilicet Lazec,[b] Corita,[c] Ilscene,[d] Lucha,[e] Brezina[f] ad predictam villam pertinentibus, domui hospithalarie[g] Cruciferorum ultra mare deo militantium, nobis consencientibus, pro remedio sue anime contulisset hereditario iure possidendam, et filii sui hanc donationem voluissent inpedire,[h] eadem uxor Bauari in ecclesia sancti Wencezlai coram nobis

269. *c) post hanc vocem reliquum lineae spatium 19 mm continens vacuum relictum est. — d)* ‚Brecizl' *A.*

270. *a)* ‚Bauari' *A 2. — b)* ‚Lazecc' *A 2. — c)* ‚Korita' *A 2. — d)* ‚Lzscene' *A 2. — e)* ‚Luka' *A 2. — f)* ‚zina' *eod. atram. eademque manu in loco raso scr. A 1. — g)* ‚hospitalarie' *A 2. — h)* ‚impedire' *A 2.—*

super hoc iusto iudicio publice requisito et iure suo plenarie obtento, nostre gracie supplicavit, quatinus donationes eius ratas atque firmas habentes auctoritate regia confirmaremus. Nos itaque eius precibus inclinati, legittimum donationis eius beneficium auctoritate regia confirmamus, statuentes, ne cuiquam hominum liceat hanc confirmationis nostre paginam infringere aut ei ausu temerario contraire. Ad huius autem nostre confirmationis perpetuam memoriam et inviolabile firmamentum presentem paginam per Hermannum nostrum notarium conscribi fecimus et sigilli nostri caractere consignari. Hii sunt testes donationis iam supra dicte: Vencezlaus[i] dux, Peregrinus episcopus Pragensis, Eppo prepositus Pragensis, Arnoldus decanus Pragensis, Johannes scolasticus Pragensis, Martinus prepositus Zacensis, Petrus custos Ztragouiensis, Siluester abbas de Kladorub, Johannes abbas de Tepla, Budiuoy[k] filius Cec, Martinus pincerna regis, Boguzlaus[l] filius Zlaukonis, Zauisse iudex, Zvezt filius Boguzlay,[m] Mztidruh castellanus, Koiata filius Grabise, Milgost et filii eius Petrus et Ahna, Wisemyr et frater eius Iwan,[n] Janek filius Unech,[o] Thaz de His, Vbizlav de Vgezd, Podiua de Kokorov. Actum Prage anno dominice incarnationis millesimo $\overset{o}{C}C\overset{o}{X}\overset{o}{X}\overset{o}{V}$, indictione XIII.

Utrique chartae appendet e filis sericis coloris rubri et albi sigillum formae rotundae (diametros 72 mm) duo latera habens, de cera naturali confectum. In utraque sigilli parte eaedem figurae cum eadem circumscriptione expressae sunt atque in illo sigillo, quo Otakarus rex ante octobrem anni 1224 utebatur; cuius sigilli descriptionem supra in num. 57 dedimus. Sed sigillum hoc non ex eadem forma ortum esse, ex eo cognosci potest, quod singulae circumscriptionis litterae alio loco positae sunt. Quam ob rem sigillum adulterinum esse videtur.

271.

Lucas, abbas monasterii in Třebíč, eiusque conventus praedium suum Oslavany permutant cum Heilwide nobili matrona de Znojmo pro praedio ipsius Horka.
In Třebíč 1225 m. iun.

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 164, num. 163 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 320, num. 694 (exc.).

Autographum manu ignota exaratum est, quae ad scribam monasterii in Třebíč verisimillime revocanda est.

‖ In nomine Domini amen. ‖ Ego Lucas, dei misericordia abbas Trebecensis, totumque capitulum meum Trebecense omnibus Christi fidelibus tam futuris quam presentibus in perpetuum. ‖ Preciosus memorie thesaurus est scriptura, que rerum seriem gestarum incommutabili loquitur veritate et opponit obstaculum

270. *i)* ‚Wencezlaus' *A2*. — *k)* ‚Budivoy' *A2*. — *l)* ‚Buguzlaus' *A2*. — *m)* ‚Buguzlay' *A2*. — *n)* ‚Ivan' *A2*. — *o)* ‚Vnech' *A2*.

emergentibus calumpniis inconvulsum; ‖ facile quidem conditiones plurime et facta mortalium plurima vacillarent, nisi ea scripture fidelis testimonium roboraret. Eapropter subscriptione presentis pagine no‖verint universi, quod nobilis mulier ac religiosa matrona Heilwidis videlicet de Znoym pio zelo sue salutis ac multorum divinitus accensa cum claustrum monialium ordinis Cysterciensis fundare disponeret, nec locum ad hoc aptum inveniret, ipsa tandem domino deo disponente intra possessiones claustri nostri Trebecensis[a] angulum quendam, Ozlawan nomine, nobis quidem ad modicum utilem, sed ad edificandum claustrum mente preconceptum reperit competentem. Verum quia rem alienam non licuit sine iusto tytulo nec decuit occupari, eadem matrona deo devota petiit a nobis predictum locum per concambium commutari. Nos igitur ipsius pie voluntati ac desiderio laudabili unanimiter inclinati, nec non domini Conradi, viri reverentissimi, tytuli sancte Rvffine cardinalis, Portuensis episcopi, apostolice sedis ad partes nostras tunc legati, simulque venerabilis patris nostri Rvberti, Olomvncensis episcopi, consiliis et exhortacionibus invitati, ad supra dicti predii de Ozlawan pro alio predio de Horka permutationem accessimus competentem; ita tamen, quod a prefatis patribus ad conservandam[b] utriusque partis indempnitatem de communi assensu nostro et ipsius domine Heilwigis[c] dati sunt nobis estimatores fideles viri, nobilis scilicet vir Leo, Woyzlaus Howoritsch, Theodoricus procurator domini regis in Znoym, qui bona fide iuraverunt, se in utriusque predii estimatione fideliter processuros. Qui diligenter circueuntes ac sollerter considerantes predium de Horka cum silva et campis et cum villis duabus aliis, videlicet Hartlebiz et Cosochowiz cum quatuor terris, et ex altera predium de Ozlawan et sua appendentia, invenerunt et in animas suas asseveraverunt, quod predium predio in suo precio equaliter responderet. Unde sicut compromissum inter nos fuerat et consensum, coram domino cardinali et coram domino episcopo mutuam permutationem predictorum prediorum acceptavimus libenter ac spontanee, tum propterea, quia nichil vidimus in hoc nostre ecclesie deperire, tum quia ex debito nostri ordinis ad tam sanctum propositum fundandi claustri voluimus, sicut debuimus, cooperari laudabiliter et coadiuvare. Illud quoque huic pagine cautum duximus adnotandum, quod predicta nobilis matrona, ut indempnitati nostre ecclesie Trebecensi in hac permutatione caveret in posterum, hoc effecit, ut nobilis vir Hartlebus, nepos eius, si quid iuris habebat in predictis prediis de Horka, in manus supra dicti cardinalis et domini episcopi Olomvncensis pro se et pro suis successoribus heredibus resignavit. Quia igitur de communi assensu nostro et capituli nostri nec non auctoritate domini cardinalis supra dicti et nostri dyocesani Olomvncensis episcopi pie et commendabiliter hoc dinoscitur esse factum, presenti nostro scripto sollempni et sigilli communis nostri et ecclesie nostre appositione hoc[d]

271. *a) genuine* ‚Trebeci', *sed statim eodem atramento corr. A.* — *b) genuine* ‚considerandam', *sed in loco raso eadem manu eodemque atramento correctum A.* — *c)* ‚Heilwig̃' *A.* — *d)* ‚li' *eodem atramento superscriptum A.*

roboramus et permutationem supra dictam racionabiliter factam modis omnibus communiter approbamus, et[e] ne per aliquem successorum nostrorum infringatur, quantum possumus, inhibemus; sed claustrum de Ozlawan predium idem, in quo situm est, perpetuo iure in pace possideat et ecclesia Trebecensis e converso predium de Horka cum supra dictis appenditiis suis pacifice deinceps habeat et quiete, presertim cum predictorum patrum auctoritate et nobis presentibus et consentientibus sub interminatione anathematis, ne quis diffidentie filius hoc unquam audeat infringere, sit sollempniter interdictum. Acta sunt hec in Trebetsch anno dominice incarnationis millesimo CCXXV, indictione XII, mense ivnio, sub testimonio et confirmatione predictorum patrum venerabilium et aliorum multorum tam clericorum quam laicorum, qui presentes affuerunt; de capitulo maioris ecclesie nostre Olomvncensis: Esau archidiaconus Prerowensis, magister Gregorius et Heinricus canonici Olomvncenses; Sifridus orphanus archidiaconus Pataviensis, magister Bernhardus prepositus Vrisacensis, magister Salomon canonicus Erbipolensis; de capitulo autem nostro Trebecensi Arnoldus prepositus de Luha sancti Benedicti.

Autographo appendet e filis sericis albis et rubris sigillum rotundum de cera naturali confectum, cuius diametros 46 mm sunt. In sigilli medio figura sacerdotis depingitur, qui manu dextra pedum, sinistra librum tenet. Circumscriptio: ✠ SIGILLVM ƧЄE [!] ∘ MARIЄ ∘ IN ∘ TRЄBIC ∘ ~~~~ ∘ .

272.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterium in Oslavany tuendum suscipit, permutationem praediorum Horka et Oslavany inter Heilvidem de Znojmo et Lucam, abbatem de Třebíč, factam comprobat; villarum Martinice et Přibyslavice possessionem monasterio eidem confirmat eique easdem libertates concedit, quas monasterium in Velehrad habet.

Pragae 1225 iun. 26.

Apographum saec. XVIII ex. (ex autographo tabularii monast. olim Aulae s. Mariae Brunnae descriptum) exstat in cod. ms. tabularii Rajhradensis (G. c. 27 signato), qui „Coenobia Moravica tom. V“ inscribitur, pag. 4—7 (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 166, num. 164 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 322, num. 696 (fragm.),

Diploma procul dubio ab eodem auctore verbis conceptum est, a quo etiam Otakari regis diplomata num. 59, 110, 239 alia composita sunt.

In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. Ego Premizl, tercius rex Boemie, domui sancte Marie in Ozlawan et omnibus personis religiosis ibi deo servientibus in perpetuum. Cum regie conveniat serenitati omnium sub potestate eius degencium utilitati et tranquillitati providere, in eo tamen ei uberior augetur gloria, si eorum, qui dei obsequiis specialius mancipantur, commodis

271. *e)* ‚et‘ *ex* ‚u‘ *eodem atramento statim inter scribendum correctum est A.*

consulat et provideat libertati. Noverint itaque tam presentes quam futuri, quod domum illam, quam nobilis matrona domina Heilwidis de Znoym in Ozlavan fundavit, sub nostra protectione recepimus, nostre defensionis speciali beneficio benignius fovendam et tuendam; permutationem illam ratam habentes, quam prefata matrona secundum estimationem nobilium virorum Leonis, Woyzlai Howoris, Theodorici procuratoris nostri cum venerabili abbate Luca Trebecensi ex consensu capituli sui duxit habendam, videlicet de Horka et de Ozlawan. Quod Horka erat predium domine Heilwidis, et Ozlawan predium monasterii Trebecensis. In quo Horka cum nobilis vir Hartlebus, nepos predicte matrone, illud ius, quod se in eodem predio habere credebat, resignaverit in manus reverendissimi viri Conradi, Portuensis et sancte Rufine episcopi, apostolice sedis legati, qui tunc temporis plenissime legationis officio in regno nostro fungebatur,....[a] Villas quoque Martinicz et Pribislawicz cum duodecim vineis in diversis locis sitis, quas illa ingenua matrona eidem domui contulit, ipsi confirmamus, easdem possessiones cum ipsa villa de Ozlawan liberas esse decernentes ab omnibus exactionibus fisci et ab omni iure ad regie maiestatis utilitatem vel heredum nostrorum spectante, ita ut illa domus eisdem gaudeat privilegiis, quibus letatur domus Weligradensis,[1] Cisterciensis ordinis, quam inclite memorie frater noster Wladizlaus, quondam marchio Morauie, fundavit et magnis possessionibus ampliavit, nove religionis sanctimonialium venustati et honestati, que antea in terra nostra non apparuit, congaudentes et approbande petitioni prenominati legati pro libertate domus prefate et securitate nostri consensus auctoritatem adhibentes. Ut autem hec nostre serenitatis pagina perpetuo robore firmetur, eam nostre sublimitatis sigillo fecimus communiri, omnibus illis, qui libertates domus illius aut iura eidem domui a nobis concessa violaverint, penam decem marcarum auri infligentes. Huius rei testes sunt: venerabilis Conradus Portuensis et sancte Rufine episcopus, tunc apostolice sedis legatus, Peregrinus venerabilis episcopus Pragensis, venerabilis Robertus Olomucensis episcopus, Petrus abbas Stragoviensis, Walterus abbas de Lutomisl, Orphanus archidiaconus et prepositus, Bernardus prepositus Frisacensis,[b] Arnoldus prepositus Wisegradensis[c] et alii quam plures, tam laice quam ecclesiastice persone; cancellarius domini regis Benedictus, Marquardus frater Benes, Engelscalcus notarius regis, Jeros. Data per manum domini Hermanni, notarii nostri, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo vicesimo quinto, in civitate Praga, VI kalendas iulii.

---

272. *a) in B nulla quidem lacuna est, sed describentis incuria hic quaedam omissa esse nemo non videt; verba omissa haec fere fuisse docet Conradi legati apostolici charta proxime sequens:* ‚in hoc providimus Trebecensi ecclesie, ne a predicto Hartlebo vel eius heredibus ipsa posset in posterum gravari et ecclesia illius possessionis quieta gauderet libertate.' — *b)* ‚Trisacensis' *B.* — *c)* ‚Wilegradensis' *B.*

1) *Privilegium hoc deperditum iam a. 1213 dec. 31 commemoratur; v. supra pag. 103, not. 1.*

273.

Conradus, Portuensis et sanctae Rufinae episcopus, legatus apostolicus, commutationem praediorum Horka et Oslavany inter Heilvidem de Znojmo et Lucam, abbatem de Třebíč, factam approbat; monasterii Oslavanensis possessiones et libertates confirmat eiusque bona in ecclesiae Romanae tutelam suscipit. *Pragae 1225 iun. 26.*

Apographum saec. XVIII ex. (ex orig. archivi monii. olim Aulae s. Mariae Brunnae descriptum) exstat in cod. ms. tabularii Rajhradensis (G. c. 27 signato), qui „Coenobia Moraviae tom. V“ inscribitur, pag. 7—11 (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 168, num. 165 (e libro apographorum in arch. eccl. s. Jacobi Brunnae ms., ut asseverat; quem quidem librum numquam extitisse puto) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 322, num. 697 (reg.) — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10034.

Conradus, miseratione divina Portuensis et sancte Rufine episcopus, apostolice sedis legatus, domui sancte Marie in Ozlawan et religiosis ibi[a] servientibus in perpetuum. Consuevit sagax venerande antiquitatis sollertia temporum suorum acta, que voluit habere robur et firmitatem, scriptis diligentius commendare, ne successorum suorum invida malitia ea, que rite et recte gesta sunt, posset immutare. Quapropter precedentium prudentiam et prudentum cautelam volentes imitari, tam presentis etatis quam future posteritatis memorie volumus esse firmiter inscriptum et nunquam obliterandum, quod quedam nobilis matrona, domina Heilwidis de Znoym, fecit quandam permutationem cum venerabili abbate Luca Trebecensi ex consensu capituli sui de quodam predio in Ozlawan, quod erat predium abbatis Trebecensis, cum quodam predio, quod vocatur Horka, quod fuit predium domine prefate, nobis estimatores utriusque predii dantibus ex parcium consensu, qui bona fide iuraverunt, se legitime ac fideliter in utriusque predii estimatione procedere; quod et fecerunt. Visum est ergo estimatoribus, quod predium predio in suo precio equaliter responderet, nec una pars vel alia aliquid sibi invicem adderent. Quam permutationem, sicut a nobilibus viris Leone, Woyzlao Howoris, Theodorico procuratore regis in Znoym, electis estimatoribus[b], ratam habemus et confirmamus, sic utrique parti providentes, ut utraque ecclesia, tam de Ozlawan quam Trebecensis, servetur indempnis et illesa. Quia vero nepos predicte matrone, nobilis vir nomine Hartlebus, videbatur, sicut ipse dicebat, aliquid iuris in illo predio sibi usurpare, illud quod iuris habere videbatur, in manus nostras et venerabilis fratris nostri Olomucensis episcopi, nomine Ruberti, resignavit. Ideoque in hoc providimus Trebecensi ecclesie, ne a predicto Hartlebo vel eius heredibus ipsa posset in posterum gravari, et ecclesia illius possessionis quieta gauderet libertate. Villam itaque de Ozlawan

273. *a) hic* ‚deo‘ *omissum esse videtur in B.* — *b)* ‚facta est,‘ *vel simile hic omissum esse nemo non videt.*

cum determinatis eius appendiciis ab estimatoribus prenominatis, et alias duas villas, videlicet Martinicz et Pribislawicz, domui sancte Marie in Ozlawan possidendas[c] roboramus. Quia vero illustris rex Boemie, Premizl nomine, ad piissimam petitionem nostram ex consueta sua liberalitate [quasdam illi ecclesie concessit libertates, scilicet ut ville prescripte][d] ab omnibus exactionibus fisci et ab omni iure ad regie maiestatis utilitatem spectante absolverentur et ea commoditate et libertate gauderent, qua gaudet ecclesia Weligradensis in privilegio, a regia serenitate sibi concesso,[1] nos easdem sepe dicte ecclesie confirmamus. Vineas etiam duodecim in diversis locis sitas, quas ipsa matrona contulit eidem ecclesie, easdem volumus pacifice et quiete possidere. Et hec omnia, que illa ingenua matrona eidem domui contulit, sub protectione ecclesie Romane et nostra recipimus, et venerabili Ruberto, episcopo Olomucensi, et eius successoribus ipsam ecclesiam manutenere et defendere commisimus, sicut etiam iure facere tenentur. Ut autem hec omnia rata maneant et inconcussa, presentem paginam nostro sigillo fecimus communiri. Si quis autem de abbatibus Trebecensis ecclesie vel alius ea, que a nobis legitime confirmata sunt, immutare temptaverit, vel in irritum revocare, iram dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli et omnium sanctorum se noverit incursurum. Et nos auctoritate, qua fungimur, quicunque hoc salutare statutum scienter violaverit, nisi tertio commonitus humiliter resipiscat, eum pena anathematis innodatum denunciamus. Data Prage, anno MCCXXV, VI kalendas iulii. In huius autem nostre confirmationis testimonium precepimus Pragensi et Olomucensi episcopis, ut sigilla sua apponerent.

Sigilla in autographo hoc ordine appensa fuisse refert B: 1) *Roberti episcopi (procul dubio idem atque in num. 78).* — 2) ✠ SIGILL CONRADI PORTUENSIS ET SANCTE RUFFINE EPISC. — 3) ✠ S. PEREGRINI DEI GRACIA PRAGENSIS EPISCOPI.

274.

Honorius III papa fratribus Sepulcri Dominici (in Zderaz) facultatem in ecclesiis collegiatis, quas in Bohemia habent, tempore interdicti generalis divina officia celebrandi concedit. *Reatae [1225] iun. 26.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario caes. reg. aulico Vindobonensi asservatur (A).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 322, num. 698 (exc.) — Potthast, Reg. pontif., num. 7434 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 5538.

In autographi tergo in medio margine superiore alia manus eiusdem temporis adnotavit: ‚patarche'. — *(In membranae replicatae margine dextro alio atramento manus quaedam*

273. *c)* ‚possidendam' *B.* — *d)* ‚quasdam — prescripte' *describentis incuria omissa sunt in B.*

1) *De privilegio hoc iam deperdito cf. ea, quae supra pag. 103, not. 1 commemoravimus.*

posterior (saec. XV) adnotavit: ‚Rª *[= registrata]* b IIII‘; *quae nota litteras in chartulario monasterii Zderazensis nunc deperdito descriptas fuisse significat). — Litterae iisdem verbis contextae sunt atque illae, quae ecclesiis fratrum Sepulcri Dominici in provincia Gnezdnensi die 23 iunii concessae sunt; v. Rzysczewski, Cod. dipl. Polon. III, pag. 67 in nº 71.*

‖Honorius‖ episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis .. priori et fra‖tribus Dominici Sepulchri salutem et apostolicam benedictionem. Precibus vestris benignum‖impertientes assensum, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut in col‖legiatis ecclesiis, quas habetis in regno Boemie, liceat vobis generalis tempore interdicti, non pulsatis campanis, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce divina officia celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Reate, VI kalendas iulii, pontificatus nostri anno nono.

Autographo appendet e filis sericis coloris flavi et rubri Honorii III papae bulla plumbea eadem atque in num. 250.

275.

Conradus, Portuensis et sanctae Rufinae episcopus, apostolicae sedis legatus, Johanni clerico, nato Jacobi de Arloco civis Romani, praebendam in ecclesia Olomucensi concedit. *[1225 cc. iun.]*

Litterae deperditae sunt, sed concessionis huius mentionem facit Gregorius IX papa in litteris, quae datae sunt Romae a. 1228 apr. 3 (vid. num. 314).

Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10035.

276.

Honorius III papa universis ecclesiarum praelatis per regnum Bohemiae constitutis mandat, ut omnes, qui fratrum Sepulcrariorum possessiones invaserint, excommunicent. *Reatae [1225] aug. 9.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario caes. reg. aulico Vindobonensi asservatur (A).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 322, num. 699 (frgm.) — Potthast, Reg. pontif., num. 7454 — Pressutti, Reg. Honorii III, tom. II, num. 5591.

In membranae replicatae margine dextro manus quaedam saec. XV adnotavit: ‚Rª *[= registrata]* c I‘; *quae nota ad monasterii Zderazensis chartularium deperditum spectat. — In litteris conscribendis eadem forma est adhibita atque in litteris Honorii III papae, quae a. 1216 sept. 15 ad archiepiscopum Remensem datae sunt (Potthast num. 5331); quae quidem forma paucis tantum verbis mutatis postea Libro provinciali cancellariae apostolicae intexta est (vid. apud Tangl, Die päpstl. Kanzleiordnungen, pag. 262, num. 29).*

‖Honorius‖ episcopus, servus servorum dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbyteris ‖ ac aliis ecclesiarum prelatis per regnum Boemie constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plurima turbatione ‖ didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonice sententie severitas enervatur, ut viri religiosi et hii maxime, ‖ qui per sedis apostolice privilegia maiori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis iniurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii .. prior et fratres Dominici Sepulcri tam de frequentibus iniuriis quam de ipso cotidiano defectu iustitie conquerentes universitatem vestram litteris petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent et pressuris, vestro possint presidio respirare. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus illos, qui possessiones vel res seu domos predictorum fratrum vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea iniuste detinuerint, que predictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in fratres ipsos contra apostolice sedis indulta sententias excommunicationis aut interdicti presumpserint promulgare, vel decimas laborum de terris habitis ante concilium generale, quas propriis manibus aut sumptibus excolunt, seu nutrimentorum ipsorum spretis apostolice sedis privilegiis extorquere, monitione premissa, si laici fuerint, publice candelis accensis excommunicationis sententia percellatis; si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec predictis fratribus plenarie satisfaciant et tam laici quam clerici seculares, qui pro violenta manuum iniectione anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem, in quibus bona fratrum predictorum vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quandiu ibi sunt, interdicti sententie supponatis. Datum Reate, V idus augusti, pontificatus nostri anno decimo.

Autographo appendet e filis sericis coloris flavi et rubri Honorii III papae bulla plumbea eadem atque in num. 250.

277.

Waldemarus II, rex Daniae, in conventione cum Henrico, comite de Schwerin, de liberatione sua filiique sui facta inter alia se eidem comiti Otakarum, regem Bohemiae, *reconciliaturum esse promittit.* — *1225 nov. 17.*

Weiland, Constitutiones (Mon. Germ. Leg. sect. IV) tom. II, pag. 626, num. 455 (ex autogr. tabularii duc. Schwerin) — Emler, Reg. Boh. IV, pag. 809, num. 2080 (reg.) — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10958. — Cf. Winkelmann, Friedrich II, tom. I, pag. 480 sq.

278.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, civitati Králové Hradec (Königgrätz) donat fratrum Petri et Benedae terram, quae appellatur Vesce; pro qua fratribus eisdem terram in Čistěves tribuit ipsosque ab servitio nářez et nocleh liberos esse decernit.

In Králové Hradec 1225 —.

Autographum in membrana scriptum in Musaeo civitatis Králové Hradec asservatur (A).

B(ienenberg), Gesch. der Stadt Königgrätz I, pag. 72. Ibidem in tabula II additur autographi imago per aeneam laminam expressa. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 323, num. 700 (fragm.).

Autographum manu scribae, quem nota ‚Otakarus 28‘ signamus, exaratum est. — Diplomatis verba ab Hermanno notario regio conscripta esse diplomatibus num. 238, 217, 287, 288 collatis cognosci potest.

‖ In nomine sancte et individue trinitatis. ‖ Otacarus, qui et Premizl, ‖ dei gracia rex Boemorum.[a] Ut ea, que a nobis provide disponuntur, perpetuo ‖ stabilia permaneant atque firma, nec possint processu temporis per quemquam homi‖num immutari, notum facimus universis tam presentibus, quam futuris, quod nos civitatem nostram in Gradec et habitatores suos augere ac ampliare volentes commodo et honore, quamdam terram prope Gradec, que Wesce vulgariter appellatur, que fuit hereditas fratrum duorum, Petri videlicet et Benede, prefate civitatis habitatoribus addidimus perpetuo possidendam; eisdem fratribus, Petro scilicet et Benede, commutacionem facientes pro eadem terra, dedimus et assignavimus eis quamdam terram in Cesccewes[b] ad VII bonas araturas tam in agris quam in pratis et frutectis cum ipsorum prole perpetuo absque omni servitute, que narez et nocleh vulgariter dicitur, iure hereditario pacifice possidendam; statuentes, ut nullus successorum nostrorum aut officialium antedictos fratres in eadem hereditate audeat perturbare vel ipsis honus inponere in servitute nomine narez et nocleh, set sint liberi perpetuo cum ipsorum prole. Ad huius autem nostre commutacionis et donacionis atque assignacionis perpetuam memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium conscribi fecimus et sigilli nostri robore communiri. Huius rei testes sunt: Sulizlaus de Loza cum fratribus suis Zauise et Cscibor, Hroznata subcamerarius, Bohuse, Holac de Planas, Jesutbor, Jan de Pecek, Ruben, Vnezlav, Stoghnev, Riuin de Zahornic, Wecemil Csciboric et alii quam plures.

Actum in Gradec, anno incarnacionis dominice millesimo CCXXV, indictione XIII.

Autographo appendet e scidula membranae Otakari regis sigillum idem atque in num 264.

---

278. a) ‚Boem̄‘ *A.* — b) *genuine* ‚Cescca‘, *sed* ‚a‘ *statim in* ‚e‘ *correctum A.*

279.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio sancti Stephani in Hradiště tabernam in Přerov restituit, consentiente filio suo Vladislavo II, marchione Moraviae. *Brunnae 1225 —.*

Apographum saec. XVII exstat in Siebenaicheri Annalibus mon. Gradic., quorum cod. ms. in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur, fol. 62r—62v (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 162, num. 161 (cuius editionis menda correxit Teige, Zpráva o pramenech dějin kl. Hradištského pag. 41, nota 1) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 323, num. 701 (frgm.).

Diploma ab Hermanno regis notario verbis contextum esse stili proprietates quaedam demonstrant, quae in aliis diplomatibus repetuntur, in quibus Hermannus auctor expresse nominatur, aut quae per notarii eiusdem manum data sunt; cf. praecipue num. 218, 259, 278, 287.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Ottocarus, qui et Przemisl, dei gratia Boemorum rex. Notum facimus universis tam praesentibus quam futuris, quod cum olim per praedecessores nostros bonae memoriae principes Moraviae, qui fuerunt fundatores claustri sancti Stephani, Olomucensis dioecesis, quod claustrum in Gradist vulgariter nominatur, quaedam taberna in Prerow ad usum et commodum eiusdem claustri fuerit instituta et postmodum per pravos et cupidos homines deperdita penitus et destructa, nos nolentes praefati claustri utilitatem diminuere aut in aliquo defraudare, cuius bona cupimus et volumus potius augmentari, ad preces et instantiam dilecti nobis Petri, venerabilis abbatis claustri antedicti, in iam dicto loco sive foro Prerow tabernam pro remedio nostrae animae et successorum nostrorum eidem Petro, venerabili abbati de Gradist, et fratribus ibidem deo famulantibus restituimus et donamus perpetuo incommutabiliter et pacifice possidendam. Ad huius restitutionis et donationis praefatae tabernae in Prerow supra dicto abbati Petro et fratribus in Gradist perpetuam memoriam et inviolabile firmamentum hoc praesens[a] scriptum privilegium confecimus et sigilli nostri robore communivimus. Si quis vero hoc nostrum solenne factum imposterum forte attentaverit immutare, indignationem et maledictionem omnipotentis dei incurrat et perpetuis ignibus deputetur cum Sathano cruciandus. Testes huius rei sunt: Coyata, Leo, Stephanus[b] de Medlow, Henricus camerarius Olomucensis, Holac purgrabius, Veliz, Sulislaus, Zemislaus, Slavata et alii quam plures. Actum in Bruna, anno dominicae incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo quinto. Nos etiam Wladislaus, marchio Moraviae, donationem patris[b] nostri consensu et sigilli nostri appositione confirmamus, mediante magistro Zdislao et praesentibus supra nominatis testibus et aliis multis.

279. *a) Quae subsequuntur describentis incuria depravata esse videntur; quae diplomatibus num. 287, 289 aliisque collatis procul dubio sic corrigenda sunt:* ‚praesens privilegium conscribi fecimus et sigilli nostri robore communiri.' — *b) ex* ‚fratris' *eodem atramento correctum B.*

280.

Ludovicus IV, lantgravius Thuringiae, fratres hospitalis Theutonicorum Hierosolymitani eorumque homines ab omni theloneo et exactione et iure hospitii per omnes terras et fora ditioni suae subdita liberat. — Inter testes: ‚dominus Wretzlaus, filius regis Bohemie.‘ *Weissensee 1225 —.*

Posse, Cod. dipl. Saxoniae regiae I Hptth., tom. III, pag. 247, num. 349,

281.

Honorius III papa monasterium sanctae Mariae in Želivo tuendum suscipit omnesque eius possessiones et bona, quorum plurima nominatim recenset, iura atque privilegia confirmat. Laterani 1226 maii 8.

Apographum saec. XVIII in tabulario canoniae Siloensis asservatur (B). — Aliud exemplar saec. XVII exstat in tabulario monasterii Strahovensis (C).

(Hugo) Ann. Praemonstr. tom. II, Probat. pag. 504 — Brandl, Cod. dipl. Mor. VII, pag. 719, num. 56 (ex B) — Emler, Reg. Boh. IV, pag. 711, num. 1774 (ex B) — Potthast, Reg. pontif., num. 7568 (omnes ad diem 9 maii).

In privilegio conscribendo eadem fere forma adhibita est, quae brevi postea in Librum provincialem cancellariae apostolicae inscripta est. (Vide Tangl, Die päpstlichen Kanzleiordnungen, pag. 233, num. 3). Cum qua quidem forma privilegii nostri verba duobus tantum locis paullulum discrepant. — Nomina villarum explicat Bezděka, Památky kl. Želivského, in: Památky archaeologické a místopisné II, pag. 146.

Honorius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis .. abbati monasterii sancte Marie[a] Siloensis eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.[b] Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et monasterium sancte Marie Siloense, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Imprimis[c] siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum deum et beati Augustini regulam[d] atque institutionem Premonstratensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dinoscitur,[e] perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis[f] vestrisque

281. *a)* ‚mon. ecclesiae s. Mariae‘ *C, ubi similiter infra* ‚ae‘ *pro* ‚e‘ *simplici scribitur.* — *b)* ‚in perpetuam rei memoriam‘ *B, C.* — *c)* ‚Inprimis‘ *C.* — *d)* ‚regul. b. Aug.‘ *C.* — *e)* ‚dignoscitur‘ *B, C.* — *f)* ‚nobis‘ *C.*

successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, Porzicze,[g] Kigow,[h] Mechutici,[i] Lizcowici,[k] Wreznik,[l] Otradovici,[m] Petrovici,[n] Rogetici,[o] Petrovici,[p] Lipnice,[q] Jurici,[r] Cramolin,[s] Pachow, Pohore,[u] Jilovici,[v] Miletici,[x] Smilovici,[y] Vitici,[z] Lubici,[aa] Lhota, Derscovics,[bb] Bossiz,[cc] Comorovici,[dd] Boganow,[ee] Bistrum, Pavlow,[ff] Krazanow,[gg] Ruchow,[hh] Krazanowecs,[ii] Czlaum[kk] et Branissow[ll] villas cum silvis usque ad terminos Morauie, Bozhelow,[mm] Brinscheud,[nn] Calov,[oo] Dudin,[pp] Bucow,[qq] Slavani,[rr] Welechow,[ss] Moztek,[tt] Brische,[uu] Womisla,[vv] Czedliche,[xx] Sahore,[yy] Czmerdow,[zz] Cleticen,[a] Simonici,[b] Wlaztowychenik,[c] Wlazinowici,[d] Heralice,[e] Zedelce,[f] Budicovicz,[g] Vezeli,[h] Seleuech,[i] Terhonici,[k] in Olsan curiam cum vinea Ztriehovici, Zedelce antiquum, Zvanovici,[m] Petrin cum vinea, Borek[n] cum silvis usque ad flumen Giglaue,[o] Wizkidna,[p] Bradlo,[q] Jesena, Hodiegow[r] et Genikow[s] usque ad flumen de Otwirna,[t] cum pratis, vineis,[u] terris, nemoribus, usuagiis[v] et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli[w] fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatis sui licentia nisi artioris[x] religionis obtentu de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis,[1] suppressa voce divina officia celebrare. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diocesano[y] suscipietis[z] epi-

281. *g)* ‚Poscehe' *C.* — *h)* ‚Rikow' *C.* — *i)* ‚Mechuticze' *B;* ‚Mechatici' *C.* — *k)* ‚Liskowicze' *B.* — *l)* ‚Wrzesnik' *B.* — *m)* ‚Otradowicze' *B.* — *n)* ‚Petrowicz' *B.* — *o)* ‚Rogeticz' *B.* — *p)* ‚Petr.' *deest B.* — *q)* ‚Lipnicz' *B.* — *r)* ‚Jurice' *B.* — *s)* ‚Kramolin' *B.* — *t)* ‚Pachiow' *B.* — *u)* ‚Pohorze' *B;* ‚Pohoreze' *C.* — *v)* ‚Hilowicz' *B.* — *x)* ‚Mileticz' *B.* — *y)* ‚Smilowicz' *B.* — *z)* ‚Witicz' *B.* — *aa)* ‚Zubici' *C;* ‚Lubicz' *B.* — *bb)* ‚Drskowicz' *B.* — *cc)* ‚Bossicz' *C.* — *dd)* ‚Komorowicz' *B.* — *ee)* ‚Boranow' *C.* — *ff)* ‚Pawlow' *B.* — *gg)* ‚Krassonow' *B.* — *hh)* ‚Rudkow' *B.* — *ii)* ‚Krassonowecz' *B.* — *kk)* ‚Cslaum' *B.* — *ll)* ‚Bravisow' *C.* — *mm)* ‚Boztschow' *C.* — *nn)* ‚Brinscheid, Misterni' *C.* — *oo)* ‚Calor' *C;* ‚Krlow' *B.* — *pp)* ‚Budin' *B;* ‚Bundin' *C.* — *qq)* ‚Bukowy' *B.* — *rr)* ‚Slawany' *B;* ‚Szlavani' *C.* — *ss)* ‚Welchow' *C.* — *tt)* ‚Mostek' *B.* — *uu)* ‚Brzistie' *B.* — *vv)* ‚Homizla' *C.* — *xx)* ‚Sedlicze' *B.* — *yy)* ‚Pasore' *C;* ‚Zahorze' *B.* — *zz)* ‚Czmerow' *C;* ‚Smrdow' *B.* — *a)* ‚Kleteczna' *B.* — *b)* ‚Schimonitz' *B.* — *c)* ‚Wlastowichenicz' *B.* — *d)* ‚Wlaznowicz' *B.* — *e)* ‚Seralice' *B.* — *f)* ‚Zedelze' *B.* — *g)* ‚Brudekowicz' *B.* — *h)* ‚Wesely' *B.* — *i)* ‚Selevecz' *B.* — *k)* ‚Terkonicz' *B.* — *l)* ‚Ztrichowicz' *B.* — *m)* ‚Zwanowicz' *B.* — *n)* ‚Boreck' *B.* — *o)* ‚Gyglaue' *C.* — *p)* ‚Wiskitna' *B.* — *q)* ‚Bradeo' *B.* — *r)* ‚Hodirow' *C.* — *s)* ‚Yeniwra' *C.* — *t)* ‚Ottvera' *C.* — *u)* ‚et vineis' *B.* — *v)* ‚usurariis' *B;* ‚usuragiis' *C.* — *w)* ‚nullus' *C.* — *x)* ‚arctioris' *C.* — *y)* ‚diecoesano' *C.* — *z)* ‚suscipietis' *deest C.*

1) ‚dummodo causam non dederitis interdicto' *additur in forma Libri provincialis.*

scopo, si quidem catholicus fuerit et gratiam[aa] et communionem sacrosancte Romane sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem apostolice sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Prohibemus insuper, ut infra fines parochie vestre nullus sine assensu diocesani episcopi et vestro capellam seu oratorium de novo construere[bb] audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hec novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve[cc] personis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque illius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint,[2] nullus obsistat, salva tamen iusticia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas preterea et possessiones ad ius ecclesiarum vestrarum spectantes, que a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias, ad quas pertinent, revocandi libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur,[dd] nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars[3] consilii sanioris secundum deum et beati Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino iudicio existere de perpetrata

281. aa) ,et gratiam' *desunt B, C; supplevi privilegii Potthast num. 7150 aliorumque auctoritatem secutus.* — bb) ,constituere' *B, C.* — cc) ,saecularibusque' *B, C.* — dd) ,praeponatur' *hic omittit C, ubi verbum hoc post* ,eligendum' *positum est.*

2) ,aut publici usurarii' *additur in forma Libri provincialis.* — 3) ,maior pars' *legitur in eadem forma Libri provincialis.*

iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(R[ee]) Ego Honorius catholice ecclesie episcopus ss. (B. V.)

✠ Ego Hugo Hostiensis et Velletrensis[ff] episcopus ss.
✠ Ego Pelagius Albanensis[gg] episcopus ss.
✠ Ego Nicolaus Tusculanus episcopus ss.
✠ Ego Oliuerius Sabinensis episcopus ss.

✠ Ego Guala sancti Martini presbyter cardinalis tituli sancti Equitii ss.
✠ Ego Thomas tituli sancte Sabine presbyter cardinalis ss.

✠ Ego Octauianus sanctorum Sergii et Bachi diaconus cardinalis ss.
✠ Ego Gregorius de Crescentio[hh] sancti Theodori diaconus cardinalis ss.
✠ Ego Rainerius[ii] sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis ss.

Datum Laterani per manum magistri Guidonis, domini pape notarii, VIII[kk] idus maii, indictione XIIII, incarnationis dominice anno MCCXXVI, pontificatus vero[ll] domini Honorii pape III[mm] anno decimo.

282.

Henricus III, rex Angliae, significat Otakaro, regi Bohemiae, nuntios suos, quos ad eum miserit, cum nuntio ipsius ad se rediisse, quem ei cum responso suo remittit.

Apud Westminster [1226] iul. 3.

Apographum exstat in Henrici III rotulo litterarum clausarum, qui in tabulario regio Londinensi asservatur, ann. X, membr. 10 in dorso (B).

Rymer, Foedera, conventiones . . ., tom. I (Lond. 1704) pag. 286 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 324, num. 702 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10970.

Regi Boemie salutem. Redierunt ad nos missi ex parte nostra dilecti et fideles nostri . ., cum quibus fidelis vester . .,[1] presentium lator, venit; qui, porrectis nobis litteris vestris, continentibus, ut fidem haberemus ei super negotio, de quo tractaverunt vobiscum predicti nuncii nostri, voluntatem vestram nobis exposuit

281. *ee) In rotae medio legitur:* ‚Scs Petrus ‖ Scs Paulus. ‖ Honorius pp III.' *Circumscriptio autem hanc papae sententiam praebet:* ✠ Perfice gressus meos in semitis tuis' *(Psalm. XVI, 5).* — *ff)* ‚Vellenen:' *B, C.* — *gg)* ‚Albanus' *B.* — *hh)* ‚Grecent' *B.* *ii)* ‚Rainerus' *C.* — *kk)* ‚VII' *B.* — *ll)* sanctissimi' *B, C.* — *mm)* ‚tertii' *B, C.*

282. 1) *Lambertus; vid. num. 283.*

unacum predictis nunciis nostris evidenter et discrete. Ad ea autem, que nobis exposuit, responsum accepit, sicut decuit; de quo et ipse serenitatem vestram plenius certificare poterit viva voce. Teste rege apud Westmonasterium, III die iulii.

283.

Henricus III, rex Angliae, Lamberto, nuntio regis Bohemiae, centum solidos ad reditus eius impensa ab E. thesaurario et camerariis suis persolvendos curat.

Apud Westminster [1226] iul. 4.

Apographum exstat in Henrici III rotulo litterarum clausarum, qui in tabulario regio Londinensi asservatur, a. X, membrana 11 (B).

Hardy, Rotuli litterarum clausarum in Turri Londinensi asservati II, pag. 126.

Liberate pro nuncio regis Boemie. Rex E. thesaurario et camerariis suis salutem. Liberate de thesauro nostro Lamberto, nuncio regis Boemie, centum solidos de dono nostro ad expensas suas versus partes suas. Teste me ipso, apud Westmonasterium, IIII° die iulii, anno regni nostri X°.

284.

Honorius III papa praeposito et capitulo Pragensi mandat, ut tres vel quatuor ex eorum numero Romam mittant, qui cum consilio et assensu apostolico eligant Budislavo episcopo mortuo successorem idoneum.

Laterani [1226] iul. 21.

Apographum exstat in Honorii III regestorum vol. V, quod in tabulario secreto Vaticano asservatur, fol. 140^v, lib. X, ep. 333 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 24, num. 101 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 324, num. 703 (fragm.) — Potthast, Reg. pontif., num. 7602 — Pressutti, Reg. Honorii III, num. 6022 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 6640.

..[1] preposito et capitulo Pragensi. Cum nuper bone memorie B.,[2] Pragensis episcopus, pater et pastor animarum vestrarum sexto idus iulii[3] fuerit, sicut Domino placuit, viam universe carnis ingressus, nos volentes ecclesie Pragensis et vestri iuris indempnitatibus quantum cum deo possumus precavere, universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus, ne per impressionem aliquorum indignum[a] aliquem eidem ecclesie preferri contingat, tres vel quattuor de vobis universitatis nomine cum litteris de ratihabitione ad nostram presentiam transmittatis, qui de nostro consilio et assensu de persona

284. *a)* ,indignium' *R.*

1) *Epponi.* — 2) *Budivoj alias Budislavus nomen ei fuisse refert Pulkava in Font. rer. Boh. V, pag. 133. Palacký et alii eum Budilov appellant.* — 3) *die 10 iulii. In Necrol. s. Rudberti Salisb. obitus eius ad diem 4 iul. commemoratur:* ,IV non. [iul.] Pudilo episcopus Pragensis' *(v. Mon. Germ., Necr. II, 1, pag. 148).*

idonea vobis et eidem ecclesie in episcopum provideant et pastorem. Si vero ante susceptionem mandati nostri fuerit electio celebrata, examinationem et confirmationem sedi apostolice reservamus, decernentes irritum et inane, si circa predicta fuerit aliquid attemptatum. Datum Laterani, XII kalendas augusti, anno X.[b]

285.

Fridericus de Jeruš (Geras) et Babo de Altenburg abbates atque B. plebanus de Hardegg, iudices ab apostolica sede delegati, controversiam, quae erat inter abbatem Lucensem et Adam sacerdotem de Znojmo, diiudicant.

In monasterio Louka 1226 iul. 24.

Apographum saec. XV praebet Matrica Lucensis ms., quae in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur, pag. 73—74, num. 58 (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 170, num. 167 (ex apographo vidimato a. 1410 confecto) = Mayer, Urkk. v. Geras, in Arch. f. Kunde österr. Gesch. 1848 I, pag. 14 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 324, num. 704 (fragm.).

In[a] nomine sancte et individue trinitatis amen. F.[1] de Jerus et B.[2] de Altenburc per dei misericordiam abbates et B. plebanus de Hardek, ab apostolica sede iudices delegati super causa, que vertebatur inter abbatem de Luca et Adam sacerdotem de Znoym super iniuriis, quas idem sacerdos abbati super parrochiali ecclesia sancti Nicolai in Znoym inferre presumpsit.[b] Cum nos itaque eundem Adam multociens a nobis citatum propter contumaciam excommunicassemus, et in eadem excommunicacione per annum stetisset, nos ad convincendam ipsius maliciam ad monasterium Luca accessimus et predictum sacerdotem prestita caucione iuratoria nec non et fideiussoria[c] absolvimus. Dedit quippe fideiussorem[d] dominum Wigbertum, prepositum sancti Ypoliti, scribam[e] regis, et personaliter iuravit, quod deinceps in parrochiali iure, in sepulturis et decimis ecclesiam sancti Nicolai non gravaret. Ad peticionem quoque nostram et domini Wigberti, qui ex parte regis venerat, ut concordiam inter eos procuraret, abbas de Luca expensas iudiciales, que in litem facte erant, et alia dampna gravissima, que predictus Adam monasterio intulerat sepeliendo mortuos excommunicatos et indifferenter convocando et recipiendo plebem sancti Nicolai ad ecclesiastica sacramenta, remisit renuncciando accusacioni iniuriarum. Concessit eciam abbas ecclesie sancti Michaelis baptismum[g] et sepulturam in vico Bala et in quibusdam curiis infra ambitum fossati et in proximo ecclesie sancti Michaelis adiacentibus, quas

284. *b)* ‚Dat. ut supra' *R; supplevi ex ep. 232 registri.*

285. *a) Praecedit inscriptio rubro colore scripta:* ‚Confirmacio iudicum super ecclesiis sancti Nicolai et sancti Michaelis.' — *b)* ‚presumpserit' *B.* — *c)* ‚fidei iussoria' *B.* — *d)* ‚fidei iussorem' *B.* — *e)* ‚scriba' *B.* — *f)* ‚accioni' *B.* — *g)* ‚baptissmum' *B.*

1) *Fridericus.* — 2) *Babo.*

nominatim exprimere ad cautelam decrevimus: curia Arnoldi parvi et Radozlae grosse; curia, que fuerat Letkonis; curia Wilhammi pellificis; curia Werneri pellificis et curie hominum ipsius Ade, quas possidet nomine dotis; deinde a curia Ade curia Henelen, curia Hozticz, curia Olsicz, curia Persicz, curia Zlawe, curia Bohus, curia Arnoldi, curia Alberti, curia Salmanni, curia Rudewini,[h] curia Letconis vidue, curia Martini; deinde curia Peregrini, curia Zalash, curia Petri filii Wiluzel cum vico, qui quondam dicebatur vicus Vngarorum, qui protenditur usque ad portam orientalem, que ducit ad Zuchoherdel, in quo quam plures curie continentur; ita tamen, quod de Bala et de omnibus supradictis curiis et domibus, vineis, ortis, frugibus, denariis et omnibus satis decimas ecclesia sancti Nicolai percipiat et plebs de supra dictis omnibus curiis ad ecclesiam parrochialem sancti Nicolai in maximis festivitatibus, scilicet Natalis Domini, Pascha, Pentecosten et Omnium sanctorum conveniat. Auctoritate igitur apostolica predicta omnia firmiter statuimus observari, firmiter prohibentes, ne presbyter deinceps, qui in ecclesia sancti Michaelis pro tempore ministraverit, nullum de castro vel de civitate Znoym, hiis exceptis, que supra enumerata sunt, ad ecclesiastica audeat recipere sacramenta. Quicunque autem huius ordinacionis temerarius transgressor extiterit, indignacionem dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli et omnium sanctorum incurrat et auctoritate nobis iniuncta a sede apostolica sit excommunicatus, donec resipiscat et emendet, ut discat sapiens esse in pena, qui stultus fuit in culpa. Et ut hec rata maneant et perpetua, sigillorum nostrorum inpressione communimus. Acta sunt hec anno ab incarnacione Domini MCCXXVI in monasterio Luka, in vigilia sancti Jacobi, anno pontificatus domini Honorii XI.

286.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Doxany omnes possessiones, quarum nomina recenset, confirmat eique libertates largissime concedit.
— 1226 —.

Autographa bina in membrana scripta in tabulario caes. reg. aulico Vindobonensi asservantur (A^1, A^2).

(Hugo) Sacri et canonici ord. Praemonstrat. annales I, Probat. col. 518 (ex A^2) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 176, num. 171 (nomina testium). — Erben, Reg. Boh. I, pag. 325, num. 705 (ex A^1).

Autographum scripsit scriba, quem sigillo ‚Otakarus 29' notamus. Eiusdem scribae manu scriptum est etiam autographum diplomatis, quod eodem anno ab Otakaro rege monasterium in Litomyšl accepit (v. num. 289).

✝ ‖ In nomine sancte et individue trinitatis amen. ‖ Cum illustrium virorum memoria nullius opinionis prave valeat nota macerari, presertim cum in suis factis non suam, set sui creatoris laudem ‖ desiderent ampliari, dignum du-

285. *h)* ‚Rudewni' *B.*

ximus nos Ottacarus, qui et Premizl, dei gracia rex Boemorum, priorum exempla melioris partis competenter imitari et precipue patris nostri Wladizlai regis, qui fundator cenobiorum plurimorum in Boemie ‖ partibus fuisse[a] dinoscitur, quibus et predia contulit excellencia et libertatibus magnis, ut decuit regalem munificenciam, decenter insignivit. Itaque licet studiosissimus circa religionem et cultum dei extiterit, familiarius tamen Ztragov et Doczan, quo‖ad vixit tempore, dilexit. Ex quibus Doczanensi domui has villas donavit: Doczan, Mur,[1] Rohaci,[b] Qvalin, Lubothinic[2] partem ville cum navigio, Dusnich[c] medietatem ville, Oleskec cum Bor adiacente, Chudumi, Goteschov,[d] Zalezli; in Zedlec[e] circuitum, qui dicitur Welichov;[f] Pelez eciam et Hostinici, quod sui iuris erat, cum equabus et custodibus earum. Ducentos quoque denarios de moneta omni die sabbati eidem domui ad usus proprios destinavit. Nos quoque non minori studio prefatam domum[g] diligentes et profectum ipsius in omnibus impleri[h] cupientes, notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris, quod nos divine pietatis intuitu, pro salute nostra et antecessorum nostrorumque successorum domui prefate concedimus donacione perpetua ducentos denarios omni ebdomada de moneta nostra ad eiusdem domus restauracionem, quia incendiis et aliis incommodis multis vexata, nullo modo recuperari valet, nisi conpassione regali sibi fructuose subveniatur. Preterea donis pocioribus predictam domum ampliare volentes,[i] salmones nostri iuris in Zalezli et in aliis aquis ipsorum dicioni subiectis perpetuo condonamus, sperantes ex hiis et aliis donacionibus nostris nos omnipotentis dei graciam plene promereri. Peticionibus quoque domus prenotate benivolencia regali conpetenter annuentes, villam ipsorum in Mur iure theutonico decrevimus roborari propter maliciam et instabilitatem moderni temporis, quia se defensare non valentes, mordacitati quorumlibet subiacere videntur; unde pleno consilio dei cultoribus providere studentes,[j] pacis ipsorum munimentum nos firmissime decet adornare. Item cum nostre conveniat pietati loca, que pater noster Wladizlaus rex fundavit et donacione regali sublimavit, maioribus nos ampliare beneficiis, iam dicte domui Doczanensi conservare cupimus libertatem et ea, que hactenus de communi iure terre nostris subserviebant usibus, eidem domui plena liberalitate relaxare decrevimus. Omnes itaque possessiones et villas eius ab exactionibus

286. *a) genuine* ,fuisse partibus', *sed signis eodem atramento superscriptis corr. A*[1]. — *b)* ,h' *in loco raso eodem atramento scriptum A*[2]. — *c)* ,Dusnic' *A*[2]. — *d)* ,Goteshov' *A*[2]. — *e)* ,Zedlez' *A*[2]. — *f)* ,Welechov' *A*[2]. — *g)* ,domum prefatam' *A*[2]. — *h)* ,inpleri' *A*[2]. — *i)* ,cupientes' *A*[2]. — *j)* ,volentes' *A*[2].

1) *Cf. autem Necrologium Doxanense (ed. Emler in Zprávy o zasedání král. české spol. nauk 1884, pag. 83 sq.) ad 4. aug.:* ,II non. aug. Pie recordacionîs Gerdrudis ducissa *[† 1151]*, fundatrix loci huius, que primicias ordinis nostri in terram istam introduxit et ea racione congregacionis mater piissima extitit; que inter alia multa contulit ecclesie nostre villam Mur.' *Ibidem ad 7. iun. adnotatur:* ,Pie et beate memorie Agnes *[filia Vladislavi II]* abbatissa, restauratrix ecclesie s. Georgii Prage, congregacionis nostre soror professa, que contulit huic ecclesie villam Mur.' — 2) *De huius villae donatione cf. infra not. 9.*

sive debitis vel indebitis absolvimus, ut omnes habitantes in possessionibus prefate domus, sive sint servi glebe, sive servi originarii, sive asscripticii, sive aliquo modo teneantur prefate ecclesie racione fundi et coram excellencia nostra et iudice curie nostre in causam tracti fuerint et astantibus aliquod[k] fratribus domus culpam suam confessi fuerint, vel inde convicti, si pena fuerit pecuniaria, utilitas, que nostris usibus cedere debebat, sive officialium nostrorum tam maiori quam minori dignitate preditorum, verum eciam clericorum, qui inde usum habere videntur, totaliter et integre remittimus. De iudicio autem aque vel candentis ferri, quod fit per naroc, sive culpa, que fit per zwod, sive causa, que appellatur hlawa, postquam hec a nobis vel a successoribus nostris vel a iudicibus curie discussa fuerint et determinata, omnia reorum bona ad usum spectent predicte ecclesie, nec hii, qui inde uti consueverant, sive nos, sive successores nostri, vel cuiuscumque nominis aliquid[l] in eis vendicent potestatis. De succisione silve, quod presceka dicitur,[m] et de fossatis vel operibus, quibus castra muniuntur, homines prefate domus absolvimus. Constituimus eciam omnium memorie commendandum, quia Nazblaz dedimus iam dicte domui et heredes manentes in Clobuch[n,3] et terram ad aratrum duorum hospitum in Bussowic. Preterea donavimus congregacioni domus Doczanensis, ut absque theloneo per omnes transsimus[o] nostre dicionis navem unam per Albiam in Swrbiam educant et reducant cum sale et aliis rebus, quibus indiguerint. Ligna quoque congregacionis Doczanensis, que per Albiam et per Egram descendunt, volumus et auctoritate nostra firmamus, ut sine theloneo et absque omni inpedimento contradicencium ad usus ipsius descendant. Donacionibus nostris eciam interserimus, quia Fridericus dux, frater noster, contulit antedicte ecclesie circuitum Cothwin.[4] Patruus noster Heinricus dux contulit memorato loco circuitum Sbuinic cum coniuge sua Margareta.[5] Heinricus dux et episcopus contulit Colowec[p,6]. Juditha regina, mater nostra, dedit villam Brehori et mediam partem ville Rochov.[7]

286. *k) ita (pro* ‚aliquot'*) A1 et A2. — l) ita A1 et A2;* ‚sibi' *hic omissum esse nemo non videt. — m) genuine* ‚De succisione, quod presceka silve dicitur', *sed rectus verborum ordo signis eodem atramento superscriptis corr. A2. — n)* ‚Clobuc' *A2. — o) ita scribae incuria A1;* ‚transsitus' *A2. — p)* ‚Colowech' *A2.*

3) *Cf. Necrol. Dox. ad 15 dec.:* ‚Obiit pie recordacionis Przemysl rex IIIus, filius regis fundatoris cenobii nostri, congregacioni nostre per omnia devotus, qui contulit huic ecclesie predium Klobuk.' — 4) *Cf. Necr. Dox. ad 24 mart.:* ‚Obiit Fridericus, filius regis, dux Bohemie, qui dedit huic ecclesie villam Cotwyn.' — 5) *Cf. Necr. Dox. ad 14 aug.:* ‚Beate recordacionis Margareta ducissa, nostre congregacionis soror professa et eiusdem mater piissima, que contulit nostre ecclesie sexaginta marcas et calicem magnum cum patena et preciosissima altarium ornamenta et circuicionem Sbinicz.' — 6) *Cf. Necr. Dox. ad 14 iun.:* ‚Beate recordacionis Henricus, Pragensis eccl. episcopus et nostrarum congregacionum protector piissimus omniumque spiritualium optimus defensator, qui contulit nostre ecclesie circuitum Kolowcz et de tentorio suo ornamenta altarium auro texta.' — 7) *Cf. Necr. Dox. ad 31 mart.:* ‚Beate memorie Elizabet, secunda prelata huius ecclesie, soror [Henrici] ducis et episcopi, que contulit pro se et pro eodem fratre suo sexaginta marcas argenti ad edificium monasterii et calicem cum patena et ampullas deauratas inter cetera ornamenta et duas villas Bregor et Rogow.'

Item quia mortalitatis iter omni humane patet creature et nichil stabile videtur esse sub sole, vigilanti memorie commendandum est, quod Wladizlaus rex, pater noster, nominatim conferens domui Doczanensi predia sua terminis certis distinxit; nam Welichov a vado Radowani usque ad pontem paludum, quod Moztissche dicitur, et sic ad montem, qui dicitur Ztrani, et ita in Egram fluvium domui dicte donavit. Dedit eciam Scalice et Ledci cum silva. Dux quoque Fridericus, frater noster, consilio pietatis fervens in Zedleccensi provincia ab imperatore Friderico domui sepe nominate peticione sua firmiter obtinuit Woycowic cum silva, hiis terminis predium notatum distinguens: Primus terminus eius est a Buistrice, secundus ad Techomizl, tercius ad Nagradis, quartus ad villam nomine Sco newalde, et sic per directum ad flumen Lesche et ita tandem in Egram fluvium. Inter alia posteris mandanda hoc quoque dignum est referri, quod tempore Zobezlai ducis[8] Adalbertus, abbas Ztragouiensis, cum fratribus suis et sororibus Doczanensis domus Chrenoni, filio Jurate prepositi Melnicensis, dedit in concambio Raduissic curiam cum annona, additis quatuor marcis argenti pro toto patrimonio suo, quod habuit in Crawar, et omni silva attinente a signis Obless usque ad Scalca et iterum Scalca et tercium Scalca, deinde via ducens in Tynec, postea in Stuolenic, inde in Strasé ac sic in Pulsnice rivum. Confirmamus preterea donaciones nobilium nostrorum auctoritate nostra, qui testamentum suum morientes disposuerunt. Ex quibus Matheus comes, filius Nemoy, omnia predia sua moriens domui Doczanensi disposuit preter villam Protiwisch, quam uxori legavit. Gwal cum uxore sua Siwanic et Luhinnic contulerunt. Fridericus de Spelunca pro filio suo Heinrico moriente mediam villam Vreschan[q] contulit pro se ipso, residuam partem eiusdem ville prefate domui decedens legavit. Reinardus, filius Friderici, non multo tempore post ipsum vivens in morte sua Bresen pro se et parentibus suis deo et sancte Marie in Doczan contulit. Petrus, frater Friderici iam dicti, Basche, quod sui iuris erat, vitam finiens iam sepe dicte domui contradidit. Item quia mortalitatis iter omni humane patet creature et nichil stabile videtur esse sub sole, vigilanti memorie commendandum est, quod Wladizlaus rex, pater noster, nominatim conferens domui Doczanensi predia sua terminis certis distinxit; nam Welichov a vado Radowani usque ad pontem paludum, quod dicitur Moztissche, et sic ad montem, qui dicitur Ztrani, et ita in Egram fluvium domui dicte donavit. Dedit eciam Scalice et Ledci cum silva. Dux quoque Fridericus, frater noster, consilio pietatis fervens in Zedleccensi provincia ab imperatore Friderico domui sepe nominate peticione sua firmiter obtinuit Woycowic cum silva, hiis terminis predium nominatum distinguens: Primus terminus eius est a Buistrice,

[286 A2.] q) litterae ‚reschâ' in loco raso eadem manu scriptae sunt A2.

8) *Inter ann. 1175 ex. — 1178 in.; vid. Cod. dipl. Boh. I, pag. 250, num. 285.*

rum auctoritate nostra, qui testamentum suum morientes disposuerunt. Ex quibus Daniel, Pragensis episcopus, formam virtutis pretendens, dedit circuitum Ozlov et Chinowic villam cenobio Doczanensi.[9] Nos quoque pro Oztlov in concambio dedimus Petipezi, Lutmeric, Tribuchic totam villam, Lenesic totam villam, Lubedici, in Veltruz[10] X hospites et terram ad duo aratra. Item alii nobiles divini amoris instinctu, sue suorumque saluti intendentes, temporalia bona pro semper mansuris commutaverunt. Inter quos Gotebor eidem domui contulit villam Ledwic cum filia sua Eufrosina.[11] Pribizlawa, uxor Gotebor, dedit Zirbic.[12] Jheroneus,[13] frater Nemoy, dedit tres hospites in Mnetis.[r] Wlaztizlaus,[14] filius Jheronei, concambium fecit, Martinowez partem predii, quod sui iuris erat ibidem, dicte domui dans et Nyemsic super Wiltawam situm recipiens ab eadem domo consensu tocius congregacionis. Nemoy[15] et uxor eius dederunt partem ville in Wrascov. Welezlaus[16] et Matheus, filii Nemoy, dederunt Crabsic.[17] Idem

IIus ad Techomizl, IIIus ad Nagradis, IIIIus ad villam nomine Sconewalde, et sic per directum ad flumen Lesche et ita tandem in Egram fluvium. Inter alia posteris mandanda hoc quoque dignum est referri, quod tempore Zobezlai ducis[8] Adalbertus, abbas Ztragouiensis, cum fratribus suis et sororibus Doczanensis domus Chrénoni, filio Jurate, prepositi Melnicensis, dedit in concambio Raduissic curiam cum annona, additis IIIIor marcis argenti pro toto patrimonio suo, quod habuit in Crawar et omni silva attinente a signis Obless usque ad Scalca et iterum Scalca et tercium Scalca, deinde via ducens in Tynec, postea in Stuolenic, inde in Strasé ac sic in Pulsnice rivum. Preterea donacionibus nobilium Daniel, Pragensis episcopus, formam virtutis pretendens, dedit circuitum Ozlov et Chinowic villam cenobio Doczanensi.[9] Nos quoque pro Oztlov in concambio dedimus Petipezi, Lutmeric, Tribuchic totam villam, Lenesic totam villam, Lubedici, in Velperd[s, 10] X hospites et terram ad duo aratra. Item alii nobiles divini amoris

[**286** *A1.*] *r) genuine* ,dedit hospites in Mnetis tres', *sed rectus verborum ordo signis eod. atramento superscriptis corr. A1.*

[**286** *A2*] *s) litterae* ,perd' *in loco raso eadem manu scriptae sunt A2.*

9) *Cf. Necr. Dox. ad 8. aug.:* ,Pie memorie Daniel, episcopus *(† 1167)* et nostre congregacioni per omnia devotus, qui dedit Lubotienicz, Trebradicz, Numerzicz, Chinowicz et circuicionem Oslow.' *Sed in diplomatis nostri initio villam Libotěnice a Vladislavo rege monasterio Doxanensi donatam esse affirmatur.* — 10) *De villae huius donacione in Necr. Dox. haec commemorantur ad 21. iun.:* ,Venerabilis memorie Ida, regis cognata et soror nostra, que dedit ecclesie nostre quinquaginta marcas et villam Veltrus.' — 11) *Cf. Necr. Dox. ad 12. nov.:* ,Chotiebor comes, qui dedit huic ecclesie villam Ledczicz.' — 12) *Cf. Necr. Dox. ad 25. apr.:* ,Bone memorie Eufrosina, soror nostra, que dedit huic ecclesie Syrbicz.' — 13) *Obitus eius in Necr. Dox. ad 21. nov. commemoratur:* ,Jarohniew comes, qui dedit villam.' — 14) *Fortasse idem, qui in Necr. Doxanensi his verbis commemoratur ad 16. dec.:* ,Wlastislaus comes, qui dedit calicem cum patena.' — 15) *Cf. Necr. Dox. ad 24. ian.:* ,Nemoy comes, qui dedit huic ecclesie villam cum vinea.' — 16) *Cf. Necr. Dox. ad 1. iul.:* ,Velislaus comes, qui dedit huic ecclesie villam.' — 17) *Cf. autem Necr. Dox. ad 21. apr.:* ,Smyl miles, qui dedit huic ecclesie Crabczicz villam cum vinea.'

Matheus comes, filius Nemoy, omnia predia sua moriens domui sepe nominate disposuit preter villam Protiwisch, quam uxori legavit. Ulricus comes de Scicencov dedit villam Bernan[t] cum filia sua Margareta, que postmodum Rochov villam pro centum marcis comparavit, quas ei frater suus Ulricus decedens in testamento legavit.[18] Uxor Cháztonis contulit Gluscin. Gwal dedit villam Dechán. Idem Gwal cum uxore sua contulerunt Sywanic et Luhinnic. Fridericus de Spelunca pro filio suo Heinrico moriente mediam villam Veschan contulit, pro se ipso residuam partem eiusdem ville prefate domui decedens legavit. Reinardus, filius Friderici, non multo tempore post ipsum vivens in morte sua Bresen pro se et parentibus suis deo et sancte Marie in Doczan contulit. Petrus frater Friderici iam dicti Basche, quod sui iuris erat, vitam finiens iam sepe dicte domui contradidit.

instinctu, sue suorumque saluti intendentes, temporalia bona pro semper mansuris commutaverunt. Inter quos Gotebor eidem domui contulit villam Ledwic cum filia sua Eufrosina.[11] Pribizlawa, uxor Gotebor, dedt[u] Zirbic.[12] Jheroneus,[13] frater Nemoy, dedit tres hospites in Mnetis. Wlaztizlaus, filius Jheronei, concambium fecit, Martinowez partem predii, quod sui iuris erat ibidem, dicte domui dans et Nyemsic super Wiltawam situm recipiens ab eadem domo consensu tocius congregacionis. Nemoy[15] et uxor eius dederunt partem ville in Vrascov. Welezlaus[16] et Matheus, filii Nemoy, dederunt Crabsic.[17] Ulricus comes de Scicencov dedit villam Bernen cum filia sua Margareta, que postmodum Rochov villam pro C marcis comparavit, quas ei frater suus Ulricus decedens in testamento legavit.[18] Uxor Chástonis contulit Gluscin. Gwal dedit villam Dechán.

Zmil dedit mediam partem ville Hvoynic cum filia sua Scolastica; reliquam partem Wolframus et Bertoldus prepositi pro quinquaginta[v] marcis emerunt a Zmilone et a Cháztolov[x] filio eius. Item Wolframus prepositus Doczanensis emit ab uxore Cháztonis[y] quicquid ipsa possidebat in Lubochán pro XX marcis. Emit eciam Crassin a Cunrado de Lusic pro XX et duabus marcis. A Bunone filio Blehonis emit pro XL̊ et duabus marcis[z] quicquid habuit in Bussowic. Concambium eciam fecit memoratus prepositus cum Zlaucone fratre Grabisse, dans ei Ledwic villam et addens XX duas marcas recepit ab eo quicquid[aa] possidebat in Wirbochan et in Cakchov. A Dionisio, cognato Chrenonis, emit terram in Crawar pro XXV marcis. Ibidem emit a Beznata, filio Beznate, totam partem hereditatis sue pro XX et duabus marcis. A Moymero cognato eius emit partem ipsius pro XVIII marcis. A fratre

[286 A1.] *t)* ,a' *ex* ,e' *eodem atramento corr. A1.*

[286 A2.] *u) ita (pro* ,dedit'*) scribae incuria A2.*

v) ,L̊' *A2.* — *x)* ,Chastolov' *A2.* — *y)* ,Chastonis' *A2.* — *z) genuine* ,XL̊ marcis et duabus', *sed rectus verborum ordo signis eodem atramento superscriptis corr. A1.* — *aa)* ,quidquid' *A2.*

18) *Vid. Necr. Dox. ad 19. ian.:* ,Pie memorie Margareta, quondam prelata, que contulit huic ecclesie duas villas Brnan et Rogow.'

Moymeri, nomine Obelss, comparavit duas partes iuris sui, quod habebat in Vitozlawic pro XXX et VI marcis. Ab uxore Jacobi et filio eius Jacobo emit pro V marcis silvulam in Otochene. A Redhore quoque emit quod habuit in Perchov, quod est iuxta Goteschov, pro XX marcis. Quia vero presens scriptum non solum auctoritate nostra, verum eciam probatorum testium confirmacione plenius indiget, hic nomina testium perspicue decrevimus annotari: Wencezlaus dux filius regis et frater ipsius Wladizlaus marchio Morauie, Arnoldus cancellarius regis et prepositus Wissegradensis, Petrus abbas Ztragouiensis cum fratribus suis Gerardo priore et Johanne suppriore[bb] et Petro sacrista, Guntherus prepositus Doczanensis, Hermannus prepositus Lutomericensis et notarius curie, Wata camerarius ducis, Cháztolov filius Zmil venator summus, Petrus filius Milhozt, Ludher et filius eius Milhozt, Jan de Morasic, Zwatobor de Pressic, Beneda filius Stibor, Dalebor de Coneckulma, Zmil filius Protiwec, Zobeherde de Rosalowic, Neozstup[cc] miles, Trebata miles, Drirsizlaus de Beneschov, Zezema de Bolezlawa,[dd] Bohuzlaus filius Radim de Spelunca[ee] et alii multi.

Acta sunt hec anno verbi incarnati MCCXXVI, epacta XX, indictione XIIII, concurrente III. Omnis itaque qui Doczanensem domum gravare presumserit et hereditates ipsius a nobis vel ab aliis collatas contumaciter aggravare vel inpetere temptaverit, in perpetuam dapnacionem[ff] cum Sathana dampnato[gg] ab omnipotenti[hh] deo eternaliter involvatur. Amen.

Utrique autographo appendet e filis sericis Otakari regis sigillum de cera naturali confectum, idem atque in num. 264.

287.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, ecclesiam in villa Kořím fundaturus statuit, ut sit filia ecclesiae sancti Petri Brunensis.

Brunnae 1226 —.

Fasseau, Collectio synodor. et statutor. dioc. Olomuc. Pars III, pag. 24 (C) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 173, num. 169 (e duobus apographis simplicibus, quae autem ubi nunc sint, incertum est; B) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 329, num. 708 (frgm.).

Diplomatis verba ab Hermanno notario regio conscripta esse, diplomatibus num. 278, 238 aliis collatis certissime apparet.

In nomine sancte et individue[a] trinitatis amen. Otacarus[b] qui et Premizl,[c] dei gracia Boemorum[d] rex, universis Christi[e] fidelibus tam presentibus quam futuris. Ut ea, que a nobis provide et sollemniter disponuntur, non possint[f]

286. *bb) ita A1 et A2.* — *cc)* ‚Neoztup' *A2.* — *dd)* ‚Bolezlaua' *A2.* — *ee)* ‚de Spelunca' *omittitur in A2.* — *ff) ita A1;* ‚damnacionem' *A2.* — *gg)* ‚damnato' *A2.* — *hh)* ‚omnipotente' *A2.*

287. *a)* ‚sanctae et individuae' *et similiter etiam infra semper* ‚ae' *pro* ‚e' *simplici C.* — *b)* ‚Othagarus' *C, correxi ad fidem autographorum ab Hermanno notario scriptorum.* — *c)* ‚Premislaus' *C.* — *d)* ‚Bohemiae' *C.* — *e)* ‚in Christo' *B, C.* — *f)* ‚possent' *C.*

a quoquam hominum processu temporis immutari, sed perpetuo stabilia permaneant atque firma, notum facimus in perpetuum, quod cum ecclesia sancti Petri in Bruna ius decimarum in villa Corim nomine habuerit tempore ab antiquo, licet nostre intencionis et propositi sit[g] fundare ibidem ecclesiam et dotare, nolumus tamen, quod eadem Brunensis ecclesia privetur iure suo; immo volumus et statuimus ab omnibus nostris successoribus[h] inviolabiliter et firmiter observari, ut prefata Corimensis ecclesia sit filia ecclesie sancti Petri in Bruna, ita quod prepositus[i] ecclesie sancti Petri de ipsa Corimensi ecclesia et de omni iure suo,[k] tam decimarum quam alio, secundum suum beneplacitum quidquid velit ordinet et disponat. Ad huius autem nostri statuti perpetuam memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Huius autem rei testes sunt[l]: Hermannus prepositus Luthomericensis,[m] Ratiborius de Strachotiz,[n] Stephanus de Medlaw, dominus Leo de Klobuk, Thaz[o] castellanus Brunensis cum fratribus, prepositus Arnoldus de Luh, Cirh[p] subdapifer, Milich subpincerna, Andreas marscalcus,[q] Vocco subcamerarius, Spitata,[r] Glupen, Vecen, Iwan capellanus domini regis, Martinus plebanus de Dacziz, Hieronymus[s] plebanus in Pribizlawiz, Victor plebanus de Noua civitate; Johannes, Zdeslaus, Simon capellani domine regine aliique quam plurimi.[r]

Actum in Bruna,[t] anno incarnacionis dominice[u] millesimo ducentesimo vigesimo sexto, indictione XIIII.[v]

288.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, ad civitatem ante castrum Znojmo constituendam monasterii Lucensis fundum ‚Culchov' acquirit, pro quo ecclesiam in Prostoměřice, agros in Zadovany et decimas vinearum apud Znojmo monasterio eidem donat. *In Znojmo 1226 sept. 19.*

Autographum in membrana passim laesa scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A). — Apographum saec. XV exstat in cod. ms. ‚Matrica Lucensis' dicto, qui in eodem tabulario [inter Cerronianos II, 253] asservatur, pag. 29, num. 5.

(Hugo) Sacri et canon. ord. Praemonstrat. annales II, Probat. pag. 46 — [Chmel] Series fundationis Lucensis, pag. 19 (frgm.) – Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 172, num. 168 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 329, num. 707 (frgm.).

Autographum scripsit scriba, quem nota ‚Otakarus 30' signamus; cuius scribae manus iam in nullo alio eiusdem regis diplomate autographo deprehenditur. — Diploma ab Hermanno notario regio verbis contextum esse, diplomatibus num. 238, 270, 287 et aliis collatis cognosci potest.

---

287. *g)* ‚licet nostrae sit int. et prop.' *B.* — *h)* ‚succ. nostris' *B.* — *i)* ‚praelatus' *C.* — *k)* ‚suo iure' *B.* — *l)* ‚sunt hii' *B.* — *m)* ‚Lithomer.' *C.* — *n)* ‚Ratiborus de Strakoticz' *C.* — *o)* ‚Thuz' *C.* — *p)* ‚Arn. de Suhcirh' *C.* — *q)* ‚marschaltus' *C.* — *r) pro* ‚Spitata — plurimi' *legitur in C:* ‚aliique quam plurimi, ut in originali videre est.' — *s)* ‚Hermannus' *in alio apographo scriptum esse testatur Boczek.* — *t)* ‚Brunae' *C.* — *u)* ‚dominice incarnationis' *B.* — *v)* ‚quarta decima' *C.*

‖In nomine sancte et individue trinitatis.‖ Ottacarus, qui et Premizl, dei gracia Boemorum rex. Ne id quod a ‖ nobis pie disponitur atque racionabiliter ordinatur, et maxime circa loca religiosa Dominoque famulancia ‖ humiliter et devote, possit per quemquam hominum processu temporis immutari, set perpetuo stabile permaneat ‖ atque firmum, notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod cum nos vellemus ante Znoim civitatem construere in ipsamque homines convocare, et quia nostra propria area ibidem sita ad ipsam construendam nobis non erat sufficiens, fundum quendam, Culchov nomine, cum omnibus suis attinenciis, agris videlicet atque teloneo,[a] quod ibidem percipiebatur, ad Lucense cenobium pertinentem, excepto solo quodam vico circa ecclesiam sancti Nicolai sito, Vgezdez[b] nomine, qui specialiter eiusdem ecclesie dos semper exstitit, cum curiis magistri P[et]ri, Heinrici sagittari,[c] Vlrici[b] sagittarii et aliis eidem ecclesie prope adiacentibus, predicte civitati et suis habitatoribus addidimus. Prefato Lucensi cenobio loco iam dicti fundi et omnium suorum attinencium ecclesiam in Prozimiriz cum sua dote atque iure patronatus in perpetuum contulimus et donavimus pacifice possidendam. Insuper eidem cenobio addidimus agros ad nostrum aratrum et ad nostros rusticos in Zadowan, id est pomeriis, pertinentes. Hoc eciam statuimus, quod cum plantate[d] vinee in agris, quos prenotate civitati nostre addidimus cum Lucensi abbate commutantes, ex ipsis decimas percipiat idem abbas integre atque[e] plene. Postmodum autem abbas cenobii prenotati, nomine Florianus, ad nostram presenciam accedendo nobis humiliter supplicavit, ut eandem nostram donacionem et, ut verum fateamur, commutacionem ratam habentes atque firmam auctoritate regia confirmaremus. Nos vero ipsius precibus inclinati et quia eciam hoc factum pium est et honestum, eandem nostram donacionem et commutacionem ratam habentes et firmam auctoritae regia confirmamus, ipsam non personalem, set universitatis sive ecclesie intelligi volentes atque decernentes, ne hoc tam sollempne, pium et honestum factum liceat imposterum cuiquam hominum immutare, set perpetuo firmum et stabile perseveret. Ad huius itaque nostre donacionis et commutacionis perpetuam memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium conscribi fecimus et sigilli nostri robore communiri. Nomina autem testium sunt hec: Robertus Olomucensis episcopus, Zvezt abbas Trebecensis, Hermannus prepositus Lutomericensis, Otto castellanus de Donin, Wrs castellanus in Znoim, Pomnen, Hartlibus, Bohusa, Wilhammus pincerna cum fratribus, Howorish, Heinricus Pribrami, Branizlaus, Paulus iudex, Lutobor cum fratribus, Lupus, Vlricus sagittarius, Teodericus de Vetov, Ztonarius camerarius, Bohuzlaus castellanus de Wranov, Woko et Andreas filii Benes de Benessov, Oztoy cum fratre, Teodericus villicus, Wibertus prepositus sancti Ypoliti, magister Sdyzlaus, magister Stephanus, Sdezlaus, Lambertus, Matheus.

288. *a) genuine* ‚telonio', *sed* ‚i' *eod. atramento corr. A. — b) Litterae nominis huius iam paene evanuerunt A. — c) ita A. — d)* ‚sint' *scribae incuria hic omissum esse nemo non videt. — e) litterae* ‚at' *litteris* ‚vt'f' *absconduntur, quae alia manus alio atramento scripsit, A.*

Actum in Znoim, anno incarnacionis dominice millesimo CCXXVI, indictione XIIII, XIII kalendas octobris.

Autographo appendet e filis sericis coloris rubri, violacei, flavi sigillum regis de cera naturali confectum, idem atque in num. 264.

289.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterii in Litomyšl hominibus culpam, quae in vulgari ,hlava' nominatur, indulget, petente Waltero abbate. — 1226 [sept.].

Exstant duo autographa in membrana scripta, quorum unum (A^1) in tabulario terrae Moraviae Brunnae, alterum (A^2) in tabulario Musaei civitatis Litomyšl asservatur.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 174, num. 170 (ex A^1) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 328, num. 706 (frgm.) — Imaginem autographi A^2 ad minorem modum redactam v. apud Nejedlý, Dějiny města Litomyšle I ad pag. 64.

Utrumque autographum manu scribae, quem nota ,Otakarus 29' signavimus, exaratum est, qui etiam utrumque diplomatis num. 286 autographum scripsit. (In autographi A^1 tergo eadem manu adnotatur: ,Privilegium Lutomizlcensis ecclesie.'*) Diploma ab Hermanno regis notario, qui in corroboratione expresse auctor nominatur, verbis contextum esse, diplomatibus num. 196, 259, 289 aliisque collatis certissime apparet. Cum igitur de diplomatis origine genuina nullo pacto dubitari possit, suspicionem, quam Palacký, Dějiny I, pars 2, pag. 465 in diploma contulit, rationi omnino adversam esse, nemo non videt.*

+ ‖ In nomine sancte et individue trinitatis. ‖ Ottacarus, qui et Premizl, dei gracia Boemorum rex. Immutantur plerumque donaciones legittime factaque hominum sollemp‖niter[a] celebrata, nisi testimonio proborum hominum et sigillatis litteris roborentur; vivit enim littera et actio littere commendata. Notum siquidem facimus universis, ‖ tam presentibus, quam futuris, quod cum nos semel de Morauia per Lutomizl in Boemiam transiremus, per querelam domini Walteri abbatis et fratrum in eodem claustro ‖ Domino famulancium nobis constitit evidenter, quod a castellanis et iudicibus atque aliis nostris beneficiariis[b] occasione illius culpe, que hlaua vulgariter nominatur, eiusdem nostri claustri pauperibus maxima inpedimenta et iniurie atque gravamina fiebant; quam culpam, hlauam[c] videlicet, ut antedicti nostri claustri hominibus perpetuo penitus indulgeremus[d] divine remuneracionis intuitu, prefatus W. abbas cum fratribus nobis humiliter supplicavit. Et quia prenotatum claustrum, Lutomizl scilicet, maxime cum sit nostrorum predecessorum atque nostra fundacio, speciali quadam dileccione[e] semper dileximus et a nostris successoribus diligi volumus et foveri, ad preces domini Walteri, venerabilis abbatis eiusdem claustri, et fratrum suorum eandem culpam,

289. a) ,sollemniter' A^2. — b) *titulus supra* ,bn' *et* ,a' *in loco raso eod. atramento scr.* A^1. — c) *genuine* ,hlauam culpam' *sed verborum ordo signis superscriptis correctus* A^2. — d) ,indulgeremus penitus', *sed signis superscriptis corr.* A^2. — e) ,dilcone' A^1, A^2.

que hlaua vulgariter dicitur, omnibus generaliter hominibus ad iam nominatum claustrum Lutomizl pertinentibus perpetuo penitus indulgemus, statuentes, ut nullus umquam castellanus vel iudex seu quicumque alter noster aut successorum nostrorum beneficiarius super eadem culpa cum ipsis disponere audeat aut tractare; set ipse[f] abbas eiusdem claustri cum suis fratribus inter suos homines, cum hlaua fuerit, nullum respectum ad beneficiarios habens, quicquid voluerit ordinet et disponat.[g] Quicumque autem castellanus vel iudex aut alius beneficiarius hanc nostram libertatem, quam benigne pro remedio anime[h] nostre et predecessorum atque successorum nostrorum[i] claustro et elemosine nostre in Lutomizl indulsimus, inmutare voluerit, beneficio careat et ab episcopo terre publi[ce[k] ex]communicetur. Ad huius vero nostre indulgencie perpetuam memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium per[l] cancellarium nostrum Arnoldum, Wissegradensem prepositum, et Hermannum, notarium nostrum, Lutomericensem prepositum, conscribi[l] fecimus et sigilli nostri robore communiri. Nomina eciam testium, coram quibus hec facta sunt, hic decrevimus annotari: Slauek camerarius Pragensis et filius eius Boguzlaus,[m] Bicen castellanus Wratizlauiensis, Hartlebus villicus regis, Johannes castellanus, Jaros de Pribizlauic, Uitek[n] et frater eius Henricus,[o] Boruta[p] de Redgosc cum filio suo Boruta,[p] Sulizlav[q] de Loza, Sauisa, Cstibor de Nedelisc, Coiata filius Grabisse de Ponte, Golac castellanus Olomucensis et frater eius Zuezlav de Planan, Janec iudex Wratizlauiensis, Otazlav de Radgosc cum filio suo[r] Hartlebo, Wacek, Jaclin de Borouec, Suatozlav de Hermannic, Groznata de Podebrad, Predbor, Groznata de Hinerov, Glupen de Gor, Petrus de Seleuic, Dobremil, Zueprav, Dnepr, Scizlav, Mladota, Vatzlav, Bolezud de Cralic, Slusek de Pusic, Cristan de Zuincan, Mirozlav cum filiis Jan et Budizlav[s] de Ualle sacerdotis, Bicen, Ratmir, Sdimir, Budizlav, Buz, Predbor[t] de Morasic, Uictor filius Blud et alii multi.

Acta sunt autem hec anno dominice incarnacionis MCCXXVI, indictione XIIII, epacta XX, concurrente III.

Utrique autographo appendet e filis sericis coloris flavi sigillum Otakari regis, e cera rubri coloris confectum, idem atque in num. 264.

290.

Honorius III papa monasterio in Zwiefalten ius patronatus ecclesiae sanctae Mariae in Kladruby aliaque bona et libertates confirmat.

Laterani [1226] dec. 4.

---

289. *f)* ,se' *in loco raso ead. manus eod. atramento scripsit* A^1. — *g) litterae* ,po' *cum membrana destructa perierunt in* A^2. — *h)* ,benigne — ani' *cum membrana putrefacta perierunt in* A^2. — *i)* ,nostrorum' *cum membrana putrefacta periit in* A^2. — *k)* ,ficio — publice' *cum membrana putrefacta perierunt in* A^2. — *l)* ,per Hermannum nostrum notarium conscribi' A^2. — *m)* ,Boguzlaus filius eius' A^2, *ubi* ,Bog' *ex* ,Bug' *eodem atramento corr. est.* — *n)* ,Vitek' A^2. — *o)* ,Heinricus' A^2. — *p)* ,Borutha' A^2. — *q)* ,Sulizlaw' A^2. — *r)* ,suo' *deest* A^2. — *s)* ,Pudizlav' A^2. — *t)* ,Pretbor' A^2.

Autographum in membrana scriptum in tabulario regio Stuttgartensi asservatur (A).

Wirtembergisches Urkundenbuch III, pag. 207, num. 722 = Horoy, Honorii III Opera, tom V, pag. 146, num. 19 — Potthast, Reg. pontif., num. 7620 — Pressuti, Reg. Honorii III, num. 6079.

‖ Honorius ‖ episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis . . abbati et conventui ‖ monasterii Zvildensis[a] salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est ‖ nos facilem prebere consensum et vota, que a rationis tramite non discordant, ef‖fectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, ius patronatus ecclesie sancte Marie Cladrubrudensis,[a] possessiones et alia bona vestra nec non libertates et immunitates ac rationabiles vestri monasterii consuetudines hactenus observatas, sicut ea iuste, canonice ac pacifice obtinetis, vobis et per vos ipsi monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani, II nonas decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Autographo appendet e filis sericis flavis et rubeis Honorii III papae bulla plumbea eadem atque in num. 250.

291.

Conradus, comes de Wasserburg, Gebhardo, episcopo Pataviensi, eiusque ecclesiae partim titulo feudi, partim pignoris, obligat castrum suum Vichtenstein „cum omni suo patrimonio et proprietatibus eidem castro attinentibus, et preterea omnia quecunque habuit a terminis illius ripe, que Salza dicitur, usque Anasum et ab eo fluvio, qui vulgariter Iser dicitur, usque ad nemus Poemorum."
Pataviae 1226 —.

Monum. Boica XXVIII, ps. II, pag. 144, num. 38 (ex altero codice traditionum eccl. Patav.) — Lang, Reg. Boica II, pag. 160 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 329, num. 709.

292.

Laurentius, episcopus Vratislaviensis, iudicibus ad controversiam, quam cum Roberto, episcopo Olomucensi, de dioecesis suae limitibus habet, diiudicandam delegatis, se magistrum Gotfridum capellanum procuratorem suum constituisse, significat.
[post 1226]

Autographum in membrana scriptum in tabulario regio Dresdensi asservatur (A).

Gersdorf, Urkundenb. d. Hochstifts Meissen (Cod. dipl. Saxoniae. Zweiter Haupttheil) tom. I, pag. 96, num. 104 (ad ann. cc. 1227).

290. a) *ita A.*

Epistula nota temporis omnino caret, sed anno 1226 esse posteriorem ex eo cognosci potest, quod Udalricus, scolasticus Misnensis, ad quem missa est, anno illo demum munere suo fungebatur. De controversia, ad quam epistula spectat, vid. litteras Gregorii IX papae dd. 1229 iun. 7.

Venerabilibus viris P.[1] decano, V.[2] scolastico Misnensi et B. canonico ‖ Cicensi, iudicibus a sede apostolica delegatis, L.[3] dei gracia Wratislauiensis ‖ episcopus, devotum affectum et oraciones in Domino. Noverit vestra pruden‖cia, quod in causa appellacionis, que vertitur inter venerabilem fratrem nostrum[4] Olomucensem episcopum ex una parte et nos ex altera, magistrum Gotfridum capellanum nostrum constituimus procuratorem ad agendum, defendendum, excipiendum et replicandum et ad omnia faciendum, que quilibet procurator in causa simili facere posset, ratum habituri quicquid per ipsum in hoc negocio fuerit ordinatum. Hoc idem adversario significamus et petimus, ut presentis libelli ei copiam faciatis.

Sigillum, quod e scidula membranae ex litteris ipsis abscissa appendebat, deperditum est.

293.

Udalricus, scolasticus Misnensis, et B., canonicus de Zeitz, Lamberto, custodi Budissinensi, mandant, ut cum decano Misnensi ad Altzelle accedat, testes de causa episcoporum Olomucensis et Vratislaviensis auditurus.

[post 1226].

Autographum in membrana scriptum in tabulario regio Dresdensi asservatur (A).

Gersdorf, Urkundenb. d. Hochstifts Meissen (Cod. dipl. Saxoniae. Zweiter Hauptth.) tom. I, pag. 96, num. 105 (ad ann. cc. 1227).

Epistula eodem fere tempore atque illa, quae praecedit, scripta esse videtur.

V.[1] dei gracia scolasticus Misnensis, et B., canonicus Zicensis, iudices a sede apostolica dele‖gati, domino L.[2] custodi Budesinensi, sinceram in Domino caritatem. Rogandam ‖ duximus honestatem vestram et auctoritate qua fungimur precipiendo mandamus, quati‖nus una cum decano[3] coniudice nostro ad Cellam accedentes, testimonium domini[4] abbatis Cellensis et duorum suorum monachorum super causa appellationis, que vertitur inter Olmocensem et Wratzlawiensem episcopos, secundum formam ecclesie audiatis. Qui si forte ferre testimonium noluerint, per censuram ecclesiasticam ipsos compellatis veritati testimonium perhibere.

Sigillum, quod litteris e scidula membranae appendebat, nunc iam avulsum et deperditum est.

292. 1) *Petro.* — 2) *Udalrico.* — 3) *Laurentius.* — 4) *Robertum.*

293. 1) *Udalricus.* — 2) *Lamberto.* — 3) *Misnensi Petro.* — 4) *Ludegeri.*

294.

Gregorius IX papa Eberhardo de Waldsassen et Gunthero de Leubus abbatibus et magistro H., praeposito de Speinshart, litem, quae est inter Robertum episcopum et magistrum Sigifridum, canonicum Olomucensem, inquirendam et diiudicandam committit. *Laterani [1227] mart. 31.*

Apographum exstat in Gregorii IX regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. t. XIV) asservatur, fol. 2r, lib. I, ep. 7 (R).

Manrique, Ann. Cisterc. IV, pag. 343 (frgm.) — Palacký, Ital. Reise, pag. 24, num. 102 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 177, num. 172 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 330, num. 711 (frgm.) — Gradl, Monum. Egrana I, num. 173 (reg.) — Potthast, Reg. pontif., num. 7871. — Auvray, Les registres de Grégoire IX, t. I, col. 5, num. 7.

. .[1] de Waltesassen et . .[2] de Lubech abbatibus Cisterciensis ordinis et magistro H. de Spainsart preposito, Ratisponensis et Wratislauiensis diocesum.[a] Venerabilis frater noster . . Olomucensis episcopus nobis exposuit, quod cum magister S.[3] Olomucensis canonicus, sibi prestiterit iuramentum, quod ei et ecclesie sue fidelis in suis agendis existeret, sua et ipsius ecclesie negotia fideliter procurando, idem contra iuramentum suum temere veniens, karissimo in Christo filio nostro . . illustri regi Boemie contra ipsum et ecclesiam eandem adhesit et ei secretis revelatis ipsius, illum iniquis contra eum suggestionibus graviter concitavit; qui etiam quasdam litteras, quas ad opus ecclesie sue a sede apostolica impetrarat, temerario ausu subripuit et a quibusdam eius concanonicis, malitie sue complicibus, se procuravit in decanum Olomucensem eligi post appellationem ad sedem apostolicam legitime interiectam, et falsato sigillo ecclesie, sub eo electionis sue litteras fabricavit; et non solum ab eo monitus residentiam in ipsa ecclesia facere negligit, verum etiam alios verbo et exemplo retrahit ab eadem, alias sibi debitam obedientiam et reverentiam denegando. Unde humiliter petiit, ut eum de periurio et falsitate puniri, compesci ab occupatione decanatus, quem talis electionis pretextu sibi vendicare contendit, compelli ad restitutionem litterarum ipsarum, et ei super aliis, quod iustum est, fieri mandaremus. Dictus vero magister obtentis super hoc litteris, in communi audientia contradicens proposuit ex adverso, quod episcopus hoc falso confingens, infamis famam ei nititur sugillare; asserens quod cum idem episcopus dubitaret, ne per bone memorie G.[4] sancti Theodori diaconum cardinalem, tunc in partibus illis apostolice sedis legatum, fieret inquisitio contra ipsum, manu data promisit eidem, quod in nullo ipsum offenderet, sed foveret, propter quod et ipse sibi manu data promisit, quod libenter ei debito modo serviret, si de cetero a gravibus et enormibus

294. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R.*

1) *Eberhardo.* — 2) *Gunthero.* — 3) *Sigifridus.* — 4) *Gregorium de Crescentio. (Obiit 1226 post mai. 9).*

excessibus, quos commiserat, et specialiter a frequentatione monasterii Cunicensis, unde factus erat multis in scandalum, abstineret, omnino inficians se sibi iuramentum aliud prestitisse. Adiecit quoque idem magister, quod regem Boemie contra eum nullatenus concitarat, sed mitigaret potius concitatum. Surreptionem autem litterarum et falsationem sigilli penitus negans adiunxit, quod in decanum Olomucensem se numquam eligi procuravit, qui et potius electioni de se facte, victus eligentium infinitis precibus, vix consensit; et quod ipse in ecclesia Olomucensi non residet, habet ex apostolica indulgentia speciali. Addidit insuper se debitam reverentiam et obedientiam episcopo nullatenus denegasse; set ille forte reputat denegatam ex eo, quod idem facinoribus non consensit illius, qui non solum se ipsum in partibus illis contemptibilem reddidit, set totum ordinem clericalem. Quia vero nobis non constitit de premissis, discretioni vestre de ipsius magistri et dicti episcopi procuratoris assensu per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Laterani, II kalendas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

295.

Gregorius IX papa Eberhardo II, archiepiscopo Salisburgensi, mandat, ut Henricum de Kunringen, ministerialem Leopoldi VI, ducis Austriae, et socios eius, qui terram Bohemiae depopulati fuerint, si propter hoc excommunicati fuerint, absolvat, iniuncta poenitentia competente. *Laterani [1227] apr. 3.*

Apographum exstat in Gregorii IX regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XIV) asservatur, fol. 5r, lib. I, ep. 27 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 24, num. 103 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 178, num. 173. — Erben, Reg. Boh. I., pag. 331, num. 712. — Rodenberg, Epist. e reg. pontif. Rom. sel. (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 264, num. 347. — Meiller, Reg. d. Babenb. pag. 138, num. 211 (reg.) — Meiller, Reg. arep. Salisb. pag. 239, num. 307 — Potthast, Reg. pontif., num. 7872. — Auvray, Les registres de Grégoire IX, tom. I, col. 14, num. 27.

Cf. Winkelmann, Kaiser Friedrich II (ed. 1889) tom. I, pag. 489.

. .[1] archiepiscopo Salzburgensi.[a] Dilectus filius nobilis vir . .[2] dux Austrie transmissa nobis petitione monstravit, quod ipso existente in partibus Lombardie,[3] quo vocatus fuerat a karissimo in Christo filio nostro F.[4] Romanorum imperatore illustri, semper augusto et rege Sicilie, de Terre Sancte subsidio tracta-

295. *a)* ‚Eidem' *R: supplevi ex ep. registri 25 (Potthast num. 7874, Auvray I, col. 13, num. 25).*

1) *Eberhardo II.* — 2) *Leopoldus VI.* — 3) *a. 1226 m. apr.—iun.* — 4) *Friderico II.*

turus, Boemi terram eius hostiliter invadentes, ipsam depopulari rapinis et incendiis presumpserunt. Quare Henricus de Cunringen, ministerialis ducis ipsius, quem ipse dimiserat ad custodiam terre sue, inimicis pro posse repugnans, obsequentium sibi militum auxilio comitatus, terras illorum potenter intravit et ibidem exercuit incendia et rapinas. Unde dictus dux nobis fecit humiliter supplicari, ut licet dictus ministerialis et socii eius iniustissime provocati se licite vindicantes nil egisse videantur iniuste, quia tamen bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non fuit, predictum ministerialem et sequaces suos ab excommunicationis laqueo, si quem propter hoc forsitan incurrerunt, faceremus absolvi, presertim cum idem ministerialis paratus sit propter hoc quatuor milites suis sumptibus, qui alias ituri non essent, in Terre Sancte subsidium destinare. Volentes igitur sic annuere precibus supplicantis, ut vigorem servemus ecclesiastice discipline, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus illo premissa complente, ipsis iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendens, ipsis secundum qualitatem et quantitatem culparum iniungas penitentiam competentem. Datum Laterani, III nonas aprilis, anno primo.[b]

296.

Henricus III, rex Angliae, Henrico, archiepiscopo Coloniensi, de foedere cum Henrico VII, rege Romanorum, et principibus imperii faciendo scribit eique significat se consilium eius de matrimonio cum Agnete, regis Bohemiae filia, contrahendo secuturum esse. *Westminster [1227] apr. 13.*

Apographum exstat in Henrici III rotulo litterarum clausarum a. XI, qui in tabulario regio Londinensi asservatur, membrana 13 in dorso (R).

Rymer, Foedera I (ed. 1704) pag. 293 — Hardy, Rotuli litterarum clausarum II, pag. 210, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 331, num. 713. — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10986.

Cf. Winkelmann, Kaiser Friedrich II (ed. 1889) tom. I, pag. 502.

Archiepiscopo Coloniensi[1] rex[2] etc. salutem. Quod confederacionem inter dominum regem Alemannie[3] et principes imperii et nos inire desideratis, parati ad id consilium efficax apponere, ut ex litteris a sinceritate vestra nobis transmissis manifeste perpendimus, paternitati vestre uberes exsolvimus gratiarum actiones, tanto vobis obnixiores, quanto citra merita nostra affectionem vestram circa nos sensimus sinceriorem. Gratularemur siquidem et admodum nobis esset iucundum prefatum dominum regem, principem adeo potentem et illustrem, cum principibus imperii et nos mutuo confederacionis vinculo astringi, quo alterna consilii et auxilii vicissitudine interveniente ad invicem pleniori gauderemus

295. *b)* ‚a. primo' *omittitur in R.*

296. 1) *Henrico.* — 2) *Angliae Henricus III.* — 3) *Henricum VII.*

tranquillitate. Cum autem adhuc soluti sumus, nec cum aliqua matrimonium contraxerimus, vel in aliqua parte obligemur alicui, paternitati vestre duximus significandum, quod super filia illustris regis Boemie[a] [4] ducenda in uxorem, sicut scribentes nobis bona fide consuluistis, vel alia nobis idonea copula matrimoniali coniungenda parati sumus vestro parere consilio, si commodum et honorem nostrum in hoc consideretis et nobis et regno nostro expedire videamus. Vos igitur, si placet, tam super hoc quam aliis voluntatis vestre beneplacitum per presencium latorem, quem ad vos destinamus, sub festinacione nobis significare velitis. Teste rege apud Westmonasterium, XIII die aprilis, anno regni nostri XI.[b]

297.

Gregorius IX papa Roberto, episcopo Olomucensi, atque ecclesiarum dioecesis eius praelatis fratres ordinis Praedicatorum commendat.

Laterani [1227] apr. 21.

Ripoll, Bullarium ord. fratr. Praedicatorum I, pag. 18, num. 1 („ex archivo ordinis, in quo exemplar, cuius autographum tenet conventus Brunensis in Moravia") = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 179, num. 174 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 332, num. 714 (reg.) — Potthast, Reg. pontif., num. 7880.

Epistulae prior pars iisdem fere verbis conscripta est atque litterae Honorii III ad archiepiscopum Tarragonensem a. 1220 maii 6 missae (Potthast num. 6246) et litterae eiusdem papae a. 1221 ian. 18 datae (Potthast num. 6508). — Epistulae nostrae forma postea paucis tantum verbis mutata in Librum provincialem cancellariae apostolicae descripta est; v. Tangl, Die päpstl. Kanzleiordnunden, pag. 285, num. 67.

Gregorius episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri . . episcopo Olomucensi et dilectis filiis abbatibus, prioribus, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis per Olomucensem diocesim constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam habundavit iniquitas et refriguit caritas plurimorum, ecce ordinem dilectorum filiorum fratrum Predicatorum Dominus suscitavit; qui non que sua sunt, sed que sunt Christi querentes, tam contra profligandas hereses, quam contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicarunt evangelizationi verbi dei in abiectione voluntarie paupertatis. Nos igitur eorum sanctum propositum et necessarium ministerium favore benivolo prosequentes, universitati vestre ipsos affectuose duximus commendandos; caritatem vestram rogantes et exhortantes in Domino ac per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus dilectos filios fratres Predicatores pro reverentia divina ad officium predicandi, ad quod deputati sunt, recipiatis benigne ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum verbi dei semen devote suscipiant et confiteantur eisdem, cum auctoritate nostra liceat

296. *a) genuine* ‚Rom', *sed deletum et* ‚Boem' *eodem atramento superscr. R.* — *b)* ‚Teste ut supra' *R; suppl. ex epistula, quae in R praecedit.*

4) *Agnete.*

confessiones audire ac penitentias iniungere, sedulo admonentes, pro nostra et apostolice sedis reverentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatinus ad predicta suscipienda vestris exhortationibus populi preparati, tamquam bona et fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, et dicti fratres per operationem vestram suscepti ministerii cursum felicius consummando, optatum reportent sui laboris fructum et finem, salutem videlicet animarum. Quia vero sepe vitia sub specie virtutum occulte subintrant, et angelus satane in angelum lucis se plerumque simulate transformat, presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus si qui de predictorum fratrum ordine se dicentes in vestris partibus predicaverint ad questum se pecuniarum convertendo, per quod religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contingeret infamari, vos tamquam falsarios capiatis et condempnetis eosdem. Datum Laterani, XI kalendas maii, pontificatus nostri anno primo.

298.

Gregorius IX papa Johanni et Johanni, canonicis Pragensibus, qui, sententiarum suspensionis et amotionis suae a beneficiis ignari, divina celebraverant, indulget. *Laterani [1227] apr. 22.*

Apographum exstat in Gregorii IX regestorum vol. I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XIV) asservatur, fol. 6v—7r, lib. I, ep. 46 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 24, num. 104 (reg.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 332, num. 715 (reg.) — Potthast, Reg. pontif., num. 7882 — Auvray, Les registres de Grégoire IX, tom. I, col. 23, num. 46 (reg.).

Johanni Johanni[a] canonicis Pragensibus.[b] Apostolice sedis gratiosa potestas et iustitie prosequitur debitum et favorem gratie non omittit. Sane vobis nuper apud sedem apostolicam constitutis quedam suspensionis et amotionis a beneficiis sententie fuerunt in modum exceptionis obiecte, quas licet assereretis vos posse nullas esse per testes idoneos et instrumenta probare, ne tamen ordinationem Pragensis ecclesie, propter quam veneratis, huiusmodi obiectionis obstaculo contingeret retardari, sententias ipsas relaxavimus ad cautelam. Verum quia medio tempore, dictarum sententiarum ignari, celebrastis divina, ne per aliquos, quos ignorantia plus debito credulos vel malitia interpretes duros efficeret, vestra saltem de facto propter hoc opinio gravaretur, humiliter supplicastis vobis per sedem apostolicam provideri. Quia vero, ut culpe metam pene non transgrediatur excessus, non plus debet extendi vindicta, quam inveniatur in excedente commissum, si premissis veritas suffragatur, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Ceterum si forte ignorantia crassa et resupina aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate apostolica indulgemus. Datum Laterani, X kalendas maii, anno primo.[c]

298. *a) ita R. — b) Superscriptio colore rubro scripta est R. — c)* ‚anno primo' *desunt in R.*

299.

Gregorius IX Gebhardo episcopo atque praeposito et decano Pataviensibus mandat, ut Johannem, scholasticum Pragensem, in episcopum electum examinent et, si nihil invenerint eidem obstare de canonicis institutis, Pragensi ecclesiae concedant in pastorem. Laterani [1227] apr. 30.

Apographum exstat in Gregorii IX regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vatic. tom. XIV) asservatur, fol. 10v, lib. I, ep. 69 (R).

Auvray, Les registres de Grégoire IX, tom. I, col. 35, num. 69.

..[1] episcopo, .. preposito et .. decano Patauiensibus.[a] Cum bone memorie ..[2] Pragensis episcopus apud sedem apostolicam diem clausisset extremum,[3] bone memorie H.[4] papa, predecessor noster, volens personam prefici Pragensi ecclesie, que tanto congrueret oneri et honori, mandavit Pragensi capitulo, ut aliquos ex se vice omnium ad sedem mitterent apostolicam, personam idoneam ad regimen ipsius ecclesie cum eius consilio electuros.[5] Cum ergo dilecti filii Martinus, Johannes, magister S.[6] et B.[7] Pragenses canonici, propter hoc ad sedem apostolicam destinati, vellent procedere in negotio, dilecti filii ..[8] prepositus, ..[9] decanus et magister Petrus canonicus Pragenses se opposuerunt eisdem, dicentes, quod ius eligendi ad ipsos fuerat devolutum. Cumque monuissemus eosdem, ut ab huiusmodi contentione cessantes, una cum illis procederent ad providendum ecclesie supra dicte, ipsi monitioni nostre acquiescentes humiliter, una cum ipsis habuerunt super provisione ipsius ecclesie consilium et tractatum, ac tandem in dilectum filium ..[10] Pragensem scolasticum, virum, ut asserunt, litteratum, providum et honestum, unanimiter concordarunt; humiliter postulantes, ut, cum adhuc sit in minoribus ordinibus constitutus, ipsum eidem ecclesie in pastorem concedere dignaremur. Volentes igitur ipsi ecclesie, in quibus secundum deum possumus, gratiam exhibere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsum scolasticum diligenter examinare curetis et, si nichil inveneritis eidem obstare de canonicis institutis, nisi quod est infra sacros ordines constitutus, ipsum auctoritate nostra concedatis eidem ecclesie in pastorem, dantes ei licentiam, ut a quocumque maluerit catholico episcopo, apostolice sedis gratiam et communionem habente, ordines ipsos recipiat, consecrationis munus a venerabili fratre nostro ..[11] Maguntino archiepiscopo, metropolitano[b] Pragensis ecclesie, recepturus. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse,[c] tu, ea[d] frater episcope, cum[e] eorum altero nichilominus exequaris.[e] Datum[f] Laterani, II kalendas maii, pontificatus nostri anno primo.

299. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R. — b) sequitur* ‚suo', *sed punctis subpositis deletum R. — c)* ‚hiis — interesse' *tantum compendio* ‚etc.' *indicantur in R. — d)* ‚ea' *omittitur in R. — e)* ‚cum — exequaris' *tantum compendio* ‚etc' *indicantur in R. — f)* ‚Dat. ut supra' *R; supplevi ex ep. 62 registri.*

1) *Gebhardo.* — 2) *Budislavus alias Budivoj.* — 3) *a. 1226 iul. 10.* — 4) *Honorius III, † 1227 mart. 18.* — 5) *Vid. Honorii III papae litteras a. 1226 iul. 21 (supra num. 284) datas.* — 6) *Zdislavus.* — 7) *Bernardus.* — 8) *Eppo.* — 9) *Arnoldus.* — 10) *Johannem.* — 11) *Sigifrido II.*

300.

Gregorius IX papa archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, mandat, ut fratres ordinis Praedicatorum bene recipiant ad officium praedicandi et populos suos sedulo admoneant, ut ex ore illorum verbum dei devote suscipiant.

Laterani [1227] maii 10.

Autographum in tabulario monii. Dominicanorum in Olomuc asservatur.

Ripoll, Bullarium ord. fr. Praedicat. I, pag. 19, num. 3 (ex autographo tabularii ordinis Praedic.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 180, num. 175 (frgm.) — Brandl, Cod. dipl. Mor. VII, pag. 721, num. 57 (reg. germ.) — Potthast, Reg. pontif., num. 7896.

‚Quoniam habundavit iniquitas – VI idus maii.' — *Litterae eiusdem formae verba repetunt, quae in epistula num. 297 conscribenda adhibita est.*

301.

Leopoldus VI, dux Austriae et Styriae, fratribus hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani confirmat ius patronatus ecclesiarum in Walkenstein et Erdberg (Hrádek), quod cum decimis ad eas spectantibus Otto de Traberg, ministerialis suus, eis tradidit.

Neustadt 1227 maii 12.

Charta autographi instar manu saec. XV in membrana scripta in tabulario magni prioratus Melitensium Pragae asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 181, num. 176 (ex apographo quondam Musaei Moravici Brunnae) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 332, num. 716 (reg.) — Delaville Le Roulx, Cartulaire général des Hospitaliers de St. Jean de Jérusalem II, pag. 364, num. 1862.

In nomine Domini amen. Leopoldus, dei gracia dux Austrie et Stirie. Universis presentibus et futuris cupimus esse notum, quod Otto de || Traberch, ministerialis noster, de nostre voluntatis assensu, per manum et assensum Heinrici, filii sui, pro remedio anime sue et || dominorum suorum omniumque parentum suorum salute iura patronatus et quicquid iuris habuit in ecclesiis Walgerstein Patauiensis || et Erdpurga Olomucensis diocesum, libere et absolute tradidit hospitali et fratribus sancti Johannis iure perpetuo possidenda una cum universis decimis campestribus et domesticis frugum, siliginis, tritici, ordei, avene, canapi, papaveri, croci, rapparum, lini, lentis, caulium et omnium ex terra germinancium; insuper porcellorum, aucarum, anetarum, gallinarum, ovorum, mellis, agnellorum, vitulorum et omnium domesticorum brutorum. Que omnia, sicut nos de facto a nostris ibidem colonis recepimus, ita de iure divino et canonico tanquam dominus temporalis, qui decimas dei de iure possidere nequit, dictis fratribus plebanis in Walgerstein et Erdpurga tradidimus possidenda, recipienda et in suum usum convertenda. Ut igitur hec donatio, coram nobis in conspectu procerum nostrorum racionabiliter

facta, rata permaneat, presentem litteram, sigillo nostro appendenti roboratam, memoratis fratribus plebanis tradidimus. Actum Noue Civitatis, IIII idus maii, anno incarnationis dominice M°C°CXXVI°I, indictione XV.

Chartae appendet e filis sericis flavis sigillum rotundum (diametros 85 mm) de cera coloris fusci confectum. In sigilli medio eques conspicitur, qui manu dextra hastam cum vexillo, sinistra scutum pro pectore tenet. Circumscriptio: ✠ LIVPOLDVS · DЄI GRATIA ///VX STIR IЄ. *(Sigillum nonnullis filis abscissis ab autographo genuino resolutum esse et hic iterum appensum esse videtur).*

302.

Kojata de Most (Brüx) monasterio Sepulcrariorum in Zderaz, quod cum fratre suo Všebor nomine fundaverat, possessiones suas in Bohemia et Moravia sitas, quas nominatim recenset, donat; hoc excepto, ut Vratislava, uxor sua, villas Tlustovousy et Šestajovice per omnem vitam possideat.

— 1227 iul. 22.

Dobner, Monum. hist. Boem. IV, pag. 259 (Specimen codicis dipl. Mor., num. 56; e tabularii Zderaziensis autographo, quod iam deperditum est) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 181, num. 177, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 332, num. 717, = Schlesinger, Stadtbuch von Brüx, pag. 2, num. 8.

Noverit presencium universitas et posteritas futurorum, quod ego Coiata de Gnevin most, filius Grabisii, considerans carnalem mihi prolem divinitus esse negatam, que mihi in meis bonis succedere posset, volensque Christum[a] heredem habere et in bonis meis successorem, qui pro datis sibi reddit centuplum et dat vitam eternam, ecclesie Sderazensi[b] ante Pragam, quam ad honorem Christi[c] et eius sancti Sepulcri ego et dominus Swebor,[d] karissimus frater meus, fundavimus, et in qua sepulturam elegi, do, dono et relinquo Gnevin most cum omnibus suis appendiciis et Wrutek cum omnibus attinenciis suis et Jamne cum his, que ad se pertinent, Tlustovsi et Sestoiewice, Lemusi, Lipetim, Copisti cum omnibus eorum iuribus et utilitatibus; ita tamen, quod domina Wratislaua, coniunx mea dilecta, Tlustovsi et Sestoiewici possideat temporibus vite sue; post mortem autem eius pertineant ad ecclesiam memoratam. Ut autem donacio mea robur obtineat firmitatis, presens scriptum iussi sigillis predicti domini Sweborii fratris mei, qui eidem ecclesie Sderazensi[e] dedit plura sua bona, et meo roborari. Testes horum sunt: Groznata comes de Podebrad,[f] Boguslaus, Vnka,[g] Wok, Matheus, Castolow, Henricus, Zezema, Milota,[h] Stognew, Benes. Actum et datum anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo XXVII, undecimo kalendas augusti.

Utrumque sigillum, quod chartae olim appendebat, tempore suo iam avulsum fuisse dicit Dobner l. l. not. e.

302. *a)* ‚Cristum' *Dobner. — b)* ‚Zderasiensi' *Dob.; correxi auctoritate autographi num. 303 nisus. — c)* ‚Cristi' *Dob. — d) ita Dobner; quod procul dubio* ‚Wsebor' *corrigendum est. — e)* ‚Sderasiensi' *Dob. — f)* ‚Grosnatha comes de Podibrad' *Dob. — g)* ‚Unka' *Dob. — h)* ‚Milotha' *Dob.*

303.

Kojata, filius Hrabišae, bonis suis in Bohemia et Moravia sitis, quorum nomina adferuntur, ecclesiam Pragensem et monasteria in Zderaz, Opatovice, Strahov et Sedlec atque cognatos suos, quos nominatim indicat, heredes testamento instituit.

1227 —.

Autographum in membrana scriptum in bibliotheca c. r. universitatis Pragensis asservatur (A). — Apographum saec. XVIII exeuntis exstat in tabulario regni Bohemiae (B).

Dobner, Monum. hist. Boem. IV, pag. 257, num. 55 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 182, num. 178. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 332, num. 718 — Schlesinger, Stadtbuch von Brüx, pag. 3, num. 9.

Autographum manu quadam ignota exaratum est. Charta repetit nonnulla verba chartae, quae 1227 iul. 22 data est (v. num. 302). — In temporis nota dies quidem non adfertur, sed chartam eodem fere tempore atque num. 302 datam esse verisimile est, quod hic iidem nobiles testes adferuntur. Ante diem 19 decembris data sit necesse est, quod in ea Johannes electus Pragensis episcopus nominatur.

Notum sit omnibus, quod ego Coiata, filius Grabisse, cum filios non || habeam, Christum heredem faciens, in testamento relinquo ecclesie Pra||gensi Krriti preter unam curiam, quae subiacet eclesie[a] sancti Georgii in || Tiz. Sepulchro Christi, Sderazensi videlicet eclesie,[a] relinquo Gnevin most cum omnibus appendiciis suis et Wrutek cum omnibus attinenciis suis[b] et Jamni cum omnibus, que ad se pertinent; in Morauia Bvdiccowici, Koietici, Jurinouici, Tlustovsi, Lemusi, Sestoiowici, Ostrasan, ita dumtaxat, ut domina Wratislavva, uxor mea, regat et possideat omnibus diebus vite sue. Ecclesie sancti Laurentii Opatowic villam Matarow; ad Gnevvin most none septimane totum, totum ius fori nec non et tabernarum[c] usus secundum numerum quantitatem none taberne census reddatur. Ecclesie Stragowiensi villam Coberici. Ecclesie Sedlecensi Sesemici, Krastno, Prelozi, Zmine. Sororinis meis duabus Ewfemie et Swatohne in Morauia Drunowici et Ratsici. Sororino nostro Benes villam Cladorub, Kocasice, Domaslaw. Hermanno servienti Zadub.[d] Marsoni Krasicow, Mirkow. Miquarto Cocotow. Blasio Polsice. Wogslao et Boguslao Bezdruzice. Pribislao et Wladorio Podgore. Bodiwog Tizu. Jarosowi Jabloni. Miloslao Welebudici. Detrico Slatinicci. Item Miquarto Nenkowici. Predborio Nascalsce. Blasio clienti Nauisocei, Klimete Scrrihlebee. Zezeme et Milote fratri eius Hocen, Wizrece, ita ut diviso nemore cum Sepulchrariis faciant sibi novalia. Nacasso Nalgote et nemus Nalubhaue. Johanni Vmostka. Oslowi Wlocoti, Olesna. Voyslao Vgerci. Conrado Goreni, Naprerowe. Et quia omnium habere memoriam pocius est divinitatis quam humanitatis, ut ultime voluntatis męę disposicio perpetuum robur obtineat firmitatis, testamentum meum feci in scriptis redigi, faciens illud mei sigilli munimine

---

303. a) ‚ecľie' *A.* — b) *titulus supra* ‚ff' *scribae incuria omissus est A.* — c) ‚tabe'naɏ' *A.* — d) ‚d' *ex* ‚b' *eodem atramento correctum est A.*

roborari. Dominum eciam electum Pragensem[1] rogavi, ut suum appenderet sigillum. Testes autem, qui rogati a me in disposicione huius facti fuerunt, sunt isti: dominus Martinus prepositus Sacensis, Clemens archidiaconus Bolezlawensis, dominus Berhardus[e] subdiaconus curie Romane, Pragenses canonici; Conradus abbas de Opatowic,[f] abbas de ssek,[g] abbas de Milewsk, abbas de Sedlec, Groznata comes de Podebrad, Boguslaus,[h] Vnka, Wok, Matheus, Castolow, Henricus, Zezema, Milota, Stognew, Benes, Nicolaus archidiaconus, Vogslaus canonici Pragenses. Anno dominice incarnacionis millesimo C̊CX̊X̊VII[i] facta sunt hec et confirmata hora nona.[k]

Autographo appendent e scidulis membranae duo sigilla e cera naturali confecta: 1) *Sigillum formae rotundae (diametros 65 mm), cuius imaginem minus accuratam dedit Dobner, Monum. IV, tab. III, num. 55. In cuius sigilli medio depingitur episcopus in solio sedens, qui manu dextra ad benedicendum elevata, sinistra librum tenet. Circumscriptio:* ✠ SIGILŁ IOħIS DI GR̄A SCЄ P...ЄŊ ЄCCLĪЄ OꝛNISTRI (!). — 2) *Sigillum formae rotundae (diametros 40 mm), in cuius medio duo rastra hortensia decussatim posita conspiciuntur. Circumscriptio:* ✠ SIGILLVOꝛ C////////ATA. *Imaginem dedit Dobner ibid. tab. I, num. 55.*

304.

Johannes II, episcopus Pragensis, Vojslavae, ecclesiae Chotěšovensis fundatrici, villam Hošice et partem villae Lešina vendit idemque testatur ecclesiae Pragensi pro terra, in qua ecclesia Chotěšovensis sita est, quandam vineam datam fuisse.

— 1227 [dec. ex.]

Apographum saec. XVII praebet Bandhauer, Annales monii. Chotěšovensis, cod. ms. bibl. c. r. univ. Pragensis XV. B. 4 signatus, pag. 344 (B).

Emler, Reg. Boh. IV, pag. 712, num. 1775.

Johannem II anno 1227 dec. 19 demum consecratum esse Ann. Erphord. frm. Praedic. (ap. Holder-Egger, Mon. Erphesfurt., pag. 81) his verbis referunt: „A. dni. MCCXXVII, XV kal. ianuarii *[dec. 18]* Erphordie tripartitos celebraverunt ordines hii episcopi: *[Sigifridus II]* Moguntinus ad s. Petrum, *[Fridericus II]* Halverstatensis ad s. Mariam, *[Albertus]* Livoniensis ad capellam s. Marie Magdalene in claustro sancti Petri; qui sequenti dominica *[dec. 19]* pariter *[Johannem II]* Pragensem electum ⟨in ecclesia sancti Petri *addit Cron. s. Petri Erford. ibd. pag. 228*⟩ in episcopum consecraverunt.“ *(Eandem diem consecrationis commemorat etiam Pulkava ap. Emler, Fontes rer. Boh. V, pag. 134). Ex quo intelligitur litteras istas non ante anni 1227 finem confectas esse.*

---

303. *e) ita (loco* Bernhardus*) A. — f)* ‚Opatow̄‘ *A. — g) ita (loco* Ossek*) A. — h) litterae* ‚Bo‘ *iam paene evanuerunt A. — i) litterae* ‚C̊CX‘ *dificillime agnosci possunt A. — k) vocis huius litterae iam paene evanuerunt; Dobner et post eum reliqui minus iuste* ‚prima‘ *legunt.*

1) *Johannem II.*

Notum sit omnibus tam presentibus[a] quam futuris, quod nos Johannes,[b] divina miseratione sancte Pragensis ecclesie episcopus, de consilio canonicorum Pragensium domine Woislave, fundatrici Chotessouiensis ecclesie, vendidimus villam, que dicitur Hochici, pro LX marcis argenti. Vendidimus etiam eidem domine partem ville, que dicitur Lessina, pro XXX marcis argenti. Et hanc summam pecunie convertimus pro pretio circuitus, qui dicitur Pribram; quem circuitum predecessor noster sancte memorie Andreas, Pragensis episcopus, emerat pro CCC marcis argenti. Preterea noverint universi, quod cum[c] de terra, in qua sita est ecclesia Chotessouiensis, coram nobis, videlicet Johanne,[d] sancte Pragensis ecclesie episcopo, a quibusdam rusticis nomine Pragensis ecclesie questio moveretur, predicta domina Woislava per legittimas probationes coram nobis ostendit, quod quedam vinea,[e] que nomine dicitur Semirma, pro predicta terra Pragensi episcopo et ecclesie sue in concambium data fuit. Et quod predicta vera sint, nos scilicet Pragensis episcopus testimonium perhibemus. Ut autem hec pagina[f] robur obtineat perpetue[g] firmitatis, eam nostro et capituli Pragensis sigillis fecimus communiri. MCCXXVII.[h]

305.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Petro, rectori provinciae Bítovensis, ut circuitum Lovětín monasterio in Louka vendere possit, licentiam permittit.
Pragae 1227 [dec. ex.]

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 183, num. 179 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 333, num. 719 (frgm.).

Autographum manu scribae, quem nota ‚Otakarus 31' signamus, exaratum est. — Diplomatibus num. 278, 238, 199 et 324 collatis, adducor, ut etiam diplomatis nostri verba ab Hermanno notario regio conscripta esse credam. — Diploma post diem 19 decembris datum esse, ex eo cognosci potest, quod inter testes Johannes episcopus Pragensis adfertur.

‖In nomine‖ sancte et individue trinitatis amen. Ottacarus, qui et Premizl, dei gracia Boemorum[a] rex. Volentes immo firmiter pre‖cipientes ea, que a nobis et ad honorem nostrum provide disponuntur, rata haberi et firma atque ab omnibus inviolabiliter observari, nec debere processu tem‖poris per quemquam hominum immutari, notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod cum fidelis noster minister Petrus, rector provincie Betó‖uensis, civitatem in Jamnic cepisset edificare muro forti, nec haberet sumtus[b] sufficientes ad ipsam perfi-

304. *a)* ‚praesentibus' *et similiter etiam infra* ‚ae' *pro* ‚e' *simplici B.* — *b)* ‚Joannes' *B.* — *c)* ‚cum' *om. B.* — *d)* ‚Joanne' *B.* — *e)* ‚quandam vineam' *B.* — *f)* ‚pagina' *deest B; supplevi.* — *g)* ‚perpetuo' *B.* — *h)* ‚1227' *B. Ante anni numerum quaedam ab apographi scriptore procul dubio omissa sunt.*

305. *a)* ‚Boem̄' *A.* — *b) ita A.*

ciendam, nos ei dedimus liberam licenciam circuitum quendam nomine Louetin, quem a nobis suo fideli servicio promeruerat, domino Floriano, abbati de Luca, et toti conventui venumdandi, ita quod idem dominus abbas et sui successores in aquis, que ibidem fluunt, Ihlaua scilicet et Crupî, ubicunque velit, possit, ad quemcunque locum eedem aque deriventur, piscinas et molendina licite collocare, omnium fluminum ibidem labencium ripas hereditario iure possidendo. Hanc etiam eidem abbati et suis sucessoribus[b] de nostra gracia in eodem circuitu dedimus libertatem, ut quicunque fur inter suos homines, quos in ipso eodem circuitu collocaverit, fuerit deprehensus, collum domino terre et suis beneficiariis assignet, bona vero furis[c] claustro integre et sine cavillatione aliqua statuimus assignari. Et ut hec omnia rata et stabilia perpetuo perseverent, nec per quemquam hominum in posterum immutentur, presens privilegium sibi et suis successoribus pro testimonio fecimus exhiberi. Actum Prage, anno incarnationis dominice millesimo CCXXVII, indictione XV.

Testes: Johannes episcopus Pragensis, Hermannus prepositus Lutomiricensis, Vipertus prepositus Znoymensis, Zauise iudex curie regis Boemie, Albertus subpincerna, Albertus subcamerarius, Henricus et Vitco filii Uitkonis, Woc filius Borute, Zuest, Wirs purgravius et Bohuse castellanus de Znoym, Radozlav magister venatorum, Bartus iudex de Betov.

Autographo appendet e filis sericis rubris sigillum Otakari regis de cera naturali confectum, idem atque in diplomate num. 264.

306.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, capellae sancti Venceslai Pragae possessiones confirmat easque ab saecularis iudicii vexatione et pecuniaria in cameram regiam solutione liberat. — *1227* —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropol. Pragensis asservatur (A). — Diplomatis verba descripta sunt etiam in confirmatione Venceslai II regis Boh. dd. Pragae 1284 nov. 19, quae totidem verbis transscripta est in confirmatione Karoli IV data Pragae 1347 sept. 25, cuius autographum in eodem tabulario asservatur (C).

Pelzel, Kaiser Karl IV, Urkb. tom. I, pag. 52, num. 47 (ex C). — Erben, Reg. Boh. I, pag. 334, num. 721 (frgm. ex A).

Autographum scripsit scriba, quem signo ‚Otakarus 32' notamus; cuius manus iam in nullo Otakari regis diplomate autographo deprehenditur. (Scribam e clericorum ecclesiae Pragensis numero fuisse mihi quidem verisimile esse videtur). Quamvis igitur diploma re et veritate autographum genuinum esse necessarie demonstrari non possit, tamen de fide eius dubitandum non esse puto.

Notum esse volumus omnibus nostro sub tempore viventibus et post nos in evum victuris, quod nos[a], Premisl videlicet, dei gratia rex Boemorum, atten-

305. *c)* ‚is' *in loco raso eodem atramento scriptum A.*

dentes honestam et ‖ sanctam predecessorum nostrorum donationem ad capellam sancti Wencezlai martyris pertinentem, de qua custos eiusdem capelle in huius vite necessariis valeat iugiter ‖ sustentari, tam rationabiliter ordinatam approbamus et auctoritate regalis excellentie, ne umquam ab aliquo diminuatur vel immutetur, eam confirmamus et ‖ ab omni secularis iudicii vexatione seu pecuniaria in cameram nostram solutione et a tota cuiuslibet potestatis exactione liberam in perpetuum eandem esse statuimus, quatenus minister capelle iam nominate omnium bonorum ad eam pertinentium possessor et sacri ordinis presbiteratus professor beato martyri, tocius regni nostri patrono, secure possit deservire ac pro nostra salute omniumque predecessorum nostrorum animarum redemptione, domino deo laudum[a] et orationum hostias sine quovis inpedimento valeat immolare. Verum si quis hoc deo placitum nostri statuti factum vexare, attenuare sive immutare attemptaverit, in vita sua et post mortem predicti martyris non effugiat indignationem ac in ultima districti iudicii die tremenda lacrimosam cum omnibus reprobis incurrat maledictionem, qua dicetur: ‚Ite maledicti in ignem eternum, qui paratus diabolo et angelis eius.'[1] Ut autem laudabilis hec predecessorum nostrorum donatio ac nostra eiusdem donationis confirmatio nullum finem inveniat, sed firma et stabilis perseveret in secula seculorum, eam appensione sigilli nostri roboramus.[b] Bona quoque ad sepulchrum beati martyris iam dicti per nostros antecessores vel per nobiles regni nostri collata, ne per oblivionem depereant aut per violentam aliquorum invasionem inminuantur, presenti pagine precepimus inscribenda: In villa, que dicitur Sedlech,[c] II animatores cum suis possessionibus. In Neradich[d] III animatores cum possessionibus, qui tenentur reddere presbytero, capelle superius memorate ministro, pisces feria IIII[ta] et feria VI[ta] singulis per circulum annorum septimanis. In villa Bichos[e] curia cum possessione et dote ad aratrum pertinente et IIII[or] hospitibus et orto. In villa Rugen[f] curia cum possessione et dote ad aratrum sufficiente. In villa Omeclas[g] XVIII iugera cum ortis ad hec pertinentibus. In villa Gozchas[h] III hospites cum sufficienti possessione. Prata etiam et silve cum collibus ad villas modo nominatas sunt pertinentia. Acta vero sunt hec anno dominice incarnationis millesimo CCXXVII.

Sigillum, quod e filis sericis fusci coloris appendebat, iam avulsum et deperditum est.

306. *a) ex* ‚laudem' *corr. A. — b) Quae subsequuntur, eadem quidem manu, sed alio atramento scripta sunt A. — c)* ‚que d(icitu)r Sedlech' *alio, ut videtur, atramento in spatio, quod vacuum relictum erat, eadem manus addidit A. — d)* ‚Neradich' *in spatio, quod vacuum relictum erat, eadem manus scripsit. A. — e)* ‚Bichos' *in spatio, quod vacuum relictum erat, eadem manus addidit A. — f)* ‚Rugen' *eadem manu in spatio prius vacuo relicto scriptum est; super hanc vocem duae lineae (//) positae sunt. — g)* ‚Omeclas' *in spatio vacuo relicto eadem manus addidit A. — h)* ‚Gozchas' *eadem manu in spatio, quod vacuum relictum erat, scriptum est; super quam vocem duae lineae // additae sunt. A.*

1) *Matth. XXV, 41.*

307.

Johannes sancti Georgii Naumburgensis et Bruningus de Buchau abbates, iudices a sede apostolica delegati, litem, quae inter Laurentium episcopum Vratislaviensem et Henricum I, ducem Silesiae, de decimis erat, diiudicant praesente et consentiente inter alios ‚Radzlauo, archidiacono Olomucensi.'

[Vratislaviae] 1227 —.

Stenzel, Urkunden z. Gesch. d. Bisthums Breslau, pag. 1, num. 1. — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch., num. 315.

308.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Brunoni II, episcopo Misnensi, bona quaedam beneficiaria iniuste ablata restituit eique ut decimas per terram Budissinensem exigat, concedit. *[ante 1228 —]*

Autographum in membrana scriptum in regio tabulario Dresdensi asservatur (A).

Köhler, Cod. dipl. Lusatiae super. I (ed. 2), pag. 41, num. 23 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 329, num. 710 (fragm.) — Gersdorf, Urkundenb. d. Hochstifts Meissen (Cod. dipl. Saxon. reg., Zweiter Hauptth.) I, pag. 94, num. 101 (omnes ad a. cc. 1226).

Autographum scripsit scriba, quem nota ‚Otakarus 34' signamus; cuius litterae eandem formam atque scriptura codicum habent. — Litteras notis temporis omnino carentes priores editores nullo adducto argumento anno fere 1226 datas esse putabant, cum hoc solum pro certo affirmari possit ipsas ante Brunonis episcopi resignacionem a. 1228 factam confectas esse.

Domino ac patri reverendo in Christo B.[1] dei gracia venerabili Misnensis ecclesie episcopo, O.[2] dei gracia || Boemorum rex, cum affectu sincere dileccionis obsequium. Cum constet nobis, quod || bona Goltbahc, Uikerisdorf, Giselbregtisdorf et alia, que ministerialis vester, || Heinricus videlicet de Godoue, de manu vestra tenuit, contra iusticiam vobis aligenata[a] sint, ipsa bona cum suis attinentibus vobis grataner remittimus. Gratum eciam habemus, ut per terram Budeshyn in decimis novalium vobis respondeatur. Preterea volumus, ut decimam mellis nostri, sicut ex antiquo predecessores vestri perceperunt, ut et vos eas similiter percipiatis.

Sigillum, quod e scidula membranae appendebat, avulsum et deperditum est.

309.

Přemysl Otakarus I et Venceslaus I, reges Bohemiae, attestantur reges Bohemiae ab archiepiscopis Maguntinis consecrari et coronari debere.

Pragae 1228 [febr. in.]

---

308. *a) ita A.*

1) *Brunoni II (1209—1228).* — 2) *Otakarus.*

Apographum saec. XIII exstat in chartulario eccl. Maguntinae „Mainzer Buch verschied. Inhalts N° 17“, quod in tabulario regio in Würzburg asservatur, fol. 85v (B). — Aliud apographum saec. XVI ex. praebet cod. ms. bibliothecae Pommersfeldensis num. 2875, fol. 126v.

Goldast, De regni Boh. iuribus ac privilegiis (1627), Append. docum. pag. 26; (ed. Schminckii 1719, pag. 34, num. 16) = Balbín, Misc. hist. Boem., dec. I lib. VIII, pag. 10, num. 11, = Lucae Uhralter Graffen Saal, pag. 233 = Lünig, Teutsch. Reichsarchiv, tom. VII, pars spec. cont. 1, forts. II, abth. III, pag. 3 = Gudenus, Cod. dipl. Magunt. I, pag. 500, num. 193 = Boczek Cod. dipl. Mor. II, pag. 186, num. 181 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 337, num. 724 = Brandl, Cod. dipl. Mor. VII, pag. 721, num. 58 — Böhmer-Will, Reg. archiep. Magunt. II, pag. 199 num. 560 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 11007.

In temporis nota dies quidem non adfertur, sed diploma circiter diem 6 februarii, cum Sigifridus archiepiscopus Maguntinus Venceslaum regem consecraret (v. Fontes rer. Boh. II, pag. 284), datum esse nemo non videt.

In[a] nomine Domini amen. Odacharus et Wenezlaus,[b] Boemorum reges incliti, universis Christi fidelibus presens scriptum intuentibus salutem in perpetuum. Confitemur et publice protestamur, quod tam nos quam omnes successores nostri consecrationem regalem et diadematis impositionem de sacrosancte Maguntine sedis archiepiscopo, terre nostre metropolitano, in perpetuum tenemur recipere. Si vero idem archiepiscopus requisitus se pro motu animi sui subtraxerit, alteri episcopo, quem nos vel successores nostri postulaverint, vicem suam ad id exequendum committet. Ut autem hoc ratum et inconvulsum permaneat, hanc paginam de consensu venerabilium et dilectorum Pragensis et Olomuncensis[c] episcoporum et supanorum nostrorum appensione sigillorum nostrorum roboravimus. Data Prage, anno dominice incarnationis MCCXXVIII, indictione I.[d]

310.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, una cum Venceslao, filio suo in regem consecrato, monasterio Teplensi villam Kramolín pro bonis quibusdam eidem ablatis donat. *In Strahov 1228 [febr. in.].*

Autographum in membrana nunc iam passim laesa scriptum in tabulario monasterii Teplensis asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 186, num. 182. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 338, num. 726 (fragm.).

Autographum scripsit scriba, quem nota ‚Otakarus 33‘ signamus.

O., dei gratia Boemorum rex, una cum suo primogenito Venzeslao, in regem eiusdem terre tunc temporis consecra||to, tam presentibus quam futuris presentes litteras inspecturis salutem in omnium salvatore. Quoniam nostre ac univer||sorum sortes mortalium sunt in manu dei et quid nobis crastina dies pariat,

309. *a) Praemittitur inscriptio:* ‚Privilegium regum Boemorum super ordinatione ipsorum‘ *B.* *b) ita B.* — *c)* ‚Olmunceñ‘ *B.* — *d) indictionis numerus omissus est in B.*

ignoramus, cum vita hominum ac me||moria labantur cum tempore labente et sicut aque cito defluant, nos animarum nostrarum saluti providere cupientes, universis presentem lecturis paginam notum esse volumus ac declaramus, quod nos O., dei gratia rex Boemorum, cum filio nostro W., tunc temporis in regem consecrato,[1] ad monitionem venerabilis patris nostri S.,[2] Maguntini archiepiscopi, ac dominorum et patrum nostrorum Johannis et Roberti, Pragensis et Olomoncensis episcoporum, pia liberalitate ecclesie Tepplensi villam, que dicitur Cramolim, contulimus in perpetuum possidendam pro bonis quibusdam, que eidem ecclesie abstulimus tam in ipsa villa Lutvmeric quam circa villam eandem. Et ne de donatione nostra de cetero dubitetur a quoquam, presentem litteram sigillorum nostrorum caractere duximus roborandam. Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXVIII in Stragov coram venerabili patre nostro Maguntino archiepiscopo et dominis Pragen[s]i et Olomoncensi episcopis ac aliis pl[u]ribus testibus, quorum nomina sunt hec: Arnoldus prepositus Wissegradensis, Herimannus pr[eposit]us Lutomericensis, Albertus abbas Placensis, Johannes archidiaconus Curimensis, Zdisselaus canonicus Olomoncensis,[a] Boruta, Zsuest et frater eius Sibodo, Brezislaus et duo filii eius Brezislaus et Žchirninus, Heinricvs et Withko filii Withkonis, Zsuatozlaus, Wocko de Morauia, Albertus subcamerarius, Beneda de Zuesseim, Zstresemirvs filius Johannis, Cuno de Cunowe.[b] Ego Sifridvs, Maguntinus archiepiscopus, facto prescripto interfui et sigillum meum apponens roboravi. Ego Robertvs, Olomoncensis[a] episcopus, huic facto interfui et sigillum meum apposui. Ego Johannes, Pragen[sis] episcopus, affui et sigillum meum apposui.

Autographo appendebant e scidulis membranae quinque sigilla, quae iam omnia avulsa et deperdita sunt.

311.

Sigifridus II, archiepiscopus Maguntinus, Otakarum et Venceslaum, reges Bohemiae, limitum inter terras Budišín et Záhvozdí, de quibus eis cum Brunone II, episcopo Misnense, controversia erat, distinctionem se rogante publice comprobasse testatur.

Pragae 1228 febr. 9.

Autographum in membrana scriptum in tabulario regio Dresdensi asservatur (A).

Köhler, Cod. dipl. Lusat. super. I, pag. 29; (ed. 2), pag. 41, num. 24 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 339, num. 727. — Gersdorf, Urkundenb. d. Hochstifts Meissen (Cod. dipl. Saxoniae, Zweiter Hauptth.) tom. I, pag. 41, num. 106.

---

310. a) ‚Olom‘ *A.* — b) *Quae subsequuntur manu eiusdem scribae et eodem atramento atque praecedens autographi pars scripta sunt.*

1) *In Dominica, qua cantatur ‚Esto mihi‘ = 6. febr. 1228.* — 2) *Sigifridi II.*

Sifridus, dei gratia sancte Maguntine sedis archiepiscopus. Notum esse volumus universis paginam ‖ hanc visuris, quod cum honorabilis frater dominus Bruno, Misnensis episcopus, sicut ipso audivimus ‖ referente, a principibus honestis, domino Otacaro et filio eius Wencezlao, Boemorum regibus, ‖ super limitibus possessionum, de quibus inter ipsos questio movebatur, quandoque obtinuerit distinctores,[1] qui recepto a partibus mandato, secundum fidem datam et prestitum sacramentum ordinabiliter distinxerunt quicquid in territoriis Budesin et Sagost dubii fuerat inter eos, quia reges idem de consilio perversorum distinctionem ipsam diu tenuerant in suspenso, nos ad preces eiusdem episcopi a regibus memoratis per nostrum obtinuimus interventum, quod de bona voluntate in nostra presentia publice sunt confessi, quod distinctionem ipsam habere velint omnibus modis ratam. Absolverunt etiam fideiussores ipsius episcopi, quos dederat pro ducentis marcis ad manus regis iuvenis prenotati. Unde quia quod vidimus et audivimus hoc testamur, predictum dominum episcopum presentis scripti et sigilli nostri testimonio communimus. Actum Prage, V̊ idus februarii, anno gratie M̊CC̊XXVII̊I, pontificatus nostri XXVI̊.

E scidula membranae, quae inferiori autographi parti excissa est, appendet sigillum formae fere rotundae (diametros 80 mm) de cera naturali confectum. In sigilli medio depingitur figura episcopi, qui infula capiti imposita in solio sedet et manu sinistra librum, dextra vero pedum tenet. Circumscriptio: ✝ SIFRIDVS · D̄I · GRA · ↄ//Є MAGVNTINЄ · SЄDIS · ARCHIЄPS.

312.

Venceslaus, iunior rex Bohemiae, finium inter terras Budišín et Záhvozdí constitutionem, quae per nobiles quosdam ab Otakaro rege ad hoc destinatos facta est, comprobat. *[Pragae 1228 febr. in.]*

Diploma iam deperditum est, sed verba eius accurate repetit forma I diplomatis Venceslavi I regis, quod datum est in Lapide regis a. 1241 maii 7 [v. Erben, Reg. Boh. I, pag. 482, num. 1030; Gersdorf, Urkkb. d. Hochst. Meissen (Cod. dipl. Sax. regiae, Zweiter Hauptth.) tom. I, pag. 109].

Ad controversiam de terrarum Budišín et Záhvozdí terminis, spectat etiam episcopi cuiusdam Misnensis „littera petitoria" ad reginam Bohemiae missa, quae exstat in Saxonica summa prosarum dictaminis XI, num. 88 (ap. Rockinger, Briefsteller u. Formelbücher, in Quellen u. Erörterungen zur bayerischen u. deutschen Gesch. IX, pag. 332 sq.); quae quidem littera non est nisi dictamen confictum.

313.

Robertus, episcopus Olomucensis, causam, quae inter abbatem monasterii in Louka et Martinum, plebanum ecclesiae in Rohatec, de decimis et quibusdam iuribus parochialibus erat, diiudicat. *In Modřice 1228 febr. 24.*

311. 1) *Nomina eorum in diplomate Venceslai I, regis Bohemiae, quod datum est a. 1241 maii 7, adferuntur (v. Erben, Reg. Boh. I, pag. 482, num. 1030).*

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur (A). -- Apographum exstat in Matrica Lucensi, ms. saec. XV eiusdem tabularii, pag. 51, num. 26.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 187, num. 183 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 339, num. 728 (exc.).

Autographum manu scribae, quem nota ‚Robertus 9' signamus, exaratum est.

Notum esse volumus universis, quod nos Robertus, dei gratia Olomucensis episcopus, Martinum plebanum de Rohother pro causa, que vertebatur inter ipsum et dilectum filium nostrum ‖ abbatem de Lucha super decimis et quibusdam iuribus parochialibus, in villis videlicet Jazouic, Zlubiz, Mazouiz, Branzodiz, frequenter ad presentiam ‖ nostram citavimus, qui aliquando comparens coram nobis lite abiit contestata super decimis et iuribus memoratis. Iterato itaque peremptorie eidem Martino pre‖cepimus, ut veniret per se vel per responsalem idoneum dicto abbati responsurus. Ipse autem nec per se venit, nec procuratorem pro se misit. Ideoque ipsum reputantes contumacem, parcentes laboribus et expensis dicti abbatis, possessionem rerum petitarum abbati de Lucha nomine ipsius ecclesie[a] sue[b] adiudicamus et ipsum in possessionem mittimus, prohibentes sub pena excommunicationis, ne quis eundem super predictis audeat molestare. Precipimus etiam dicto M. plebano, ut fruges, quas in principio litis de consensu utriusque partis usque ad finem cause posuimus in sequestro, infra unius mensis spacium abbati restituat et assignet. Quod si facere contempserit, ex tunc excommunicationis sententie sit subiectus. Condempnamus etiam dictum M. abbati in expensis, quas occasione huius litis se fecisse probaverit idem abbas. Quod autem sententiam[c] damus pro abbate, nos movet, quia ecclesia de Rohather non est limitata et monasterium de Lucha decimas et alia iura ex ipsius fundationis exordio possedit diucius et percepit. Data in Modrice, anno gratie MCCXXVIII, quinta feria post Reminiscere, in festo beati Mathie apostoli,[1] pontificatus nostri anno XXVII.

Sigillum, quod autographo appendebat, cum membranae parte avulsum et iam deperditum est.

314.

Gregorius IX papa praeposito et decano de Klosterneuburg mandat, cogant Robertum, episcopum Olomucensem, eiusque capitulum, ut Johanni clerico, filio Jacobi de Arloco, fructus praebendae, quae ei quondam a Conrado, episcopo Portuensi, legato apostolico, concessa erat, atque pensionem anni praeteriti et praesentis exsolvant.

Romae [1228] apr. 3.

---

313. *a)* ‚ecclesie' *in loco raso eadem manu scr. A.* — *b)* ‚sue' *eodem atramento superscr. A.* — *c) sequitur* ‚tulimus', *sed cancellatum A.*

1) *Dies perperam designatur; nam feria quinta post Reminiscere [= febr. 24] anno 1228 dies bissextus erat, quapropter s. Mathiae festum die proxima (febr. 25) agebatur.*

Apographum saec. XIII exeuntis exstat in Chartulario II, quod in tabulario monasterii Klosterneuburg asservatur, fol. 29r—29v (B).

Fischer, Merkw. Schicksale des St. Klosterneuburg II, pag. 184, num. 38 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 188, num. 184, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 340, num. 729 (fragm.) — Potthast, Reg. pontif., num. 8163.

[G]regorius[a] episcopus servus servorum dei, dilectis filiis ..[1] preposito et .. decano Niumburgensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius Johannes clericus, natus nobilis viri Jacobi de Arloco civis Romani,[b] nobis exposuit, quod bone memorie C.[2] Portuensis episcopus, tunc in partibus illis apostolice sedis legatus, prebendam sibi in ecclesia Olomucensi[c] concessit, quam nos eidem clerico postmodum duximus confirmandam, ac venerabilis frater noster . . episcopus Olomucensis annuam pensionem trium marcarum in supplementum[d] dicte prebende propter tenuitatem ipsius eidem clerico ad preces dicti legati concessit; et licet pensionem eandem sibi promiserit liberaliter se annis singulis soluturum, de ipsa tamen nichil fuit ei per biennium persolutum. Unde eidem episcopo et capitulo nostris damus litteris in mandatis,[3] ut exhibeant eidem clerico tam prebende predicte fructus, quam pensionem anni preteriti et presentis ac deinceps procuratori eius suo nomine de prebenda et pensione predictis respondere procurent. Quocirca dilectioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus, si dicti episcopus et capitulum mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ad id auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento cogatis. Ceterum sciatis, quod ..[4] abbatem sancte Crucis, Cisterciensis ordinis, Patauiensis dyocesis, per litteras nostras rogavimus, ut predicta illius nomine recipiat annuatim et fideliter transmittat eidem. Datum Rome aput sanctum Petrum, III° nonas aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

315.

(DUBIAE FIDEI).

Henricus I, dux Silesiae, monasterio in Leubus decimas de villa Seichau donat. — Inter testes: ‚Zobezlaus et Bolezlaus duces Boemie.'

Röchlitz 1228 apr. 22.

Büsching, Leubusser Urkk., pag. 103, num. 40 — Knoblich, Gesch. von Lähn, pag. 237, not. 1. — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. I, num. 332.

---

314. *a) ad litteram* ‚G' *(colore) inscribendam spatium vacuum relictum est in B. — b)* ‚Rom̄' *B. — c) secundum* ‚o' *ex* ‚u' *corr. B. — d)* ‚suplementum' *B.*

1) *Conrado (1226 — cc. 1250).* — 2) *Conradus, qui a. 1225 mense iunio legati apostolici munere in Bohemia fungebatur; obiit anno 1227.* — 3) *Litterae haec, quae procul dubio eadem die datae et iisdem fere verbis atque epistula nostra confectae erant, deperditae sunt.* — 4) *Wernherum.*

Quae fides chartae tribuenda sit, in medio restat. Scripturae enim formae tempori convenientes esse videntur, sed ducis titulus (‚Heinr., dei et beati Johannis gracia dux Zlesie'*) suspicione non caret; accedit, quod vir doct. Grotefend sigillum ducis falsum esse iudicat (v. Grünhagen l. l.) —* „Zobezlawus et frater eius Bolezlawus nepotes" *Henrici I. ducis Silesiae, adferuntur iam in charta, quam a. 1224 iul. 17 monasterium in Leubus ab eodem duce accepisse fertur (v. Büsching, pag. 87, num. 36). Quae quidem charta non ante a. 1228 confecta esse potest, quod in ea Naceslaus archidiaconus Wratislawiensis testis adfertur; vid. Grünhagen, Reg. I, pag. 160, num. 310b.*

316.

Soběslavus, dux Bohemiae, testimonio confirmat Přibislavum militem suum tres villas in provincia Kouřimensi sitas monasterio Leubus in Silesia contulisse.

Röchlitz(?) 1228 maii 11.

Autographum in membrana scriptum in reg. tabulario provinciali Silesiaco Wratislawiae asservatur (A).

Büsching, Leubusser Urkk., pag. 105, num. 41 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 340, num. 730, = H. Kohn, Die böhmischen Theobalde, in: Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen VI, pag. 217, not. 5. — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. I, num. 334.

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Oblivioni traduntur facta mortalium, nisi firmis litterarum apicibus posteris relinquantur. Inde est, quod nos Zobezlaus, dei gracia dux Boemie, notificamus tam presentibus quam futuris, quod bone memorie Pribizlaus, miles noster, viam universe carnis ingrediens, de scire meo et voluntate bona domui Lubensi in terra Zlesie, ubi sepulturam elegit, pro remedio anime sue et fratris sui Wrasconis pia liberalitate tres hereditates suas contulit, videlicet Radlizc, Cruzci, Prestawilci in provincia Curimensi sitas, ita inquiens, quod nulli cognatorum seu amicorum suorum memoratas cuperet hereditates in tantum, sicut filio dei et eius genitrici, nec aliquem vellet relinquere de suo patrimonio heredem preter beatam virginem et eius filium, qui pro ipso mori dignatus est. Ne autem ulli hominum factum tam celebre in dubium vertatur, sigilli nostri appensione et testium subscriptione presentem cartam duximus roborandam. Actum in Rognizc, anno gracie MCCXXVIII, V idus maii, istis presentibus: Dionisio, Jatozlao,[a] Znancone, Petro, Zezema, Wladone, Stresimiro, Rosnata, Martino, Cozsa militibus, Stephano, Marco fratre Cozse, Marco, Tiderico sacerdotibus et Godonione.

Autographo appendet e filis linteis albis sigillum rotundum (diametros fere 65 mm) de cera fusci coloris confectum, in cuius medio depingitur leo erectus, qui dorso cum media aquila coniunctus est. Circumscriptionis partim defractae haec tantum litterae supersunt: ✠ SIGIŁ ZOB//////////WI/////////BOEM//////.

316. *a) ita A (loco* ‚Jarozlao'*).*

317.

(I). *Gregorius IX papa Constantiam, reginam Bohemiae, hortatur, ut in sedis apostolicae devotione fideliter perseveret.*

(II). *Iisdem fere verbis ad Otakarum, regem Bohemiae, scribit.*

(III). *Eodem fere modo ad Andream II, regem Hungariae, scribit.*

Assisii [1228] iun. [1—10].

Apographum saec. XIII in. exstat in registro epist. Gregorii IX papae, quod in bibliotheca civitatis Perusinae [cod. nº 302] asservatur, fol. 11v—12r (R).

Auvray in Bibl. de l'École des chartes, tom. LXX (1909), pag. 322 (reg.).

In nota temporis dies quidem non adfertur, sed ante iunii diem 10 epistulam scriptam esse e litteris ap. Potthast, Reg. pontif. num. 8203—8207 cognosci potest.

(I) Regine Boemie.[a] Cum apud Romanam ecclesiam magnam semper inveneris gratiam et favorem, protectionis clippeum[b] et munimen contra conatus adversantium, votis tuis spes firma concipitur, quod ingratitudinis excluso vitio, ei semper grata esse cupias, cuius tibi gratiam continuari expedit propter multa. Hinc est, quod serenitatem tuam rogamus attente et monemus, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus in devotione apostolice sedis ac nostra firmiter perseverans, dolos et fraudes illius provide caveas et prudenter, qui gratis ecclesiam impugnare satagens, nec pudori suo nec tuo pepercit honori, ne si forte, quod absit, aliquo tibi vel tuis federe colligetur, traharis ad devia cum errante vergatque tibi ac tuis postea in singultum, quod cedere ad commodum estimares. Nos enim tam tibi quam tuo generi habitam intendimus gratiam ampliare, si eam recto vestigio merita comitentur. Datum Asisii, mense iunii,[b] anno secundo.[c]

(II) In eundem fere modum regi Boemie super eodem.

(III) In eundem fere modum regi Vngarie super eodem.

318.

Henricus III, rex Angliae, Otakaro, regi Bohemiae, rescribit, ut ante alios nuntios Arnoldum comitem de Hückeswagen iterum ad se mittat, per quem sibi nuntiet, quid in negotio principali faciendi habeat voluntatem.

Westminster [1228] iun. 24.

Apographum eiusdem temporis exstat in Henrici III rotulo litt. clausarum a. XII, qui in tabulario regio Londinensi asservatur, membrana 6 in dorso (R).

Rymer, Foedera, conv., tom. I (Lond. 1704), pag. 304 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 340, num. 731 — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 11020.

Cf. Winkelmann, Kaiser Friedrich II (ed. 1889) tom. I, pag. 503, not. 4.

---

317. *a) Superscriptio colore rubro scripta est R. — b) ita R. — c) in fine ultimae lineae fol. 11v sequuntur verba* ‚Regi Boem(ie)' *R.*

Dilecto amico et speciali O., dei gratia illustri regi Boemie, Henricus, eadem gratia ⟨etc.⟩ salutem cum sincere dilectionis affectu. Litteras dilectionis vestre recepimus continentes, quod, reverso ad vos nobili viro comite Arnaldo de Hogensuag, et eo diligenter audito super hiis, que vobis per ipsum duximus nuncianda, fidelem clericum vestrum J., latorem presentium, ad nos destinastis cum tota intentione vestra negotii memorati; cui et postulastis super eodem negotio fidem adhiberi. Benignis igitur auribus ei accomodatis, nobis asseruit, quod ad hoc solum venit, ut diem, quem nobis constituerat dictus comes Arnaldus veniendi vel mittendi in termino festi sancti Johannis Baptiste proximo elapsi,[1] per ipsius adventum observaret. Cum igitur de principali negotio nobiscum tractaturus non venit, prefatum comitem, priusquam alios ad nos mittatis nuncios, ad nos transmittere curetis, ad explanandam nobis penitus vestram super premisso negotio voluntatem. Teste rege apud Westmonasterium, XXIIII die iunii.

319.

Venceslaus, rex Bohemiae, commutationem quorundam bonorum ecclesiae in Budišín (Bautzen) confirmat. *Pragae 1228 iul. 25.*

Apographum saec. XVIII in. exstat in libro apographorum B capituli Budissinensis fol. 14v, qui in eiusdem capituli tabulario asservatur (B). — Aliud exemplar (C), quod praebet eiusdem tabularii „Copiale caesareum" pag. 4, ex B descriptum est.

Köhler, Cod. dipl. Lusatiae super. I (2. ed.), pag. 42, num. 25 (ex B) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 341, num. 732 (fragm. ex B).

Chartae verba describentis incuria adeo depravata sunt, ut genuinas lectiones restituere omnino impossibile sit. — Mirum quod Venceslao titulus „rex Bohemorum" apponitur, cum ipse in aliis chartis (praeter num. 323) et in sigillo suo ante Otakari regis mortem „iunior rex Boemorum" appellatus sit. Quae res chartae fidem leviorem facit.

Wenceslaus, dei gratia rex Bohemorum, universis in Budessinensi provincia constitutis gratiam suam et omne bonum. Notum facimus vobis et universis, ad quos praesens scriptum pervenerit, quod nos tres mansos in villa Wawiz, qui dati sunt in concambium ecclesiae Budissinensi[a] praefat: de oppidi Wizenburg,[b] qui quondam ad eandem pertinuit ecclesiam, in provinciali placito consedentes, facta super eadem commutatione[c] de nostro praecepto inquisitione, eosdem tres mansos ecclesiae adiudicaverint[b] supradictae, nos exhortantes, ut eandem commutationem[d] ratam et firmam teneamus. Ne ergo praedictam ecclesiam in iam dictis tribus mansis de caetero quis audeat molestare, praesentem paginam eidem ecclesiae contulimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum Pragae, anno incarnationis Domini MCCXXVIII, VIII kalendas augusti, anno consecrationis nostrae I.

318. 1) *die 24 iunii.*

319. *a)* ‚Budifs' *B.* — *b) ita B.* — *c)* ‚communicatione' *B.* — *d)* ‚communicationem' *B.*

320.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterium in Oslavany, quod Heilvidis, nobilis matrona de Znojmo, construxit, Roberti, episcopi Olomucensis, assensu protegendum suscipit eique easdem libertates concedit, quas monasterium in Velehrad habet. *In Oslavany 1228 nov. 7.*

Apographum insertum est confirmationi Venceslai I regis, quae data est in Znojmo 1232 aug. 7, cuius autographum in tabulario civitatis Brunnensis asservatur (B). — Aliud apographum, ex autographo tunc iam nonnullis locis attrito, anno 1712 in cancellaria regii tribunalis Brunnae confectum, in tabulario Musei regni Bohemiae Pragae asservatur (C). — Apographum saec. XVIII ex autogr. descriptum exstat in Monastico tabularii Rajhradensis sig. G. k. 14 (D). — Aliud apogr. saec. XVIII ex autographo monasterii olim Aulae s. Mariae Brunnensis praebet Lefebvre, Coenobia Moravica tom. V, cod. ms. tabularii monii. Rajhrad G. c. 27. pag. 16—23 (E).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 189, num. 185 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 342, num. 734 (fragm.).

Diploma ab eodem auctore compositum esse videtur, a quo etiam Otakari regis diplomata num. 59, 109, 110, 239, 272 conscripta sunt. — Diplomatis maxima pars procul dubio satis accurate repetit verba privilegii deperditi, quod Otakarus rex monasterio in Velehrad quondam dedit, et quod a. 1213 dec. 31 primum commemoratur (vid. pag. 103, lin. 37). Quae quidem sententia eo potissimum comprobatur, quod diplomatis nostri verba fere omnia eodem ordine in privilegii Velehradensis confirmatione, quae a. 1228 nov. 27 data est, leguntur.

C.[a] ⁝ In nomine sancte[b] trinitatis et individue unitatis. ⁝ Ego Premizl,[c] qui et[d] Othacarus,[e] tercius rex Boemorum,[f] cenobio in Valle sancte Marie[g] constituto et in eo[h] degentibus in perpetuum. Cum regalem deceat excellentiam[i] venerari et promovere sanctam in omnibus ecclesiam, congruum nostre visum fuit clementie id initiari[k] et exequi, quod nostre serenitati[l] cederet ad meritum et sancte matris ecclesie[m] transiret ad provectum.[n] Ibi enim recte locantur[o] beneficia, ubi crescunt merita; ibi decenter impertitur[p] gratia, ubi cum premiis cumulatur gloria. Noverint itaque tam presentes quam futuri, nos quoddam monasterium monialium Cisterciensis ordinis, a quadam nobili matrona nostra domina Helwidi ex consensu nostro et approbatione venerabilis patris nostri Roberti, Olomucensis[q] episcopi, in regno nostro et episcopatu eius constructum et in Brunnensi[r] provincia constitutum, quod Ozlawan[s] vulgo vocatur, cuius nomen transmutatum[t]

320. *a)* ‚C' *omittitur in B, D.* — *b)* ‚sanctae' *et similiter etiam infra semper* ‚ae' *pro* ‚e' *simplici D.* — *c)* ‚Przemisl' *D.* — *d)* ‚qui et' *deest C;* ‚est' *D.* — *e)* ‚Ottocarus' *C;* ‚Ottacarus' *D.* — *f)* ‚Bohemorum' *D.* — *g) pro* ‚in Valle s. Marie' *lacuna in C;* ‚in loco Ozlawa' *sua opinione coniecerunt scriptores apographorum D et E.* — *h)* ‚eodem' *D, E.* — *i)* ‚excellenciam' *B, ubi etiam infra* ‚cia' *pro* ‚tia' *et* ‚cio' *pro* ‚tio' *scribitur.* — *k)* ‚imperari' *C.* — *l)* ‚serenitatis' *E.* — *m) pro* ‚meritum — ecclesie' *lacunam habet C.* — *n)* ‚profectum' *D, E.* — *o) pro* ‚recte locantur' *lacuna in C.* — *p)* ‚inpertitur' *B.* — *q)* ‚Olomūceñ' *B.* — *r)* ‚Brunensi' *D.* — *s)* ‚Ozlavan' *D.* — *t)* ‚nomen ipsius immutatum' *D, E.*

est in Vallem sancte Marie, auctoritate[u] venerabilis patris nostri Roberti, Olomucensis episcopi, ad peticionem prefate matrone et quorundam baronum nostrorum in nostram tutelam et protectionem, sicut merito debemus, recepisse cum omnibus ibi commanentibus,[v] videlicet sanctimonialibus et[x] earum ministris earumque prediis et possessionibus sive acquisitis sive acquirendis. Cui monasterio eandem dedimus libertatem, quam dedimus Weligradensi[y] cenobio Cisterciensis ordinis,[1] a nostra benignitate et inclite[z] memorie fratris nostri Wladizlay,[aa] quondam marchionis Morauie,[bb] inpensis et expensis fundato et constructo. Libertas autem hec est, quam a pietate nostra statuimus et sanccimus[cc] firmiter observari, scilicet omnes villas et possessiones, quas ecclesia illa possidet vel possessura est, ubicunque site sint in regno nostro, sive in Boemia, sive in Morauia, ab omni onere tributorum, vectigalium, collectarum aliarumque exactionum, sive in quatuordecim ad principem vel beneficiarios spectantibus, quocumque modo nominentur,[ee] esse absolutas. Adicientes,[ff] ut nullus principum successorum nostrorum vel baronum nobis vel eis subiectorum pro castrorum edificatione vel reedificatione vel aliqua ingruenti[gg] expeditione homines prefati cenobii audeat inquietare. Ius autem, quod datur pro capite, eis concedimus; hoc de fure[hh] statuentes: si in earum[ii] habitat possessionibus et[jj] deprehensus fuerit in furto manifesto, vel de aliquo occulto accusetur, videlicet quoad[kk] iudicium ferri candentis vel aque vel vomeres calcandos vel duelli, et convincatur in aliquo istorum in iudicio seculari, eidem monasterio bona furis sive rei[ll] integraliter remaneant;[mm] iudices autem, quorum interest, faciant de eo, quod eis iustum videbitur. Si autem homines eiusdem cenobii coram iudicibus nostris culpabiles inveniantur, nec nobis nec iudicibus[nn] nostris curialibus vel benificiariis aliquid inde utilitatis proveniat,[oo] sed aput idem cenobium culpe perseveret satisfactio,[pp] nisi in eo, in quo tenetur satisfacere adversario.[qq] Ceterum ut omnia breviter conprehendamus,[rr] omnem utilitatem, que spectat ad usus nostros vel successorum nostrorum vel beneficiarios nostros[ss] a nobis infeudatos, eis remittimus, ut plena et perfecta gaudeant libertate et ut nullus eis novas condiciones contra statuta nostra audeat inponere;[tt] et hoc ideo fecimus,[uu] quia quanto est fragilior et tenerior sexus muliebris divinis mancipatus officiis, tanto amplioribus[vv] regie magnificentie[xx] debet vallari beneficiis

320. *u)* ‚authoritate' *C.* — *v)* ‚manentibus' *C.* — *x)* ‚et' *deest D, E.* — *y)* ‚Welgradensi' *B;* ‚Wellegradensi' *D;* ‚Welegradensi' *E.* — *z)* ‚inclytae' *C, D.* — *aa)* ‚Wladislai' *C;* ‚Wladizlai' *D, E.* — *bb)* ‚Moraviae' *C, D;* ‚Moravie' *E.* — *cc)* ‚sancimus' *D, E.* — *dd)* ‚Moravia' *C, D, E.* — *ee)* ‚quomodocunque etiam nom.' *C.* — *ff)* ‚Adiicientes' *D, E.* — *gg)* ‚ingruente' *E.* — *hh)* ‚iure' *E.* — *ii)* ‚eorum' *B, D, E.* — *jj)* ‚quis et' *E.* — *kk)* ‚quod ad' *B, C, D, E.* — *ll)* ‚res' *B.* — *mm)* ‚permaneant' *C.* — *nn)* ‚non nobis, non iudicibus' *C.* — *oo)* ‚perveniat' *D, E.* — *pp)* ‚culpatio' *E.* — *qq)* ‚nisi in — adversario' *desunt E.* — *rr)* comprehendamus' *C, D, E.* — *ss)* ‚vel success. — nostros' *desunt D, E.* — *tt)* ‚imponere' *C, D, E.* — *uu)* ‚facimus' *C.* — *vv)* ‚amplioris' *D, E.* — *xx)* ‚munificencie' *E.*

1) *Libertates monasterio Velehradensi ab Otakaro rege concessae commemorantur iam in diplomate, quod Henricus Vladislavus, marchio Moraviae, hospitali s. Johannis Hierosolymitani a. 1213 dec. 31 dedit (v. num. 109).*

et muniri presidiis. Statuimus eciam, ut nullus camerarius intret villas monasterii ad aliquem citandum vel ad[yy] aliquid ibi faciendum, sed significet procuratori domus illius, cui commissa fuerit procuratio in temporalibus, ut eos citari faciat, qui sunt citandi, quatinus[zz] die et loco determinato eos coram iudicibus statuat, quorum interest causas et negocia regni nostri tractare et diffinire. Si quis autem alicui persone religiose infra septa monasterii constitute manus iniecerit violentas ad aliquam ibi dehonestandam, capite puniatur et pro emunitate lesa monasterio decem marcas auri conponat,[a] nisi quoad sententiam capitis aliud nostre visum fuerit clementie. Si vero quis irruperit claustrum monasterii ibi aliquid iniuste rapiendo, ablata restituat atque in cameram nostram et successorum nostrorum decem marcas auri conponat,[a] vel secundum quod visum fuerit nostre serenitati satisfaciat. Insuper statuimus, ut quicumque nobilium vel potentum in prefati monasterii curiis vel villis pernoctando vel intrando eidem extiterint iniuriosi, bannum nostrum in decem marcis conponant et ei dampna[b] illata in duplum restituant. Huius autem libertatis a nobis concesse et regali munificentia donate prefato monasterio heredes nostros tutores constituimus et defensores, et precipue filium nostrum Wencezlaum,[c] in regem consecratum, et fratrem eius Premizl,[d] filium nostrum,[e] marchionem Morauie;[f] hoc sanccientes,[g] ut huius privilegii violatores in cameram nostram et successorum nostrorum decem marcas auri conponant. Insuper rogavimus venerabilem patrem nostrum Robertum,[h] Olomucensem episcopum, in presentia filii nostri Premizl, marchionis Morauie[f] nec non baronum nostrorum, ut omnes, qui prefati cenobii[i] violarent emunitatem, qui etiam tunc temporis ecclesiam[k] consecravit, cui[l] nos cum illustri coniuge nostra[m] Constancia et filio nostro Premizl antedicto interfuimus, excommunicaret. Addentes etiam, ut homines prefati cenobii per thelonea transeuntes in rebus, que spectant ad opus vel usus ecclesie, ad eam in necessitatibus eius deferendis vel transducendis sint a pedagiis et[n] theloneis absoluti; mercatores vero solvant quod sui iuris est. Hoc etiam omnibus esse volumus manifestum, quod sine offensa nostri erit, si prescriptus episcopus et eius successores nostrarum constitutionum in hac pagina et in privilegio Weligradensi[o] contentarum secundum ecclesiastica iura punierint[p] transgressores. Possessiones autem, quas ad presens possident, sunt hęę:[q] Ozlawan[r] cum suis specialibus pertinenciis, Gnanleizdorf[s]

320. *yy)* ,ad' *deest C.* — *zz)* ,quatenus' *C, D.* — *a)* ,componat' *C, D, E.* — *b)* ,damna' *C, D.* — *c)* ,Wenzezlaum' *B;* ,Wenceslaum' *C, D.* — *d)* ,Przemisl' *D.* — *e)* ,fil. nostrum' *desunt B.* — *f)* ,Moraviae' *C, D;* ,Moravie' *E.* — *g)* ,sancientes' *D, E.* — *h)* ,Rubertum' *E.* — *i)* ,monasterii' *E.* — *k) pro* ,ecclesiam' *lacunam habet C;* ,consecravit ecclesiam' *D, E; post* ,ecclesiam' *scribae incuria* ,eandem' *omissum esse puto, auctoritate privilegii Velehradensis (num. 321) nisus.* — *l)* ,et' *loco* ,cui' *habent D, E; post* ,cui' *privilegio Velehradensi teste* ,consecrationi' *omissum esse videtur.* — *m) pro* ,cui nos — nostra' *lacunam habet C.* — *n)* ,vel' *E.* — *o)* ,Welgradensi' *B;* ,Welegradensi' *C;* ,Wellegradensi' *D.* — *p)* ,puniverint' *D, E.* — *q)* ,hae' *C, D;* ,scilicet' *hoc loco addit E.* — *r)* ,Ozlavan' *D.* — *s)* ,Gnanleiztorf' *B;* ,. . . .leitzdorf' *C;* ,Citerdorf' *D;* ,Literdorf' *E.*

cum omnibus suis pertinenciis, Martiniz[t] cum suis, Leccowiz[u] cum suis, Babiz[v] cum suis, Chelesiz[x] cum suis, Milocowiz[y] cum suis, Vsecowiz[z] cum suis, vinee quedam in Luca site, ecclesia de Zelub, et ius patronatus ecclesie sancti Jacobi in Brunna.[aa][2] Ut autem hec omnia rata et inconcussa perpetuo maneant,[bb] hanc nostre serenitatis paginam nostro sigillo fecimus communiri et rogavimus reverendum patrem nostrum Robertum, Olomucensem episcopum, quod[cc] in huius rei testimonium suum sigillum apponeret.[dd] Huius autem concessionis quoad libertates ecclesie ante dictas[ee] a nostra regia maiestate prolate baro noster Leo, camerarius Olomucensis, in presentia multorum tam clericorum quam laicorum regni nostri fuit promulgator et libertatem prefati monasterii a nobis concessam sollempniter pronunciavit. Cuius rei testes sunt[ff] hii: Albertus abbas Weligradensis,[gg] Hugo et Hartmannus[hh] monachi eiusdem, Cisterciensis ordinis, Arnoldus abbas Trebecensis,[ii] Petrus et Paulus monachi eiusdem, Petrus abbas Gradicensis cum quibusdam fratribus suis, Florianus prepositus Cunicensis,[kk] Hermannus prepositus Luthomericensis; Lucas prior, Petrus, Sdico,[ll] Premonstratensis ordinis; Esau et Henricus[mm] canonici Olomucenses; Sdizlaus,[nn] Thomas, Hilarius, Fridericus, capellani curie nostre; Conradus[oo] notarius noster in Brunna. Nobiles autem et barones nostri sunt hii: Leo camerarius Olomucensis, Marquardus[pp] frater Benes, Theodericus Hrutowiz,[qq] Stephanus de Medlow,[rr] Bohuzlaus[ss] de Wranow,[tt] Ratibor, Wurse[uu] camerarius, Hartleuus[vv] castellanus Znoymenses,[xx] Wilhelmus[yy] cum fratre suo, Milis, Rabota,[zz] Martinus, Zpitata,[a] Ben castellanus Betowensis,[b] Welen, Bares, Riwin,[c] Voizlaus[d] et frater eius, Taz[e] iunior, Adwicus,[f] Proztey,[g] Othazlaus,[h] Mathias, Wolframmus,[i] Sdizlaus,[k] Strachota;[l] Theodoricus,[m] Rubinus,[n] Chuno, procuratores nostri Znoymensis,[o] Brunnensis[p] et Olomucensis provinciarum; et alii quam plures. Insuper noverint universi, quod denunciatio[q]

320. *t)* ‚Martinitz' *C;* ‚Martinicz' *E.* — *u)* ‚Lechthowich' *C;* ‚Leethoviz' *D;* ‚Lecthowicz' *E.* — *v)* ‚Babitz' *C.* — *x)* ‚Chelesch' *C;* ‚Chelesicz' *E.* — *y)* ‚Milochowitz' *C;* ‚Milochoviz' *D;* ‚Milochowicz' *E.* — *z)* ‚Vsecowitz' *B;* ‚Vsecoviz' *D;* ‚Vsecowicz' *E.* — *aa)* ‚Bruna' *D.* — *bb) ita B, C, D, E;* ‚permaneant' *corrigendum esse videtur teste privilegio Velehradensi (num. 321).* — *cc)* ‚qui' *C, E.* — *dd)* ‚adponeret' *C, D.* — *ee)* ‚antedicte' *E.* — *ff)* ‚sunt' *deest C.* — *gg)* ‚Welgradensis' *B;* ‚Welligradensis' *D.* — *hh)* ‚Hermannus' *D, E.* — *ii)* ‚Trebezensis' *C.* — *kk)* ‚Cvnicensis' *B.* — *ll)* ‚Sdico' *omittit D;* ‚Zdiko' *C.* — *mm)* ‚Heinricus' *C, E.* — *nn)* ‚Vdislaus' *D.* — *oo)* ‚Cunradus' *E.* — *pp)* ‚Marcuardus' *B.* — *qq)* ‚Hrutovich' *C;* ‚Hrutoviz' *D, E.* — *rr)* ‚Medlove' *C;* ‚Medlova' *D;* ‚Medlowe' *E.* — *ss)* ‚Bohuslaus' *C, D.* — *tt)* ‚Vranov' *D.* — *uu)* ‚Wrse' *B.* — *vv)* ‚Hartlibus' *B;* ‚Hartlebus' *E.* — *xx)* ‚Znoim̄' *B.* — *yy)* ‚Guillelmus' *C;* ‚Wielmus' *D.* — *zz)* ‚Raboia' *B;* ‚Rabora' *C.* — *a)* ‚Spitata' *B.* — *b)* ‚Betovensis' *B, D.* — *c)* ‚Ruwin' *E.* — *d)* ‚Woihlaus' *C;* ‚Woyzlaus' *D, E.* — *e)* ‚Taza' *C, D.* — *f)* ‚Adwie⁹' *B;* ‚Advigens' *C;* ‚Advic' *D;* ‚Adwies' *E.* — *g)* ‚Protche' *C;* ‚Prozche' *D;* ‚Bozche' *E.* — *h)* ‚Othaslaus' *C.* — *i)* ‚Woluramnus' *B.* — *k)* ‚Sdislaus' *C.* — *l)* ‚Stracoia' *B.* — *m)* ‚Theodoricus' *C.* — *n)* ‚Rvbinus' *B.* — *o)* ‚Znoimeñ.' *B, C.* — *p)* ‚Brunensis' *C, D, E.* — *q)* ‚o' *ex* ‚a' *eodem atramento statim corr. B.*

2) *Ius patronatus ecclesiae sancti Jacobi praeterea separatim concessum est diplomate, quod datum est a. 1228 dec. 6 (v. num. 322).*

ante dicta, facta per Leonem baronem nostrum super prefatis libertatibus a nostra maiestate concessis cenobio sepe dicto, auctoritate[r] nostra et mandato nostro fuit promulgata.[s] Facta autem sunt hec anno ab incarnatione Domini MCC vicesimo VIII,[t] regni nostri anno XXXIII,[3] VII idus novembris, indictione I, in loco, qui vulgariter appellatur Ozlawan,[u] in quo idem monasterium fundatum est et constructum. Data per manum notharii[v] nostri Hermanni, prepositi Luthomericensis, VII idus novembris,[x] regni nostri anno XXXIII.[3]

In apographo C adnotatur haec sigilla autographo appensa fuisse: 1) *sigillum regis,* 2) *sigillum episcopi Olomucensis,* 3) *sigillum Constantiae reginae. Apographum E sigillum episcopi tertio loco appensum fuisse affirmat.*

321.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterium in Velehrad, quod cum fratre suo Vladislavo, quondam marchione Moraviae, fundaverat, protegendum suscipit eiusque libertates renovat atque possessiones eius accurate describit.

— 1228 nov. 27.

Exstant duo autographa in membrana scripta, quorum unum (A¹) in tabulario c r. aulico Vindobonensi, alterum (A²) in tabulario terrae Moraviae Brunnensi (inter diplomata Velehradensia Lit. G. nº 3) asservatur.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 197, num. 186ᵇ (ex A²) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 343, num. 735 (ex A¹).

Utrumque autographum scriba scripsit, quem nota ‚Otakarus 35' signamus. Eiusdem scribae manu procul dubio etiam autographum deperditum privilegii Oslavanensis (num. 320) exaratum erat. — In diplomate conscribendo auctor privilegium deperditum Otakari regis adhibuit, quod iam antea [ante dec. 31 a. 1213] monasterio in Velehrad concessum esse in diplomatibus num. 109, 110, 272, 320 commemoratur. Cuius privilegii deperditi maximam partem in diplomate nostro procul dubio iisdem verbis descriptam esse ex eo potissimum apparet, quod diploma nostrum usque ad „Mete autem circuitus Weligrade" *repetit verba fere omnia diplomatis, quod monasterium in Oslavany a. 1228 nov. 7 ab Otakaro rege accepit; in hoc enim diplomate diserte scriptum est libertates, quae ipso contineantur, easdem esse atque illas, quae monasterio in Velehrad datae sunt. — In priore diplomatis parte nonnulla ad verbum fere concordant cum diplomate, quod Otakarus rex a. 1207 ecclesiae Olomucensi dedit (num 59); quae res eo facillime explicatur, quod privilegium Velehradense deperditum ab eodem auctore atque illud Olomucense conscriptum erat.*

C. ‖ In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. ‖ Ego Premizl, qui et Othacarus, tercius rex Boemorum, monasterio Weligradensi[a] Cisterciensis ordinis et ministris dei ibi degentibus in perpetuum. Cum regalem deceat excel-

320. *r)* ‚authoritate' *C.* — *s)* ‚promulgatum' *C, D.* — *t)* ‚MCCXXVIII' *D, E.* — *u)* ‚Ozlavan' *D.* — *v)* ‚notarii' *B, D, E.* — *x) quae subsequuntur, desunt in B.*

3) *Recte 31; sed mendum hoc iam in autographo exstitisse docet privilegium monii. Velehradensis (num. 321).*

321. *a)* ‚Welligradensi' *A².*

lentiam ‖ venerari et promovere sanctam in omnibus ecclesiam, congruum nostre visum fuit clementie id initiari[b] et exequi, quod nostre serenitati cederet ad meritum et sancte matris ecclesie[c] transiret ad provectum. Ibi enim recte locantur beneficia, ubi crescunt merita; ibi decenter impertitur gratia, ubi ‖ cum premiis cumulatur gloria. Noverint itaque tam presentes quam futuri, nos ex consilio et peticione fratris nostri[d] Wladizlay, condam illustris marchionis Morauie, nec non et reverentissimi patris nostri Roberti, episcopi Olomucensis,[e] assensu, domum Cisterciensis ordinis in Weligrade ‖ construxisse et, prout tunc temporis potuimus, eandem ditasse, ut servis dei ibi degentibus cottidianus[f] inde proveniat victus et vestitus, nec non etiam in nostram et successorum nostrorum tutelam et protectionem, sicut merito debemus, eandem recepisse cum omnibus ibi commanentibus eorumque prediis et possessionibus sive acquisitis sive etiam acquirendis, et a nostra benignitate nec non inclite memorie fratris nostri antedicti inpensis et expensis fundato et edificato[g] hanc libertatem donasse. Libertas autem hec est, quam a pietate nostra statuimus et sanccimus[h] firmiter observari, scilicet omnes villas et possessiones, quas modo ecclesia illa possidet, vel postea est possessura, ubicumque in regno nostro site sunt, sive in Boemia, sive in Morauia, ab omni onere tributorum, vectigalium, collectarum aliarumque exactionum, sive in quatuordecim ad principem vel beneficiarios spectantibus, quocumque modo nominentur, esse absolutas. Adicientes, ut nullus principum successorum nostrorum, vel baronum nobis vel eis subiectorum pro castrorum edificatione vel reedificatione vel aliqua ingruenti expeditione homines prefati monasterii audeat inquietare. Ius autem, quod datur pro capite, eis concedimus; hoc de fure statuentes: si in eorum habitat possessionibus et deprehensus fuerit in furto manifesto, vel de[i] aliquo occulto accusetur, videlicet quoad iuditium[k] ferri candentis[l] vel aque vel vomeres[m] calcandos[n] vel duelli, et convincatur in aliquo istorum in iuditio[o] seculari, eidem monasterio bona furis sive rei integraliter remaneant; iudices autem, quorum interest, faciant de eo, quod eis iustum videbitur. Si autem homines eiusdem monasterii coram iudicibus nostris culpabiles inveniantur, nec nobis nec iudicibus nostris curialibus vel beneficiariis aliquid inde utilitatis proveniat, sed apud idem cenobium culpe perseveret satisfactio, nisi in eo, in quo tenetur satisfacere adversario. Ceterum,[p] ut omnia breviter conprehendamus, omnem utilitatem, que spectat ad usus nostros vel successorum nostrorum vel beneficiarios nostros a nobis infeudatos, ei remittimus, ut plena et perfecta gaudeat libertate et ut nullus ei novas conditiones[q]

321. *b)* ‚iniciari' *A2*. — *c)* ‚ęcclesię' *A2*. — *d)* ‚ex consilio fratris nostri et petitione' *A2*. — *e)* ‚Olomunceñ' *A2*. — *f)* ‚c' *ex* ‚t' *eodem atramento corr. A2*. — *g) ita A1 et A2*. — *h) ex* ‚sanctimus' *radendo corr. A1*. — *i)* ‚de' *in loco raso, ubi prius* ‚in' *scriptum erat, eadem manu scriptum A1*. — *k)* ‚iudicium' *A2*. — *l)* ‚ferri candentis' *in loco raso eadem manus scripsit A1*. — *m)* ‚es' *in loco raso ead. manu scr. A1*. — *n)* ‚os' *in loco raso ead. manu scr. A1*. — *o)* ‚iudicio' *A2*. — *p)* ‚m' *in loco raso eadem manu scriptum A1*. — *q)* ‚condiciones' *A2*.

contra nostra statuta audeat imponere vel eius iura muttare.[r] Statuimus etiam, ut nullus camerarius intret villas monasterii ad aliquem citandum vel ad aliquid ibi faciendum, sed significet procuratori domus illius, cui abbas cum fratribus commisit procurationem in temporalibus, ut eos citari faciat, qui sunt citandi, quatinus die et loco determinato eos coram iudicibus statuat, quorum interest causas et negocia regni nostri tractare et diffinire. Si quis vero alicui persone religiose infra septa monasterii constitute manus iniecerit violentas ad aliquem ibi dehonestandum, vel aliquid inde abstulerit ausu temerario, manifeste bannum nostrum quoad[s] XXX marcas conponat et monasterio dampnis suis resarcitis in totidem satisfaciat. Prohibemus etiam, ne venatores nostri vel caniductores in abbatia[t] vel eorum villis sine abbatis et fratrum consensu pernoctent vel aliquid ibi inferant violentie, et hoc sub pena decem librarum monete provincialis, nisi placuerit abbati et fratribus eis aliquid gratie in victualibus inpendere. Id etiam addentes, quod si exstiterint eis iniuriosi, liceat eis ipsos sine offensa nostra de domibus et possessionibus suis violenter expellere. Insuper statuimus, quod quicumque nobilium vel potentum in prefati monasterii curiis vel villis pernoctando[u] vel intrando eidem extiterint[v] iniuriosi, bannum nostrum in decem marcis conponant et eidem monasterio dampna illata in duplum restituant. Adiecimus etiam, ut homines prefati cenobii per telonea transeuntes in rebus, que spectant ad opus vel usus ecclesie, ad eam in necessitatibus eius deferendis vel transducendis sint a pedagiis et teloneis absoluti; mercatores vero solvant quod sui iuris est. Huius autem libertatis a nobis concesse et regali munificentia[w] donate[x] prefate domus[y] heredes nostros et successores tutores constituimus et defensores, et precipue filium nostrum Wencezlaum, in regem consecratum, et fratrem eius Premizl,[z] filium nostrum, marchionem Morauie; hoc sanccientes, ut huius privilegii violatores in cameram nostram et successorum nostrorum decem[aa] marcas auri conponant. Insuper rogavimus venerabilem patrem nostrum Robertum, Olomucensem episcopum, in presentia filii nostri Premizl, marchionis Morauie, nec non baronum nostrorum, ut omnes, qui prefati monasterii violarent emunitatem[bb] et libertatem, eidem nostra regia munificentia collatam, qui etiam tunc temporis ecclesiam eandem consecravit, cui consecrationi nos cum illustri coniuge nostra Constancia et filio nostro Premizl[z] sepe dicto presentialiter[cc] interfuimus, excommunicaret; quod et factum est ab eodem. Et hoc etiam omnibus volumus esse manifestum, quod sine offensa nostra erit, si prescriptus episcopus et eius successores nostrarum constitutionum in hac pagina contentarum secundum ecclesiastica iura punierint transgressores.[dd] Mete autem circuitus Welegrade[ee]

321. *r) ita A¹;* ‚mutare' *A².* — *s) genuine* ‚quodad' (q̊ad), *sed radendo corr. A².* — *t)* ‚abbacia' *A².* — *u)* ‚pernoctare' *A².* — *v)* ‚exstiterint' *A².* — *w)* ‚munificencia' *A².* — *x)* ‚doꝛate' *A².* — *y) ita (loco* domui*) A¹ et A².* — *z)* ‚Bremizl' *A².* — *aa)* ‚X' *A².* — *bb) ex* ‚imunitatem' *eod. atramento corr. A¹.* — *cc)* ‚presencialiter' *A².* — *dd) Quae subsequuntur usque ad verba* ‚Cuius rei testes' *atramento magis nigricante scripta sunt A¹.* — *ee)* ‚Weligrade' *A².*

infra subscripta intersignia locorum protenduntur: scilicet rivulus Pezhka,[ff] qui fluit ad septentrionem; ad occidentem lapis, qui dicitur kralow stol,[gg] dehinc mons, qui nominatur Zhcala; postmodum ambiens[hh] silvam Vgezd et Polisowizh,[ii] et sic per insulam tendens in Morauam. Infra predictas metas et in omnibus silvis, quas huic domui contulimus in Moraua, et in omnibus aquis liberam habeant potestatem, ut nullus in pascuis, piscatione et venatione[kk] eos presumat inquietare. Sed nec venator aliquid iuris sibi vendicet, verum omnem utilitatem undecumque provenientem cenobium illud libere et absolute possideat. Possessiones vero eiusdem cenobii sunt hee:[ll] Welihrad civitas primo, modo burgus; Costelen,[mm] Nenakuniz,[nn] Polisowiz, Borschici, Vgezd, Zlechow, Setsche,[oo] capella Zpitinev,[pp] Vschenowicz,[qq] in Babiz ad duo aratra, Maretizc,[rr] Popowizc[ss] superius et Popowiz inferius, Knesepole, Briezt, Kwalkouic,[tt] Zdeborizc,[uu] Sirothki, Naluzsche iuxta Brennam[vv] et ortulani et vinee,[xx] Lwenouiz, Brieschene,[yy] Prikluik,[zz] Massiz, Pottworowiz,[a] Vneshowiz,[b] Schorsice[c] cum monte, ubi site sunt vinee, curiam in Podewin,[d] due curie[e] in Opauia, curia in Brenna,[f] Nemshice,[g] Othradiz, Cethocowiz,[h] Tessene,[i] Barice, Trapleiz, Jaroshowe,[k] Wassan, Domankowiz, Mistrin, Parisshowiz, Tourchow,[l] Pieshe;[m] molendinum in Vnisov[n] et domus alique, que solvunt tres marcas annuatim; Passhlawiz[o] ad duo aratra, Briezowiz,[p] in provincia Znoimensi curia et molendinum;[q] ecclesia sancti Johannis iuxta Welegrad[r] cum agris suis; iuxta Welika ad villam unam, Biscoupiz, Tupezzi; partem in[s] Zablazan et partem in Babiz; et hec omnia cum suis appenditiis.[t] Ut autem hec omnia rata et inconcussa perpetuo permaneant, hanc nostre serenitatis paginam nostro sigillo fecimus communiri et rogavimus reverendum patrem nostrum Robertum, Olomucensem[u] episcopum, ut in huius rei testimonium sigillum suum appenderet, quod et fecit.[v] Cuius rei testes sunt: dominus Jacobus Nitriensis episcopus, Henricus Zwettlensis,[x] Sigebertus Plaz-

321. *ff)* ‚Bezka' *A2*. — *gg)* ‚kralawstol' *A2*. — *hh)* ‚ambigens' *A2*. — *ii)* ‚Polisowiz' *A2*. — *kk)* ‚piscacione et venacione' *A2*. — *ll)* ‚heę' *A2*. — *mm) primum* ‚Costelan', *sed* ‚a' *eodem atramento statim inter scribendum correctum est A1*. — *nn)* ‚Nenakvniz' *A2*. — *oo) primitus* ‚Setscha', *sed* ‚a' *eodem atramento statim corr. A2*. — *pp)* ‚Zpitignev' *A2*. — *qq) primitus* ‚Vschanowicz', *sed* ‚a' *eod. atramento corr. A1;* ‚Uschenowiz' *A2, ubi* ‚e' *etiam ex* ‚a' *eod. atramento corr. est.* — *rr)* ‚Maretiz' *A2*. — *ss)* ‚c' *alio atramento additum A1;* ‚Popowiz' *A2*. — *tt)* ‚Khwalcowiz' *A2*. — *uu)* ‚c' *alio atramento additum A1;* ‚Zdeboriz' *A2*. — *vv)* ‚Nalusche iuxta Brunnam' *A2*. — *xx)* ‚vineę' *A2*. — *yy) primitus* ‚Brieschena', *sed* ‚a' *eodem atramento statim corr. A1 et A2*. — *zz)* ‚Brikkluk' *A2*. — *a)* ‚Potworowiz' *A2*. — *b)* ‚Vneschowiz' *A2*. — *c)* ‚Scorsthiz' *A2*. — *d)* ‚Bodewin' *A2*. — *e)* ‚e' *ex* ‚a' *eodem atramento corr. A1*. — *f)* ‚Brunna' *A2*. — *g)* ‚Nemschice' *A2*. — *h)* ‚Zetocowiz' *A2*. — *i) primitus* ‚Tessane', *sed* ‚a' *eod. atramento statim corr. A1, A2*. — *k)* ‚Jaroschowe' *A2, ubi* ‚a' *ex* ‚e' *eodem atramento statim corr. est.* — *l)* ‚Tovrcowe' *A2*. — *m) primitus* ‚Piezha', *sed* ‚a' *statim eodem atramento corr. A1;* ‚Bische' *A2, ubi* ‚e' *ex* ‚a' *eod. atramento corr. est.* — *n)* ‚Vnisowe' *A2*. — *o)* ‚Passzlawiz' *A2*. — *p)* ‚Brizowiz' *(*‚o' *eod. atramento superscr.) A2*. — *q)* ‚molendi' *(!) A2*. — *r)* ‚Welihrad' *A2*. — *s)* ‚in' *deest A2*. — *t)* ‚appendiciis' *A2*. — *u)* ‚Olomuc̄' *A1;* ‚Olomuncen̄' *A2*. — *v) Quae subsequuntur usque ad finem alio atramento, sed eadem manu scripta sunt A1*. — *x)* ‚Heinricus Zwetilensis' *A2*.

zensis,[y] Arnoldus Trebecensis, Petrus Gradicensis abbates, Teodericus Olomucensis,[z] Boutha Bolezlauiensis,[aa] Hermannus Luthomericensis[bb] prepositi, Radozlaus et Esau archidiaconi et canonici Olomucenses,[cc] Sdizlaus,[dd] Gerardus,[ee] Henricus,[ff] Alexius et Gregorius canonici Olomucenses,[cc] Sdezlaus Brunnensis prepositus, Walterus canonicus Pattauiensis,[gg] Bartholomeus canonicus Wissegradensis, Themo canonicus Bolezlauensis, Conradus[hh] scriba regis in Brenne,[ii] Slauic et Gerardus[kk] capellani domini episcopi Olomucensis,[cc] comes Conradus[hh] de Hardekke, Henricus de Khiow,[ll] Teodericus[mm] de Vetow et Hrutho[nn] filius eius, Wersho camerarius Znoimensis, Bouzlaus[oo] castellanus de Vranow, Stephanus de Medlow[pp] cum filio suo Voitech,[qq] Dewiz castellanus de Graez,[rr] Holache castellanus Olomucensis;[cc] Semizlaus, Wnezh,[ss] Victor, Bludo Olomucenses,[tt] Petrus filius Vlastiborii, Henricus[ff] de Bozen, Verene, Johannes Lozoz, Rathiborius, Barduz,[uu] Martinus, Welen, Vrecoslaus, Milizce, Cerro dapifer et Chastalow frater eius, Wocco camerarius, Boudiuoie[vv] filius domini Ben, Nedamirus, Parduz,[xx] Jurich[yy] camerarius regine, Milata, Otezlaus[zz] miles domini episcopi Olomucensis,[a] Hogerus dapifer, Mirozlaus pincerna, Voicek podecoing, Chece, Vitco, Nienech, Mathias et frater eius Bicno, Benco, Mracota, Henricus,[b] Ywanus, Lupoldus,[c] Wulceco,[d] Pribizlaus, Bertherus,[e] Conradus,[f] et quam plures alii tam clerici quam laici. Acta autem sunt hec publice anno ab incarnatione Domini M̊C̊C̊X̊X̊VIII̊, mense novembri, indictione I̊ in consecratione ipsius ecclesie, que fuit V̊ kalendas decembris, regni nostri anno X̊X̊XIII̊.[g] Data autem per manum Hermanni prepositi Luthomericensis, notharii nostri, V̊ kalendas decembris, regni nostri anno X̊X̊XIII̊,[g] presidente eidem cenobio domno[h] Alberto abbate venerando. ✝

Autographo A^1 in membranae margine inferiore aliquanto sinistrorsus appensum est filis sericis rubri et flavi coloris Roberti, episcopi Olomucensis, sigillum e cera naturali confectum idem atque in num. 78. Alterum sigillum, quod in membranae margine inferiore medio e filis sericis flavis et rubris appendebat, sed iam deperditum est, Otakari regis erat. Sigilla ita appensa sunt, ut in dextro margine inferiore tertio sigillo relinqueretur locus; quod sigillum autem nusquam appensum erat. — Autographo A^2 appendent: 1) *e filis sericis coloris flavi et rubri et aliquot filis nigris sigillum Otakari regis de cera naturali confectum, idem atque in num. 264;* 2) *e filis sericis coloris rubri sigillum Roberti episcopi de cera naturali confectum idem atque in num. 78.*

321. *y)* ‚Sigbertus Placensis' *A^2*. — *z)* ‚Theodricus Olomuncensis' *A^2*. — *aa)* ‚Bolezlaueñ' *A^2*. — *bb)* ‚Lvthomericeñ' *A^2*. — *cc)* ‚Olomunceñ' *A^2*. — *dd)* ‚d' *in loco raso eodem atramento scr. A^2*. — *ee)* ‚Gerhardus' *A^2*. — *ff)* ‚Heinricus' *A^2*. — *gg)* ‚Waltherus can. Patauiensis' *A^2*. — *hh)* ‚Cunradus' *A^2*. — *ii)* ‚Brunne' *A^2*. — *kk)* ‚Gerhardus' *A^2, ubi primum* ‚r' *statim ex* ‚g' *corr. est.* — *ll)* ‚Heinricus de Kyow' *A^2*. — *mm)* ‚Theodricus' *A^2*. — *nn)* ‚Hrvto' *A^2*. — *oo)* ‚Bŏzlaus' *A^2*. — *pp)* ‚Medelow' *A^2*. — *qq)* ‚Voithech' *A^2*. — *rr)* ‚Grece' *A^2*. — *ss)* ‚Uunez' *A^2*. — *tt)* ‚Olomuceñ' *A^1*; ‚Olomunceñ' *A^2*. — *uu)* ‚Bardvz' *A^2*. — *vv)* ‚Bovdiuoye' *A^2*. — *xx)* ‚Pardvz' *A^2*. — *yy)* ‚Jvrich' *A^2*. — *zz)* ‚Othezlaus' *A^2*. — *a)* ‚Olomuncensis' *A^2*. — *b)* ‚Heinricus' *A^2*. — *c)* ‚Livboldus' *A^2*. — *d)* Włceco' *A^1 et A^2*. — *e)* ‚Berhtherus' *A^2*. — *f)* ‚Cvnradus' *A^2*. — *g) ita A^1 et A^2 (pro* XXXI*).* — *h) primum* ‚o' *ex* ‚u' *eodem atramento corr. A^1;* ‚d' *A^2, ubi post hanc litteram quatuor fere litterae erasae sunt.*

322.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Oslavany ius patronatus ecclesiae sancti Jacobi in Brunna donat, Roberti, episcopi Olomucensis, consensu. — 1228 decb. 6.

Apographum insertum est confirmationi Theodorici, episcopi Olomucensis, datae in Olomuc 1298 apr. 5, cuius autographum in tabulario civitatis Brunnensis asservatur (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 207, num. 191 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 345, num. 736.

Diploma ab Hermanno regis notario conscriptum esse sine ulla dubitatione confirmaverim, nonnullis aliis diplomatibus, in quibus notarius ipse aperte auctor nominatur, collatis. — Mirum quod iuris patronatus ecclesiae s. Jacobi donatio diplomate nostro demum proprie comprobatur, cum ius illud iam in diplomate Otakari regis die 7 novembris dato inter monasterii Oslavanensis possessiones commemoretur (vid pag. 318, lin. 3.) Anni regni perperam computati sunt, sed mendum hoc iam in autographo ipso exstitisse docet privilegium monasterio in Velehrad die 27 nov. datum (num. 321).

Ego Otakarus, qui et Primizl, dei gratia rex Boemorum, omnibus hanc cartam inspecturis. Noverint tam presentes quam futuri, quod nos ad petitionem matrone nostre nomine Heilwidis de Znoym de consensu venerabilis patris nostri Roberti, Olomuncensis episcopi, ius patronatus ecclesie[a] sancti Jacobi in Brunna de consueta liberalitate cenobio Vallis sancte Marie in Ozlauan libere et absolute in perpetuam[b] elemosinam contulimus, eandem ei libertatem concedentes, quam ipsi cenobio cum omnibus suis pertinentiis, secundum quod in privilegiis eiusdem domus continetur,[1] omnibus contradictoribus perpetuum silentium imponentes. Et ut hec donatio nostra perpetua firmitate roboretur, eam sigilli nostri munimine fecimus communiri. Et in testimonium huius donationis nostre reverentissimus pater noster Robertus, Olomuncensis episcopus, sigillum suum apposuit. Huius autem donationis a nobis facte hii testes fuerunt: baro noster Marquardus frater Benes, Conradus notarius Brunensis, Henricus canonicus Olomuncensis. Datum per manum notarii nostri Hermanni, prepositi Lutomericensis, octavo idus decembris,[c] regni nostri anno XXXIII.[2] Testes enim plures, qui fuerunt presentes, sunt hii: Nidamirus frater Werse, Hartlibus de Znoym miles, Theodricus rector eiusdem ecclesie. Ego dei gratia episcopus Olomuncensis Robertus in huius donationis testimonium sigillum meum apposui.

323.

Venceslaus I, iunior rex Bohemiae, monasterio in Litomyšl pro remedio animae fratris sui Vladislavi, quondam marchionis Moraviae, proventus e poenis iudicialibus concedit. — 1228 —.

322. *a)* ,ecclesie' *deest B.* — *b)* ,u' *ex* ,a' *eodem atramento correctum B.* — *c) primitus* ,dembris', *sed eodem atramento in* ,decembris' *correctum B.*

1) *Vid privilegium 1228 nov. 7 datum (num. 320).* — 2) *Recte 31.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A). — Ibidem exstat etiam charta autographi instar manu eiusdem fere temporis in membrana scripta (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 203, num. 188 (ex B) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 341, num. 733 (fragm.) — Sickel, Monum. graphica, fasc. VIII, tab. 3 autographi A imaginem photographicam praebet.

Autographum A scriba scripsit, quem nota ‚Venceslaus I‘ signamus. — Mirum quidem videtur, quod in diplomate Venceslaus „rex Boemorum“ appellatur, cum in sigillo iuste intitulatio „iunior rex Boemorum“ ei attributa sit. Sed de diplomatis fide dubitandum non esse mihi quidem persuassimum est; nam litterarum formae tempori illi optime conveniunt et sigillum, quod in diplomatis medio margine inferiore appensum est, certo verum et sincerum est; accedit, quod ea, quae diplomate conceduntur, ab illius temporis consuetudine non abhorrent. — Forma B, quae autographi A verba omnia repetit, uno tantum enunciato addito, non multo post s u b d i t a esse videtur.

[A.]

§ In nomine sanctę ac individue et perpetue trinitatis amen. § Wencezlaus, dei gratia rex Boemorum, omnibus, ad quos presens pa||gina devenerit, salutem et fidei pietatem. Cum inter mundanas actiones ea sola salubris ac meritoria permaneat, quę divinę retributionis et obtinende perpe||tuę beatitudinis gratia celebratur, alie omnes more liquentis aquę cum tempore transeunt et labuntur, nichil secum temporalis delectationis retinentes || preter peccata, quę talibus generantur: hanc igitur considerationem animo revolventes, animadvertimus, qualiter bona monasterii Luthomislensis possent ad statum pristinum reformari, quę per discordiam nobilium terrę nostrę in tantum consumpta fuerant et distracta, ut etiam fratres ibidem divinum offitium peragentes victum et vestitum penitus non haberent. Nos itaque temporibus nostris bona claustralia dolentes taliter deperire, pro salute animę dilecti fratris nostri, bone memorię mar-

[B.]

§ In nomine sancte ac individue et perpetue trinitatis. § Uenzeslaus, dei gratia rex Boemorum, omnibus, ad quos presens pagina devenerit, salutem et fidei pietatem. Cum inter mundanas actiones ea so||la salubris ac meritoria[a] permaneat, que divine retributionis et obtinende perpetue beatitudinis gratia celebratur, alie omnes more liquentis aque cum tempore transeunt et labuntur, nichil secum temporalis[b] delectatio||nis retinentes preter peccata, que talibus generantur: hanc igitur considerationem animo revolventes animadvertimus, qualiter bona monasterii Luthomislensis possent ad statum pristinum reformari, que per discordiam nobilium terre || in tantum consumpta fuerant et distracta, ut etiam fratres ibidem divinum ofitium peragentes victum et vestitum penitus non haberent. Nos itaque temporibus nostris[c] bona claustralia dolentes taliter deperire, pro salute anime dilecti fratris nostri, bone memorie marchyonis Morauie, nomine Wadizlai,[1] et pro remedio peccatorum nostrorum statuimus et in perpetuum inviolabiliter confirmamus, ut homines iam dicti monasterii hanc habeant libertatem: Si in culpam inciderint, sive aliquis in

1) *Obiit die 18 februarii a. 1227.*

323.B *a)* ‚a‘ *in loco raso eodem atramento scr. B. — b)* ‚tempalis‘ *B. — c)* ‚nris‘ *in loco raso eodem atramento scr. B.*

[A].

chionis Morauię, nomine Wadizlay,[1] et pro remedio peccatorum nostrorum statuimus et imperpetuum inviolabiliter confirmamus, ut homines prefati monasterii hanc habeant libertatem: Si in culpam inciderint, sive aliquis in villis eiusdem claustri casu miserabili ab alio suffocêtur, quod vulgariter hlaua dicitur, seu ab aliquo pro latrocinio incusetur, quod boemicę narok vocatur, sive etiam aliquando hac servitute fuerint obligati, quod narez materna lingua nominatur, ab omnibus hiis ipsos penitus decernimus absolutos, arbitrio domini abbatis relinquentes, ut pro hiis et aliis culpis homines suos pena debita puniat, ad usus monasterii, quicquid ex culpa provenerit, convertendo. Ut autem nostra relaxatio et constitutio robur obtineat veritatis, presentem paginam, testibus subscriptis, nostri sigilli caractere fecimus consignâri. Acta sunt autem hęc coram nostris fidelibus, videlicet Witkone antiquo filio Witkonis, Wata subcamerario et Bohuzlao fratre eius, Zbrazlao subpincerna, Zlauniko subdapifero, Drisizlao marsalko, Jurik noskone, Petro Milhozti filio, Ztrezimiro calvo, Milata de Morauia, Daleborio filio Daleborii, Voyzlao canoniko[a] de Zacska, magistro Abdone, Petro capellano de Nehanic et aliis multis. Datum anno dominicę incarnationis millesimo CCXXVIII, concurrente VI, regni nostri anno primo.

[B.]

villis ecclesie eiusdem casu miserabili ab alio suffocetur, quod vulgariter hlaua dicitur, seu aliquo pro latrocinio incusetur, quod boemice narok vocatur, sive etiam aliquando hac servitute fuerint obligati, quod narez materna lingua nominatur, vel si quis hominum prefate ecclesie suspensus fuerit, quod wizelche boemice dicitur, ab omnibus hiis ipsos penitus decernimus absolutos, arbitrio domini abbatis relinquentes, ut pro hiis et aliis culpis homines suos pena debita puniat, in usus monasterii, quicquid ex culpa provenerit, convertendo. Ut autem nostra relaxatio et constitutio robur obtineat veritatis, presentem paginam, testibus subscriptis, nostri sigilli caractere fecimus consignari. Acta sunt autem hec coram nostris fidelibus, videlicet Witkone[d] antiquo filio Witkonis, Wata subcamerario et Bouzlao fratre eius, Zbrazlao subpincerna, Zlaunicho subdapifero,[e] Drislao marsalcho, Jurik noskone, Petro Milhozti filio, Ztrezimiro calvo, Milata de Morauia, Daleborio filio Daleborii, Voyzlao canonico de Zaska, magistro Abdone, Petro capellano de Nehanic et aliis multis. Datum anno dominice incarnationis millesimo CCXXVIII, concurrente VI, regni nostri anno primo Amen.

In autographi A medio margine inferiore appensum est filis sericis albis, flavis, rubris sigillum rotundum e cera naturali confectum, cuius diametros fere 75 mm sunt. In sigilli medio eques galeatus depingitur, qui manu dextra hastam cum vexillo, sinistra vero scutum

323.*A* *a) ita A.*

323.*B* *d)* ‚k‘ *ex* ‚h‘ *eod. atramento corr. B.* — *e) primitus* ‚fubdı‘, *sed* ‚i‘ *statim in* ‚a‘ *corr. B.*

1) *Obiit die 18 februarii a. 1227.*

triangulum tenet, cuius insigne aquila est; post equitis tergum et sub equo figura stellae cum sex radiis conspicitur. Circumscriptionis partim defractae haec tantum litterae supersunt: ✠ WENCE......... I//////OR · REX · BOEMORV *[= Wencezlaus dei· gra iunior rex Boemorii]. — Iuxta hoc sigillum sinistrorsus appendet de filis sericis coloris rubri et flavi, viridi, rubri et fusci sigillum rotundum (diametros 75 mm), duo latera habens, de cera naturali confectum, quod iam valde adaesum est. In sigilli parte priore rex depingitur in solio sedens, qui corona capiti imposita manu dextra sceptrum, sinistra vero pomum cum cruce gestat. Circumscriptio:* ✠ PAX REGIS · WENCESLAI · IN MANV · SANCTI · WENCEZLAI. *In altera sigilli parte depingitur s. Venceslaus in solio sedens, qui manu dextra hastam cum vexillo tenet, sinistra palmam gerens scuto innititur, in quo insigne aquilae conspicitur. Circumscriptio:* ✠ SANCTVS · WENCESLAVS BOEMORVM · DVX. *Figurae in utraque sigilli parte expressae ad similitudinem illarum proxime accedunt, quae in illo sigillo depinguntur, quo Otakarus rex ab a. 1224 oct. 11 (v. num. 264) utebatur. (Sigilli huius imaginem praebet Kalousek, Obrana sv. Václava, ed. 2, pag. 131). Sigillum hoc posterius diplomati appensum fuisse ex eo apparet, quod Venceslaus rex post mortem patris sui demum ipso utebatur. Cum autem dubitari non possit, quin sigillum verum et genuinum sit, appensio eius fortasse posteriorem diplomatis confirmationem significat.*

In charta B appendet e filis sericis coloris violacei, flavi, rubri fragmentum sigilli adulterini de cera naturali confecti, in quo altera sigilli Venceslai regis pars (cum s. Venceslao) expressa est.

324.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio sancti Laurentii in Opatovice villas, quarum nomina adferuntur, condonat et illas, quae ab aliis donatae sunt, confirmat, immunitatibus large concessis. *Pragae 1229 —.*

Apographum insertum est confirmationi Venceslai II, regis Boh., dd. Brunnae 1303 nov. 4, quae totidem verbis transscripta est in confirmatione Karoli IV dd. Romae 1355 apr. 5, cuius quidem exemplar praebet transsumptum Ferdinandi, episcopi Lucensis, nuntii apostolici, dd. Iglaviae 1421 dec. 12, nunc in tabulario monii. in Rajhrad asservatum (D).

Piter, Thesaurus absconditus in agro seu monio. Brzevvnov. pag. 195 (qui se Ferdinandi nuntii apostolici chartam „in archivo monialium ord. Cist. Aulae s. Mariae Veterobrunnae" invenisse adnotat) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 201, num. 187 (ad a. 1228) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 337, num. 725.

Diplomatis verba ab Hermanno, regis notario, conscripta esse, diplomatibus num. 218, 265, 289, 305 aliisque collatis cognosci potest. — Boczek annum, qui in apographo adfertur, arbitratu suo correxit, quippe qui annotationem de Venceslai regis coronatione, in diplomatis fine positam, genuinam esse iudicavit. Cum autem apographum perspicue annum 1229 habeat, dubium esse non potest, quin annotatio illa posterius inter „actum" et „datum" interposita sit. — Mendum in indictionis numero (‚septima‘ *loco* ‚secunda‘*) procul dubio unius ex describentibus incuria effectum est.*

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Ottakarus, qui et Przemysl, dei gracia tercius rex Boemorum,[a] omnibus in perpetuum. Contingit[b] plerumque donaciones legitimas factaque mortalium sollemniter[c] celebrata labente tempore

324. *a)* ‚Boem̄‘ *D.* — *b)* ‚Contigit‘ *D.* — *c)* ‚solemniter‘ *D.*

immutari, nisi scripto memorie commendentur; littera enim vivit et actio littere sagaciter commendata. Notum siquidem facimus universis tam presentibus quam posteris, quod ob remedium anime dilectissimi filii nostri Wladislai, recolende memorie illustris marchionis Morauie,[1] cum grato assensu nostre carissime coniugis Constancie, nec non primogeniti filii nostri Wenceslai, in regem coronati, gratuita voluntate, villam Stolan cum omnibus attinenciis suis monasterio sancti Laurencii in Opatowicz et fratribus ibidem domino deo devote famulantibus contulimus iure hereditario possidendam. Item Chruppi dimidiam villam et in Wtelno ad aratrum et duos hospites luchinici de Myelczy, Przellucssie cum omnibus appendiciis suis, Policzie dedimus eidem monasterio nostro Opatowicensi;[d] et omnium nostrorum ob remedium animarum predecessorum Sterzeri emimus pro pecunia ecclesie prenotate. Copisci in provincia Luthomericensi,[e] oblatam pro anima Stephani, nostri ministri fidelis et iudei baptisati,[f] pro villa Dolany apud Mykus, nobilem nostrum, fecimus[g] commutari. Item villam Mesilesicz[h] apud Hroznatam de Podyebrad pro villa Scaliczie, sita in Wsoburno,[i] fecimus commutari. Item Coyata filius Hrabysse villam Matharsov pro anima sua obtulit;[2] et idem Coyata vir nobilis villam Slawcowicz[j] pro anima Petri filii Ratiborii sepe dicto monasterio sancti Laurencii attribuit coram nobis. Item Czasta, vir nobilis et probus, providens saluti anime sue, villam Drzieczie domui sancti Laurencii obtulit. Matheus coquus noster Wilcowiczie[k] de nostra licencia addidit. Item Czaslaw suppanus[l] villam Czernogiedy dedit. Sdeslaw filius Zeloluch Wessele iam sepe dicte ecclesie sancti Laurencii dedit, ad quam accepit sepulturam. Otto et filius eius Stoyhnyew[m] Hlaweczko obtulerunt. Item prefate ecclesie venerabilis Cunradus abbas cum fratribus villam Placzimicz apud Johannem filium Jarochniew in nostra presencia pecunia comparaverunt. Item idem abbas apud Perardum Lhutam[n] iuxta Placzimicz pro XV marchis argenti emit publice et aperte. Preterea nos rex Wenceslaus saluti anime nostre imposterum providendo Lhutam nomine Brzehrad et molendinum in Luca indulsimus locari ad instanciam et peticionem eiusdem Cunradi abbatis venerabilis atque fratrum. Insuper silvam nostram ville Mesilessicz[o] adiacentem dedimus ex mera nostra liberalitate.[p] Ibi enim decenter locantur beneficia, ubi crescunt merita. Propter pravorum hominum calumpnias et iniurias emersuras omnibus prescriptis nostris et ceterorum baronum[q] nostrorum donacionibus seu empcionibus, preter pontes reformandos, plenariam ab omnibus exaccionibus libertatem concessimus, videlicet ut pauperes ex omnibus prenotatis villis castellanorum sive beneficiariorum iudicio non astent, nisi velint propria voluntate, sed coram nobis et nostris successoribus iudicentur, et penam per sentenciam

324. *d)* ‚Opatow̄' *D.* — *e)* ‚Luthomislensi' *D.* — *f) ex* ‚baptisalti' *corr. D.* — *g)* ‚facimus' *D.* — *h)* ‚Mesilesicez' *D.* — *i)* ‚Swosoburno' *D.* — *j)* ‚Slacowicz' *D.* — *k)* ‚Wilcowigie' *D.* — *l)* ‚supparius' *D.* — *m)* ‚Stoyhnyow' *D.* — *n)* ‚Lhuta' *D.* — *o)* ‚Missilessicz' *D.* — *p)* ‚libertate' *D.* — *q)* ‚bonorum' *D.*

1) *Obiit die 18 februarii a. 1227.* — 2) *Vide pag. 301, lin. 24.*

adiudicatam nulli alteri nisi domino suo abbati et eius fratribus solvant secundum ius consuetudinis adinvente. De eo, quod vulgariter dicitur narok sive swod, et de eo, quando aliquis interficitur, quod vulgariter hlawa vocatur, et inde, quod narez[r] sonat, iam sepe dictarum villarum incole sint perpetuo liberi et immunes. Et ut hec nostre probaciones et aliorum virorum proborum oblaciones seu empciones antescripte, per nos confirmate sollemniter[s] et aperte, robur habeant firmitatis, nec debeant imposterum commutari, sed stabiliter perseverent, presens privilegium monasterio sancti Laurencii in Opatowicz fecimus exhiberi nostrorum sigillorum atque nostri sanctissimi patroni Wenceslai robore communitum. Actum Prage, anno dominice incarnacionis MCCXXIX, indictione secunda.[t] ⟨Eodem anno rex Wenceslaus militari gladio est accinctus et a venerabili sancte Maguntine sedis Syffrido archiepiscopo extitit coronatus⟩. Datum per manus Arnoldi, cancellarii et prepositi Wissegradensis,[u] et Hermanni, prepositi Luthomericensis, notarii regie aule.

325.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, iura quondam a Conrado Ottone duce aliisque praedecessoribus suis, postea vero a se ipso in provincia Brunensi constituta renovat et observari mandat. *Brunae 1229 mart. 17.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunensi asservatur (A). — Apographum saec. XV exstat in Libro privilegiorum monii. Velehradensis, qui in eodem tabulario asservatur, fol. 22v—23v (B).

[Habrich], Jura primaeva Moraviae, Collegerunt ac notis illustrarunt Benedictini Rajhradenses (Brunae 1781), pag. 21—34. — Boczek, Cod. dipl. Moraviae II, pag. 209, num. 194 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 348, num. 742 (omisso initio), = Jireček, Cod. iuris Boh. I, pag. 62, num. 33 — Bretholz, Moravský zemský archiv, jeho dějiny a sbírky ad pag. 121 tab. VII (imago phototypica cum diplomatis exemplo typis excusso).

Autographum scripsit scriba, quem nota ‚Otakarus 36' signamus; cuius quidem scribae manus iam in nullo alio eiusdem regis diplomate autographo deprehenditur. — In autographi dorso manus quaedam saec. XIII adnotavit: ‚Privilegium provincie Brunnensis Oth akar regis', *quae verba accuratissime eodem ordine repetuntur in superscriptione, quae diplomatis apographo in Libro privilegiorum monii. Velehradensis praemittitur; unde apparet autographum hoc in monasterii Velehradensis tabulario quondam asservatum fuisse. — Diploma verba fere omnia illius diplomatis repetit, quo anno 1222 Přemysl Otakarus rex statuta Conradi Ottonis ducis in provincia Znojmensi et Bítovensi observanda esse decrevit (v. num. 234).*

+ C + ‖ In nomine sancte et individue trinitatis amen. ‖ Otacarus, qui et Primuzl, dei gratia Boemorum rex, suppanis et omnibus nobilibus atque vulgo provincie Brennensis perpetuo. Equitati est ‖ consentaneum et regie conveniens excellentie pariter et honori modis omnibus ad hoc intendere atque niti, ut nemo contra iuris ordinem aggravetur, sed iura omnia

324. r) ‚narecz' D. — s) ‚solemniter' D. — t) ‚septima' D. — u) ‚Wyschegradeñ' D.

conserventur uni cuique penitus inconvulsa; iuris enim observantia et temporalis honoris || gloria conservatur et anime a deo in celesti patria premium tribuetur. Ne autem ea iura, que prius a nostris predecessoribus, ut a bone memorie duce Conrado et ab aliis, postmodum aut[a] a nobis in tota Brennensi provincia sunt statuta, processu temporis per quemquam hominum || possint inmutari, sed perpetuo stabilia permaneant atque firma, noverit tam presens etas quam eius sequens posteritas, quod nos habito diligenti tractatu cum fidelibus nostris suppanis, Boemis pariter et Morauis, volentes ab omnibus perpetuo inviolabiliter observari, iura statuimus in hunc modum: Omnes hereditates, quas viri nobiles, tam maiores quam minores, tempore ducis Conradi sine querela iuste et pacifice huc usque possederunt, in bona tranquillitate pacis ammodo possideant. Item nullus camerarius citet aliquem nisi certo cum testimonio eorum quorum interest; et nominatim quilibet eorum debet ducere castellani nuncium et alium iudicis, * insuper duos probos viros de circumsedentibus villis; et si camerarius vadit ipse secundus aut tercius sine nunciis beneficiatorum, si interficitur, nichil de eo respondeatur. Si fuerit fur apud aliquem nobilem vel apud aliquem, cuius est villa, et dederit eum curie, omnia bona sua sint et collum eius in potestatem principis detur. Insuper si fur capitur in aliquo loco et suspenditur, omnia sua principis sunt, preter fruges, que adhuc remanserunt in agro. Item quod dicitur narok, hoc non debet esse nisi ubi constet sub certo testimonio sua bona amisisse, nisi acciderit * in silva vel in aliquo loco secreto, vel alicui hospiti; et antequam admittatur, debet notificari curie, quorum interest, scilicet iudici, castellano cum ceteris. Quando aliquis pauper venit de propria re conquerendo, pallium sibi nullatenus deponatur. Nullus zok aliquem accuset, nisi certo sub testimonio vicinorum constet de dampno *; et si fuerit zok convictus testimonio fori communis, lapidetur. Quando aliquis iudicium aque debet[b] subire, nullus eum in aquam dimittat nisi sacerdos et eius cooperator; si deus iuverit eum, iudici det duos denarios et sacerdoti XIIII[otm]; si nudaverit se et iudicium noluerit subire, solvat capellano VII denarios et vetule duos. Si aliquis nobilis vir, et non druho, super se habuerit narok, puer pro ipso subeat iudicium; et si non fuerit adiutus, * solvat pro eo CC[c] denarios. Quando ducitur, quod dicitur zuod, debet adesse castellani nuncius, iudicis et villici et camerarii et unus vel duo de vicinatu illo, et ultra tres non ducatur, sed in tercio remaneat; et si convictus fuerit, CC[c] in cameram regis reddat denarios et illi, qui dicitur powod, satisfaciat. Si quis equos *, equas, vel boves vel vaccas, vel aliqua maiora subtraxerit, quantitas dampni estimetur sub certa fide et sacramento eorum, quibus iurisdicio est commissa, et secundum hoc accusatores admittantur. Item fures cum sociis et fautoribus eorum pari pena puniantur. Si subtrahuntur alique res, pallium aut aliquid tale, hoc curie non notificetur; sed si bos vel iumentum subtrahitur, curie notificetur. Et quando aliquis vulneratur * de foro veniendo vel alibi, notificetur curie. Item quando aliquis nobilis capitur in furto et suspenditur, et non habet prolem, hereditas ipsius regi cedat; et si aliquis capitur in manifesto furto, uxor eius habeat terciam partem. Quicunque nobilis vel rusticus occiderit aliquem, CC[c] denarios solvat curie et alias recedat et querat gratiam; et uxor sua * in pace sedeat et indempnis. Si quis[d] non habuerit filium vel filios, et habuerit filias, ad illas deveniat hereditas equaliter; et si non fuerint, hereditas deveniat ad proximos heredes.

325. a) *ita scribae incuria A loco* ‚autem'; *vid. supra pag. 223, lin. 12.* — b) ‚et' *in loco raso eadem manus eodem atramento scripsit A.* — c) *alterum* ‚C' *in loco raso eodem atramento scriptum est A.* — d) ‚quis' *eadem manu superscriptum A.*

Si alicui subtrahuntur iumenta aut famuli apes furantur, debet[e] subire iudicium ferri, scilicet vomeres. Insuper si quis spoliatus fuerit per wiboy, incuset quos vult, et de hirdozt nominet quos vult, et antique consuetudines conserventur. Quisquis theloneum pertransierit, a thelonario[f] licentia non obtenta, neque theloneo persoluto, non aliter puniatur, nisi ius thelonei duplicabit et preter hoc pro pena solvet LX[a] denarios. Si quis equum proprium currum aliquem trahentem recognoverit, non plus quam LX[a] denarios pro curru et rebus in eo existentibus iudici persolvat. Item si quis equum apud aliquem invenerit vulneratum, non equum vendicet sibi iudex, nisi solummodo LX[a] denariis sit contentus. Item si quis citatus fuerit et obtinuerit ius suum in iudicio, neque wrez neque pohonce, set solummodo denarios duos persolvat, quod pomocne vulgariter appellatur. Item ad clamorem communem, qui nestoyte vulgariter nominatur, nullus currere teneatur, nisi de propria voluntate hoc facere voluerit. Item si quis super rebus propriis mobilibus sive inmobilibus in iudicio convenitur, eadem bona, de quibus fit questio, neque iudex neque domini terre villicus sibi vendicet possidenda; sed idem, qui super eisdem bonis convenitur, eadem bona pacifice possideat, donec eadem questio per sentenciam decidatur. Item si vestigia rei furtive secus aliquam villam deperierint, eadem villa occasione eiusdem furti nullatenus puniatur. Preterea nullus de illis, qui custodiunt silvam, debet spoliare aliquem in via vel in foro, nisi tunc illum spoliet, quando invenit[g] arborem secantem. Ad hec iudex numquam iudicet in CCC[tis] denariis, nisi * LX[a]. Insuper numquam iudex debet iudicare solus, nisi presente castellano aut aliquibus nobilibus; et quando villicus iudicat, non debet ire ad capiendum consilium de iudicio, sed iudicet sedens cum militibus. Item quando tempus est ire ad iudicandum, et omnes sunt, et villicus non vult venire, iudex iudicet cum militibus; et de mane semper et numquam hora vespertina a iudice et a villico iudicium habeatur. Qando[f] aliquis interficitur in via, sive homo militis, sive iudicis, sive villici fuerit, confusio magna inde fit; solent apponi denarii, aurum et argentum; ille quis accusat et[h] dominus debet iurare super sancta sanctorum. Pro debito si quis citatus fuerit et in primo termino non astiterit iudicio, vendatur, nisi legittimum probare possit inpedimentum. Insuper nullus de hominibus nobilium, qui vadit in aliqua vel in propria legatione, sive ad forum, numquam in novo nisi in antiquo theloneo solvat. Item ad iudicium[i] nullus accedat, nisi de domo secundum ius primo citetur. Insuper si villicus regis sine iudicio aliquem inpignoraverit, rex suo iure corrigat; si * villicus camerarii, marcam auri solvat; si dominus, beneficio careat. * Preterea duellum, quod in vulgari dicitur kiy, non habeant nisi ad extraneos. * In hiis omnibus excipimus privilegia religiosorum virorum a principibus eis concessa et iura clericorum cum dotibus ecclesiarum, quibus[k] reguntur secundum ius canonicum. Ad huius igitur institutionis imitationem et debitam secundum iuris ordinem observationem assurgimus, et ne in eis, que prescripta sunt, veritati falsitas valeat novercari, et ne aliquo videantur scrupulo posse obfuscari, nostra

325. *e) ita A;* ‚debent' *corrigendum esse docet diploma num 234. — f) ita A. — g)* ‚quem invenerit' *melius legitur in diplomate num. 234. — h)* ‚et' *in loco raso ead. manu scriptum A; in diplomate num. 234 hoc loco* ‚non' *legitur. — i) Quae subsequuntur, in B desunt, quod codicis duo folia proxima excisa et deperdita sunt. — k) ita A.;* ‚qui' *corrigendum esse docet dipl. num. 234.*

qua debemus potentia sanximus et nostri testimonio sigilli munimus et privilegiamus per eum, qui nos iusticia et veritate filio suo privilegiavit. Actum in Brenna, anno gratie MCCXXIX, XVI kalendas aprilis.

Sigillum, quod autographo appendebat procul dubio e filis sericis, iam avulsum et deperditum est.

326.

Gregorius IX papa monasterium in Osek tuendum suscipit eiusque possessiones confirmat. *Perusii [1229] maii 23.*

Apographa saec. XVII exstant in cod. ms. ‚Damascus ex cubiculo abbatis' pag. 237 (B) et in ms. ‚Privilegia Ossecensia' anno 1693 descripto, pag. 183 (C), qui in tabulario monasterii in Osek asservantur. — Aliud apographum saec. XVIII praebet fr. Malachiae Welcker Historia monii. Ossecensis, fol. 15^{v} (D), cuius cod. ms. in eodem tabulario asservatur.

Sartorius, Cistercium bis tertium pag. 1012 (summa).

Gregorius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis .. abbati et conventui de Ossek, Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis precibus inclinati, personas vestras et locum, in quo divino vacatis obsequio, cum omnibus bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem possessiones ac alia bona vestra, sicut ea omnia[a] iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Perusii, X kalendas iunii, pontificatus nostri anno tertio.

327.

Gregorius IX papa Ivoni episcopo Cracoviensi atque Pragensi et sancti Michaelis Cracoviensis praepositis contentionem, quae inter Laurentium Vratislaviensem et Robertum Olomucensem episcopos de limitibus utriusque dioecesis est, exquirendam et diiudicandam committit. *Perusii [1229] iun. 7.*

Apographum exstat in Gregorii IX regestorum volumine I, quod in tabulario secreto Vaticano (inter Reg. Vat. t. XIV) asservatur, fol. 117^{v}—118^{r}, lib. III, ep. 20 (R).

326. a) ‚iam' *B, C, D.*

Palacký, Ital. Reise, pag. 24, num. 105 (reg.) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 215, num. 199 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 351, num. 747 (frgm.) — Theiner, Vet. monum. Poloniae et Lith. I, pag. 17, num. 37 — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. I, num. 350 — Kopetzky, Reg. z. Gesch. d. Hzgt. Troppau (Arch. f. ö. Gesch. 45, pag. 107) num. 24 — Potthast, Reg. pontif., num. 8413. — Auvray, Les reg. de Grégoire IX, tom. I, pag. 186, num. 305 (reg.).

..[1] episcopo Cracouiensi, .. Pragensi et .. sancti Michaelis Cracouiensi prepositis.[a] Venerabilis frater noster .. Olomucensis[b] episcopus transmissa nobis petitione monstravit, quod cum olim venerabilis frater noster ..[3] Wratislauiensis episcopus contra eum super limitibus diocesum suarum ad ..[4] abbatem de Buch et eius coniudices apostolicas litteras impetrasset,[5] idem Olomucensis ab eis ex sufficienti gravamine ad apostolicam sedem appellans, super hoc ad ..[6] abbatem de Cella et eius collegas ab eadem litteras impetravit; quorum iudicium cum idem Wratislauiensis per frivole appellationis diffugium declinasset, a nobis ad ..[7] decanum Misnensem et eius coniudices per falsi suggestionem committi obtinuit causam ipsam. A quibus idem Olomucensis sentiens indebite se gravari, eo quod testes partis adverse ante litis ingressum, ipso non citato nec se per contumaciam absentante, contra iustitiam receperunt, nostram audientiam appellavit. Unde petebat, ut revocato in irritum, quicquid per dictum decanum Misnensem et eius collegas fuerat temere attemptatum, processum abbatis de Cella et collegarum eius faceremus executioni mandari. Cum autem impetrate super hiis littere legerentur, magister Aston, scriptor noster, Wratislauiensis canonicus, procurator episcopi Wratislauiensis prefati, eis in communi audientia contradicens, coram dilecto filio nostro S.[8] tituli sancte Marie trans Tyberim presbytero cardinali, sibi et Henrico, canonico Olomucensi, procuratori Olomucensis prefati, a nobis auditore concesso, proposuit ex adverso: quod cum causa, que inter .. episcopum Wratislauiensem eundem et nominatum Olomucensem episcopum super limitibus suarum diocesum de Golesisco vertitur, olim dilecto filio abbati de Buch et suis coniudicibus a sede apostolica commissa fuisset, dicti iudices Wratislauiensem ipsum propter adverse partis contumaciam manifestam in possessionem rerum petitarum in iudicio causa custodie induxerunt. Prefatus vero Olomucensis episcopus se ab eis legitime appellasse confingens, ad .. abbatem sancte Marie de Cella et ..[9] Magdeburgensem et ..[10] Patauiensem prepositos super hoc litteras apostolicas impetravit. Nominato autem Patauiensi preposito committente magistro Alberto clerico vices suas, quia dictus abbas de Cella cum ipso clerico, absente preposito Magdeburgensi iam dicto,

327. a) *Superscriptio colore rubro scripta est R.* — b) ,Olomuceñ' *in loco raso eadem manu scriptum R.*

1) *Ivoni.* — 2) *Epponi.* — 3) *Laurentius.* — 4) *Bruningum.* — 5) *Litterae istae iam deperditae procul dubio longe ante a. 1226 datae erant.* — 6) *Ludegerum.* — 7) *Petrum.* — 8) *Stephano de Normandis, qui ad titulum presbyteri cardinalis s. Mariae tr. Tiberim a. 1228 translatus est.* — 9) *Willebrandum.* — 10) *Conradum.*

nec se per litteras vel nuntium excusante, ad testium receptionem minus canonicam procedendo et ipsorum depositionibus minime publicatis, processum iudicum premissorum de ipso non cognito contra iustitiam revocavit, procurator eiusdem Wratislauiensis vocem ad nos appellationis emittens, ad ..[11] decanum et ..[12] scolasticum Misnensem et B. canonicum Cicensem, Nuhemburgensis[c] diocesis super hiis a nobis sub certa forma litteras impetravit. Qui de iudicum utrorumque processu legitime cognoscentes, processu abbatis de Cella et clerici premissorum penitus irritato, eundem Wratislauiensem in dictam possessionem rerum ipsarum reduci sententialiter decreverunt; a quorum sententia ex parte Olomucensis prefati, ut sic saltem tenere posset iam dictum negotium diutius in suspenso, fuit iterum nostram audientiam appellatum. Quare sepe fatus Wratislauiensis episcopus humiliter postulabat, ut, ne[d] propter huiusmodi diffugia impediri diutius valeat negotii memorati processus, providere super hoc de benignitate sedis apostolice dignaremur. Licet autem super premissis omnibus fuisset a procuratoribus antedictis coram auditore prefato diutius disceptatum, quia tamen per ea, que fuere proposita coram ipso, nobis non potuit de meritis cause liquere, causam eandem de procuratorum ipsorum assensu vestro duximus examini committendam, discretioni vestre per apostolica scripta mandantes, quatinus de omnium iudicum premissorum processu legitime cognoscatis et illum vel illos, quos vel quem de iure videritis admittendos, reliquo vel reliquis penitus irritatis, faciatis[e] per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Ad litis contestationem infra quatuor mensium spatium post citationem factam a vobis, ad quod si necesse fuerit, partes auctoritate nostra, sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, compelli volumus et mandamus, legitime procedatis ad decisionem negotii, si de partium voluntate processerit, ratione previa processuri. Alioquin causam ipsam sufficienter instructam ad apostolice sedis remittatis examen, prefigentes partibus terminum competentem, quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui representent, iustam dante Domino sententiam recepture. Si vero ad litis contestationem procedi non poterit, iuxta quod superius est expressum, ne[d] per tergiversationem alicuius fiat huiusmodi questio immortalis, prefigatis partibus terminum competentem, quo litem contestature ac in eadem causa sicut iustum fuerit processure per se vel procuratores idones compareant coram nobis. Testes autem,[f] qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere.[f] Quod si non omnes hiis[g] exequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris.[g] Datum Perusii, VII idus iunii, anno tertio.

327. *c)* ‚Nuhemburgen' *(sine abbrev. signo) R.* — *d)* ‚n̄c' (= nunc) *expresse R.* — *e)* ‚facientes' *R.* — *f)* ‚autem — perhibere' *tantum compendio* ‚etc' *indicantur in R.* — *g)* ‚hiis — exequaris' *compendio* ‚etc' *tantum indicantur in R.*

11) *Petrum.* — 12) *Udalricum.*

328.

(I.) *Gregorius IX papa cum Otakaro, rege Bohemiae, conqueritur de flagitiis, quae Fridericus „dictus imperator" in Terra Sancta commiserit, eumque rogat, ut „ad vindicandam iniuriam Salvatoris taliter assurgat, ut cum a se fuerit requisitus, paratum eum inveniat ecclesia ad exprobrandum opprobrium inimicorum crucis Christi."*

(II.) *Iisdem verbis scribit Johanni II, episcopo Pragensi.*

[Perusii 1229 iul. 18.]

Epistulas iisdem fere verbis conscriptas fuisse atque illam, quae a. 1229 iul. 18 missa est ad Leopoldum VI, ducem Austriae, post epistulae ipsius apographum in Gregorii IX registorum vol. I, fol. 130r, lib. III, ep. 38 ita commemoratur: ‚In eundem modum scriptum est: — — .. episcopo Pragensi, — — .. regi Boemie.'

Rodenberg, Epistolae e regestis pontif. Rom. selectae (Mon. Germ., Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 315, num. 397. — Cf. Palacký, Ital. Reise, pag. 24, num. 106 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 218, num. 200, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 353, num. 748 — Potthast, Reg. pontif., num. 8431.

Vid. Winkelmann, Kaiser Friedrich II, tom. II (1897) pag. 145, not. 2.

329.

Capitulum ecclesiae in Vyšehrad, praeposito suo Arnoldo deprecante, bona sua in Zděnice apud Prachatice in feudum concedit Henrico Saxoni, ut ibi duas villas instituat.

In capitulo Vyšehradensi 1229 aug. 15.

Duo apographa saec. XIV ex. exstant in Libro privilegiorum eccl. Vyšehradensis, qui in eiusdem capituli tabulario asservatur, fol. 14r, num. 32 (B1) et fol. 47r, num. 127 (B2).

Bartholdus Pontanus a Braitenberg, Bohaemia pia, pag. 77 — Friedrich in Český časopis historický VI, (1900), pag. 242.

In[a] nomine sancte et individue trinitatis. P.[1], dei gracia decanus, G.[2] custos et omne Wissegradensis ecclesie capitulum omnibus hoc[b] intuentibus cyrographum salutem in auctore salutis. Notum sit tam futuris, quam presentibus tenorem presencium intuentibus, quod nos karissimi nostri Heinrici Saxonis devocionem erga ecclesiam nostram attendentes, ad peticionem domini nostri A.[3] ecclesie nostre prepositi, cuius peticionibus iustis grato semper consuevimus occurrere assensu, homagium recipientes, bona de Zdenicz apud Pragadicz[c] sita iure feodali concessimus eidem et successoribus suis tali forma, quod V annis eadem libere bona

329. *a) Ante apographum B1 hoc lemma colore rubro scriptum legitur:* ‚Hic ponitur tenor littere capituli Wissegradensis ecclesie super bonis in Sdenicz circa Prachaticz sitis, datis Henrico Saxoni in feodum sub certa forma et condicionibus, ut in ipso apparet.' — *b)* ‚hunc' *B2*. — *c)* ‚Sdenicz aput Prachaticz' *B2*.

1) *Petrus.* — 2) *Gerhardus.* — 3) *Arnoldi.*

possideat et extunc singulis annis ecclesie nostre marcam et dimidiam persolvat[d] in perpetuum ad usus fratrum in eadem deo famulancium. Si autem, quod absit, dictus Heinricus et sui successores condicionem[e] pretaxatam firmiter non observaverint, duricia cordis eorum vel contumacia crescente, et pro eo sentencie excommunicacionis fuerint innodati: si a tempore late sentencie usque ad finem anni contumaces extiterint, dissolventur condiciones pretaxate et bona ad ecclesiam nostram libere et absque difficultate revertentur. Ceterum, cum dictus Heinricus homagium ecclesie nostre faceret, firmiter repromisit, quod in prefatis bonis duas villas institueret, quarum possessores decem annis libere et absque solucione qualibet sederent, et postmodum eorum quilibet solidum Patauiensis[f] monete ecclesie nostre per singulos annos persolveret eo iure, quo et homines domini nostri prepositi in Pragadicz.[g] Acta sunt hec in capitulo Wissegradensis[h] ecclesie in Assumpcione sancte Marie, anno dominice incarnacionis MCCXXVIIII, indiccione II, epacta XXIII.

330.

Gregorius IX papa abbatibus sancti Emerammi et Altahensi mandat, ut determinent controversiam, quae inter abbatem Břevnovensem et episcopum Pragensem de quadam summa pecuniae et decimis est.

Perusii [1229] oct. 23.

Autographum in membrana scriptum in tabulario monii. Břevnovensis asservatur (A).

Dobner, Monum. hist. Boem. VI, pag. 10, num. 21 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 353, num. 749 (frgm.). — Potthast, Reg. pontif., num. 8461.

In membranae replicatae margine dextro haec scriptoris nota, quae iam vix legi potest, posita est: ‚Otto'.

Gregorius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis .. sancti Emeramm Ratisponensis et || de Alta Patauiensis diocesum abbatibus salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte .. abbatis || et conventus Breunouensis, ordinis sancti Benedicti, fuit propositum coram nobis, || quod venerabilis frater noster .. Pragensis episcopus super quadam summa pecunie decimis et rebus aliis ad ipsorum monasterium spectantibus iniuriatur eisdem. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audiatis causam et appellacione remota fine debito terminetis, facientes quod statueritis auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Datum Perusii, X kalendas novembris, pontificatus nostri anno tercio.

Bulla, quae e filis cannabinis appendebat, iam avulsa et deperdita est.

329. *d)* ‚persolvat' *deest B2.* — *e)* ‚dicionem' *B2.* — *f)* ‚Pathauiensis' *B2.* — *g)* ‚Prachaticz' *B2.* — *h)* ‚Wyssegradensis' *B2.*

331.

Johannes II episcopus, Eppo praepositus et Hippolytus archidiaconus Pragenses, iudices a sede apostolica delegati, nonnullos Austriae praelatos et clericos, quorum nomina adferuntur, ab officiis suspendunt eisque mandant, ut apud curiam Romanam se purgent de criminibus, quae ipsis Gebhardus, episcopus Pataviensis, intulerit.

In Týn [supra Vltavam] 1229 dec. 17.

Autographum in membrana scriptum in tabulario regni Bavariae generali Monacensi asservatur (A).

Monumenta Boica XXIX, pars 2, pag. 346, num. 20 = Urkundenbuch des Landes ob d. Enns II, pag. 677, num. 473, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 353, num. 750 (fragm.).

Autographum scripsit scriba, quem nota ‚Johannes II. 1' signamus, cuius manus iam in nulla alia charta occurrit.

In nomine Domini amen. Nos J.[1] miseratione divina episcopus,[a] E.[2] prepositus, Y.[3] archidiaconus Pragensis ecclesie, a sede apostolica delegati in negotio, quod movet dominus G.[4] Patauiensis episcopus, contra prelatos et alios clericos Austrie in sua diocesi ‖ constitutos, eo quod dicit eos excommunicatos in ecclesiis interdictis a se divina officia in salutis sue preiudicium celebrare, citavimus eundem clerum, ut coram nobis comparerent in Tyna, quadam villa Pragensis ‖ ecclesie, in die sancte Lvcie[5] dicto episcopo de hiis, que ipsis obiceret, secundum iuris ordinem responsuri. Die autem prefata veniente, nobis ibidem presentibus, dominus Patauiensis episcopus in propria persona comparuit coram nobis ‖ petens, ut ad mandatum sedis apostolice nobis iniunctum procederemus, prout iuris ratio postularet. Nos autem ex offitio nostro certi esse volentes, an pars etiam adversa per se vel per personas ydoneas compareret,[b] ‖ quesivimus, an pro alia parte aliquis esset presens. Ibidem autem surrexerunt abbas de Jerus et prepositus Numburgensis, item Danihel de Polan et Rembertus de Asparn, qui dixerunt, se pro se et pro aliis venisse, profitentes se super hoc mandatum nullum habere. Apparuit autem nichilominus magister Marquardus de Riede, item quidam laicus, qui se nominabat Pertoldum; quorum uterque obtulit quasdam literas, in quibus videbatur eorum uterque constitui procurator quorumdam prelatorum spetialiter et omnium clericorum Austrie. Verum in continenti dominus episcopus Pataviensis contra procurationem magistri Marquardi excepit dicens ipsum esse excommunicatum, unde a limine iudiciorum esse expellendum; et super hoc testes peciit in continenti recipi. Crastina autem die idem magister Marquardus apparens coram nobis erupit in vocem appellationis quasdam causas sue appellationis exprimens evidenter falsas, eo videlicet, quod sibi denegassemus copiam apo-

---

331. *a)* ‚epc' *eadem manu superscriptum A. — b) sequitur* ‚quesi', *quod scribae incuria non deletum est A.*

1) *Johannes II.* — 2) *Eppo.* — 3) *Yppolitus.* — 4) *Gebhardus.* — 5) *Die 13 decembris.*

stolici rescripti, item quod citassemus eos ultra duas dietas et ad locum suspectum. Cum autem ex parte episcopi diceretur, quod audiri non deberet ullo modo, cum esset excommunicatus, et paratus erat episcopus probare in continenti, quod procuratio tam sua quam dicti laici nulla esset, diximus magistro Marquardo et hiis, qui cum eo erant, quod parati eramus eis omnimodam iusticiam facere, et si eum vel partem suam in aliquo gravaremus, parati eramus corrigere,[c] dummodo etiam rationes partis adverse et ipse audiret et a nobis audiri permitteret, ut ita audita utraque parte, quod iustum foret, faceremus; ille nullam ulterius moram volens facere, cum suis sociis a nostra abscessit presentia. Cum autem nos viros religiosos plures post eos misissemus, mandantes ipsis, quod ad iuditium redirent, nos autem omnimodam eis iusticiam vellemus facere, rediit tam ipse quam alii; set dicentes se habere amplius iudicem papam, nulla mora facta, set nec nos, nec partem aliam volentes aliquo modo audire, iterato recesserunt, cum tamen eis continue instaremus dicentes et promittentes, quod parati eramus eis omnimodam iusticiam inpertiri, parati etiam, si in aliquo gravaveramus eos, in continenti revocare vel etiam ipsorum appellationi, si hoc iustum videremus, deferre. Iterato igitur ipsis contumaciter recedentibus, misimus honestas et graves personas eos revocantes primo et secundo et tercio. Set illi redire nullo modo voluerunt, immo ascensis equis cum conductu regis, quem eis sufficientissime procuraveramus, penitus abscesserunt. Supplicabat igitur nobis dominus episcopus Patauiensis proponens tribulationes maximas et infinitas tam sue ecclesie quam persone, ut ex ipsorum contumatia, quam fatiebant in periculum finale Patauiensis ecclesie, non sineremus eos commodum reportare, maxime cum iam per eos cum potestate laica contra ecclesiam coniuratos bonis omnibus sui episcopatus spoliati cogebatur deficere etiam in expensis. Nos igitur et ipsi episcopo benivolam audientiam concedentes et nichilominus pro iure partis adverse, licet absentis, quecumque nostrum animum movebant, fideliter proponentes per discussionem negotii ad veritatis inquisitionem curavimus pervenire. Constitit autem nobis probationibus sufficientibus tam facti quam iuris, quod procuratio facta in personam magistri Marquardi nulla fuit, tam aliis rationibus quam illa specialiter, quod ipse tempore date procurationis excommunicatus erat maiori excommunicatione a dicto episcopo suo ordinario pluries et ex diversis causis, et ex illa specialiter, quia dixerat dominum papam esse hereticum. De excommunicationibus autem factis in eum probatum est lite super excommunicatione in modum exceptionis sibi obiecta inter ipsos contestata coram nobis per viros honestos et religiosos et omni, ut credimus, exceptione maiores. Constitit etiam nobis, quod alia procuratio facta in Pertoldum laicum non erat nobis aliquatenus admittenda, nam fides illi cartule propter plurimas suspitiones non poterat adhiberi, utpote que erat signata nomine multorum prelatorum et totius cleri uno sigillo

331. *c) sequitur* ‚et' (?) *erasum A.*

penitus ignoto pluribus deletis literis, ita quod, cuius esset, non poterat liquido deprehendi, dicebatur tamen a presentatore esse[d] sigillum abbatis Scothorum, nec eadem carta habebat aliquid certitudinis, quare ei fides adhiberi debebat. Constitit etiam nobis tam per responsa eorum, qui pro prelatis et clero venerant, quam aliis pluribus modis, quod ex parte nostri litere nostre citationis pervenerant tam ad prelatos Austrie quam totum clerum, quia fuerant in tota Austria multipliciter publicate. Constitit etiam nobis per probationes iuris, quod appellationi interposite non erat deferendum, tum quia cause[e] assignate erant notorie false, tum quia persone dicte exigente sua contumatia et aliis de causis appellare non poterant, tum ex pluribus aliis causis. Nos igitur visis meritis utriusque partis, habita deliberatione plenaria, de consilio virorum sapientum, qui fuerunt tunc temporis nobiscum, licet pars episcopi peteret in principali precedi,[f] ut scilicet secundum mandatum apostolicum adversarios suos contumaces pena canonica castigaremus, maxime cum excessus eorum esset notorius; lite tamen super hoc non contestata hoc facere noluimus, set quia nobis constitit de contumatia tam prelatorum Austrie quam alterius cleri, utpote qui citati nec per se apparuerunt, nec per ydoneos responsales, in penam sue contumatie quosdam ex ipsis prelatis seu clericis, quorum nomina inferius sunt annotata, quos tamquam principaliores esse in hoc negotio perspeximus, in exemplum et terrorem aliorum suspensos ab officiis et benefitiis ipsorum ad presentiam sedis apostolice transmittimus, eis comparendi personaliter coram domino papa in octava Pasche[6] terminum prefigentes, ut ibidem aput sedem[g] apostolicam tam de pena istorum quam aliorum clericorum Austrie, in quibus propter multitudinem severitati ad presens detraximus, secundum domini pape beneplacitum disponeretur. Remittimus etiam negotium nobis inter dictum episcopum et prefatos clericos comissum in manibus domini pape, ut tunc predicto episcopo finaliter respondeant et prelati nominati et ceteri clerici de obiectis, dictum eis terminum peremptorium assignantes. Non enim videmus, qualiter episcopo[h] Pataviensi per nos in principali possit iusticia exhiberi propter hoc, quod nec nuntios nostros cum literis nostris citatoriis seu aliis in Austriam possimus dirigere, cum eorum, qui nostras literas illuc detulerunt, quidam clerici iam sint in vituperium dei et ecclesie Romane male tenti et viliter tractati, et timemus eis in futurum etiam vite periculum imminere. Hii autem sunt, quos ab officiis et beneficiis suspensos ad Romanam curiam transmittimus: abbas Scotorum in Vienna, prepositus Numburgensis, abbas in Cella sancte Marie, prepositus sancti Andree, prepositus sancti Georgii, abbas in Kothuico, abbas in Altenburch, abbas in Medlico, abbas in Sitansteten, abbas in Gleunch, abbas in Chremsmv̊nster, abbas in Lambach, prepositus in

331. *d)* ‚esse‘ *eadem manus superscripsit A.* — *e)* ‚cause‘ *eadem manus superscripsit A.* — *f) ita* (‚p̄cedi‘) *scribae incuria loco* ‚procedi‘ *A.* — *g) sequitur iterum* ‚aput sedem‘, *sed deletum A.* — *h)* ‚epō‘ *ex* ‚ep̄atus‘ *in loco raso eadem manu correctum A.*

6) *Die 14 aprilis a. 1230.*

Walthovsen, prepositus sancti Floriani, prepositus de Richersperge, decanus in Anaso, decanus in Chremis, decanus in Herzogenburch, magister Marquardus de Riede, magister Marquardus plebanus de Spithe, Sifridus plebanus de Haimburch, Olricus plebanus de Wizlinsdorf, Ebrhardus plebanus de Lovchse, Conradus plebanus de Rustbach, Marquardus plebanus de Gors, Danihel plebanus de Polan, Fridricus plebanus de Widerualde, Vernhardus plebanus de Sicendorf, Hinricus plebanus de Rapotenchirhen, Rudgerus plebanus de Chůliube, Riembertus plebanus de Asparn, Henricus plebanus de Asparn, Sifridus plebanus de Wæls, Siboto plebanus de Grimarsteten, plebanus de Valwa, Olricus plebanus de sancto Andrea, Pernoldus, Erchenpoldus, Albertus, Rapoto clerici celebrantes in Vihenna. Acta sunt hec in Tyna, in domo episcopali, in presentia magistri Bernardi scolastici Pragensis, magistri Egidii archidiaconi Tynensis, magistri Stephani archidiaconi Horsouensis, Thobie canonici Pragensis, abbatis et prioris de Mileuzch, Premonstratensis ordinis, Nepri et Milozlay capellanorum episcopi Pragensis, Benigni canonici Sacensis, Ypoliti capellani regis Boemie, Lupi sacerdotis, Radozlay capellani episcopi, V. prepositi sancti Nicholay de Patauia,[i] Marquardi prepositi[k] sancti Ypoliti, Conradi maioris plebani de Patauia, Ebrharti, Alberti et aliorum multorum anno dominice incarnationis M̊C̊CXXVIIII, X̊VI kalendas ianuarii, pontificatus domni[l] Gregorii noni anno tercio.

Autographo appendent e scidulis membranae quatuor sigilla e cera naturali confecta. 1) *Sigillum formae ex longo rotundae (alt. 46 mm), cuius dimidia fere pars defracta desideratur. In sigilli medio depingitur figura sacerdotis stantis. Circumscriptio:* ✠ S ЄPPONIS PR.............TI. — 2) *Sigillum formae ex longo rotundae, cuius altitudo 61 mm sunt. In sigilli medio depingitur figura episcopi in solio sedentis cum infula capiti imposita, qui manu dextra pedum gestat, sinistra vero librum pro pectore tenet. Circumscriptio:* ✠ SIGILL IŌHIS *[quod nomen in sigilli area sub litteris* GILL *positum est]* D̄I GR̄A SCЄ· PRAGЄN · ЄCCLIЄ ЄPISCOPI. — 3) *Sigillum formae ex longo rotundae, cuius altitudo 44 mm sunt. In sigilli medio depingitur figura sacerdotis stantis, qui manu dextra pedum tenet. Circumscriptio:* ||| ||| MILЄVCЄNSIS ЄCCŁЄ. — 4) *Sigillum formae ex longo rotundae, cuius altitudo 65 mm sunt. In sigilli medio depingitur figura sacerdotis in solio sedentis, qui manu dextra pennam (?), sinistra vero librum tenet. Circumscriptio:* ✠ SIGILLvM · YPOIITI ARCh ||||||IACOИ · PRAGЄNSIS. *Notandum est, quod scalptoris incuria sigilli imago atque circumscriptionis litterae inversae sunt.*

332.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, una cum Constantia regina monasterio in Plasy villam Všehrdy, quam sibi abbas eiusdem monasterii dedit in concambium pro villa Hodina, vendit, filii sui Venceslai regis eiusque coniugis Kunigundae assensu.

Pragae 1229 —.

331. [i]) ‚de Pat̄' *eadem manu superscriptum A.* — [k]) ‚p̄poti̅' *eadem manus superscripsit A.* — [l]) ‚domi̅' *A.*

333.

Venceslaus, iunior rex Bohemiae, sepulcro sancti Venceslai quasdam possessiones in villa Bykoš confert easque ab omnibus exactionibus liberat.

— 1229 —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario capituli metropol. Pragensis asservatur (A). — Exemplar simplex saec. XVI exstat in tabulario Novodomensi (B).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 354, num. 752 (extr. ex A).

Autographum ab eodem scriba, quem nota ‚Venceslaus I‘ signavimus, scriptum esse videtur. — Diplomatis verba ab eodem auctore, qui eiusdem regis diploma monasterio in Litomyšl a. 1228 datum (v. num. 323) composuit, conscripta esse verisimile est. — Autographo appendet sigillum, quo Venceslaus rex utebatur, cum patre suo mortuo in locum eius successisset. Quae res sic optime interpretari potest, quod rex, cum ad ipsum summa rerum delata esset, autographum quondam a se datum solum novo sigillo suo appenso confirmavit, aut novo autographo, in quo prioris diplomatis verba omnia (ne temporis nota quidem mutata) accurate repetuntur, donationem suam renovavit.

§ In nomine sancte ac individue trinitatis amen. § Wencezlaus, dei gratia iunior rex Boemorum, omnibus, ad quos presens pagina pervenerit, salutem in omnium salvatore. Notum esse volumus ‖ universis, tam presentibus quam futuris, quod nos deo principaliter et sepulchro beati martyris Wencezlay, nostri domini et patroni, pro remedio animę nostrę liberaliter conferimus ‖ quasdam possessiones in villa Bikos cum pratis, silvis, montanis, convallibus, rivis et aliis eis attinentibus, exceptis nostris fenosectoribus, imperpetuum possidendas, ab omnibus exactionibus no‖vis et antiquis constitutionibus, quę vulgariter narok, hlaua seu zvod appellantur, predictas possessiones penitus absolventes. Et quia gesta regum et principum ideo maxime litterarum memorię commendantur, ne vita hominum, quę brevis et instabilis permanet, de hoc seculo dilabente gestorum pariter et memoria laberetur: nos ad maiorem huius facti valitudinem et nostrę donationis perpetuam firmitatem presentem paginam conscribi fecimus et nostri sigilli caractere consignari. Acta sunt autem hęc anno dominicę incarnationis millesimo CCXXVIIII, epacta XXIII,[a] indictione XV,[1] concurrente VII. Testes autem, qui huic facto interfuerunt, hic subnotantur: Mstidruch purchravius Pragensis, Zauise iudex, Noztup cum fratre Gabardo, Dobremilus camerarius, decanus Arnoldvs, Ypolitus archidiaconus, Bernardvs scolasticus, Bribizlaus archidiaconus Belinensis, Johannes archidiaconus Curimensis, Johannes[b] de Assahpurch, Bribizlaus frater Mirozlay, Hermannvs prepositus Luthomericensis, Georgius canonicus, Theodricus vicarius episcopi Pragensis, Adrastus capellanus reginę, Michael et Albertus capellani eiusdem gloriose reginę Boemorum.

333. *a) ex* ‚XXIIII‘ *radendo corr. A. — b) post hanc vocem scriba iterum* ‚archidiaconus‘ *scribere coepit, sed litteris* ‚ar‘ *positis errorem suum cognoscens, eas erasit. A.*

1) *Indictionis numerus perperam computando effectus est, nam ad annum 1229 indictio II pertinet.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A). — Apographum saec. XVIII med. praebet Scheppl, Lapis sepulchralis fundatoris ... monasterii ... de Plassio (cod. ms. tabularii Musei regni Boh.) pag. 77—78.

Erben, Reg. Boh. I, pag. 347, num. 739 (frgm.) — Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen XII, pag. 70, num. 33 (reg.).

Autographum scripsit scriba, quem nota ‚Otakarus 37' signamus; qui scriba e monachorum monasterii Plassensis numero fuisse videtur. Diplomatis verba in monasterio ipso composita esse verisimile est.

‖ In nomine sancte et individue trinitatis. ‖ Nos Premizl, dei gratia Boemorum rex. Universis Christi fidelibus, tam ‖ presentibus quam futuris, notum esse volumus, quod nos una cum consorte thori nostri, illustri regina Constantia villam Wsehrdi, ‖ quam dilecti nobis abbas et fratres in Plaz pro concambio villę nostrę nomine Nahodini nobis tradiderant, eorumdem precibus inclinati ‖ et instantia provocati pro XL marcis argenti vendidimus, in hoc magis eorum consulentes inopie et paci providentes, quam perituras nostris heredibus pecunias cumulantes. Plus namque pensamus lucra celestia, quę nullo penitus fine clauduntur, quam rerum affluentiam, quę tristem exitum sortiuntur. Ut ergo in posterum et concambium et venditio et omnis nostra factio possit robur illibatum tenere, karissimus filius noster gloriosus rex Wencezlaus[a] cum venerabili regina domina Cungunda, coniuge sua gratanter et libere prebuere consensum, volentes et ipsi bonorum virorum orationibus divinam sibi conciliare clementiam et pro vili commercio gloriam consequi sempiternam. Decrevimus etiam, ut sigillorum nostrorum appensione hec pagina fulciatur et eidem [nomin]a[b] testium inserantur: Eppo prepositus ęcclesię Pragensis, Arnoldus prepositus Wisseg[r]adensis, Hermannus prepositus Lutomericensis, Ratmirus camerarius Pliznensis, Sdezlaus camerarius Pragensis, Fridericus magister domus sancte Marię, Wlsco de Zuekow,[c] Wecemilus et Heinricus frater eius, Zulizlaus de Kniwan, Iwanus et Ernestus fratres, Sdezlaus de Sista, Bethlehem wassallus reginę, Scamponoys camerarius reginę aliique quam plures, quorum nomina conpendii gratia preterimus. Datum in urbe Praga per manus domini Arnoldi cancellarii anno ab incarnatione Domini MCCXXVIIII, indictione II.

Autographo appendent e filis sericis coloris rubri albi flavi tria sigilla de cera naturali confecta: 1) *Sigillum Přemysli Otakari regis eadem forma confectum atque in num. 264.* — 2) *Sigillum formae ex longo rotundae, cuius alt. 82 mm, lat. fere 58 mm sunt. In sigillo figura feminae in solio sedentis veste sinuosa indutae conspicitur, quae corona capiti imposita manu sinistra sceptrum gestat, dextram vero pro pectore tenet. Circumscriptio:* + SIGILLVM · CO//STANCIE DEI GRACIA · BOEMORVM · REGINE. *Quod quidem sigillum ad aliam formam revocandum est atque illa eiusdem reginae sigilla, quae diplomatibus num. 21, 75, 153 appendent.* — 3) *Sigillum Venceslai iunioris regis Bohemiae, quod eadem forma confectum est atque sigillum diplomatis num. 323; in quo circumscriptionis defractae haec litterae supersunt:* + WENCEZLAVS · DEI · GRA....... EX · BOEMORV.

332. *a)* ‚Wencezlauꝰ' *A.* — *b) quae uncis clauduntur, cum membrana perierunt A.* — *c)* ‚k' *in loco raso (fortasse ex* ‚o') *eodem atramento correctum est A.*

Autographo appendet e filis sericis coloris flavi et rubri sigillum rotundum, cuius diametros 75 mm sunt, e cera coloris fusci confectum, duo latera habens. Quod quidem sigillum ex eadem forma profectum est, atque alterum Venceslai regis sigillum, quod autographo A diplomatis num. 323 appensum est.

334.

Henricus I, dux Silesiae, Bartosium militem suum villam Bärsdorf prope Liegnitz monasterio sanctae Mariae in Leubus dono dedisse litteris suis attestatur „coram filio suo Heinrico iuniore duce Zlesie et nepotibus suis Zebezlao et Boleslao, ducibus Boemie, et omnibus terre sue baronibus“.

Krossen 1229 —.

Büsching, Leubusser Urkunden, pag. 107, num. 42 — Grünhagen, Reg. z. schlesischen Gesch. I, num. 343 (reg.).

335.

Johannes II episcopus et Eppo praepositus Pragensis, iudices a sede apostolica delegati, Geroldo episcopo capituloque Frisingensi sacrorum usum restituunt eisque mandant, ne Conradum comitem de Wasserburg eiusque complices et homines excommunicatos ad officia divina admittant.

[1228—1230.]

Autographum in membrana scriptum in tabulario regni Bavariae generali Monacensi asservatur (A).

Lang, Reg. Boica II, pag. 114 (ad ann. cc. 1220) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 288, num. 617 (ad a. cc. 1220); idem pag. 355, num. 756 (ad ann. cc. 1230). — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 11063 (ad a. 1227—1230).

Autographum scripsit scriba, quem nota ‚Johannes II. 2‘ signamus. — Charta nota temporis omnino caret, sed inter annos 1228 et 1230 scriptam esse ex eo apparet, quod tunc Geroldus et Johannes II munere suo simul fungebantur.

Reverendis dominis G.[1] dei gratia venerabili episcopo, et toti capitulo Frisingensi J.[2] eadem gratia || episcopus, et E.[3] prepositus Pragensis, iudices a sede apostolica delegati, devotas oraciones cum sincere dilec||tionis affectu. Quoniam mandatum sedis apostolice et nostrum humiliter et devote, sicut nobis per litte||ras vestras innotuit, observastis, obedientiam et devotionem vestram in hoc quam plurimum recommendamus; et quia peticio iusta suo effectu frustrari non debet, divinum officium ad peticionem vestram vobis et vestris hominibus indulgemus, mandantes et districte auctoritate apostolica vobis precipientes, quatinus eos, qui sentencia excommunicationis sunt innodati, videlicet Conradum comitem de

335. 1) *Geroldo 1220—1230 ante oct.* — 2) *Johannes 1227 (consecr. 19 dec.) — 1236.* — 3) *Eppo 1216—1240.*

Wazzirburc et omnes fautores et complices et homines ipsius ad idem officium nullatenus admittatis ipsos ab omnibus tamquam invasores ecclesie dei arcius evitari compellentes.

Autographo appendent e scidulis membranae fragmenta duorum sigillorum formae ex longo rotundae, quae e cera naturali confecta sunt. — 1) *Sigillum Johannis II, episcopi Pragensis, eadem forma confectum atque secundum chartae num. 331 sigillum. —* 2) *Dimidia pars superior sigilli Epponis praepositi, quod ad eandem formam revocandum est atque primum chartae num. 331 sigillum.*

336.

Compositio controversiae, quae inter Henricum I, ducem Silesiae, et Laurentium, episcopum Vratislaviensem, de iurisdictione gladii in territorio Nissensi (Neisse) erat, per Guillelmum, episcopum Mutinensem, legatum Prussiae, facta coram hiis testibus: ‚Zobezlao et Bolezlao, ducibus Boemie.‘

— 1230 ian. 5.

Tzschoppe u. Stenzel, Urkundensammlung z. Gesch. d. Ursprungs d. Städte ... in Schlesien pag. 290 (ex Libro nigro privileg. episc. Vratislav.) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 356, num. 757 (reg.) — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch I, num. 355.

337.

Gregorius IX papa mandat magistro Simoni, decimarum per Bohemiam, Moraviam, Poloniam collectori, ne a domibus hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani decimas exigat.

Laterani [1230] maii 29.

Apographum eiusdem temporis in membrana scriptum in tabulario capituli metropol. Pragensis asservatur (B). — Aliud apographum saec. XVIII exstat in Diplomatario I, quod in tabulario magni prioratus Melitensium Pragae asservatur, num. 51 (C).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 356, num. 759 (ex B) = Klempin, Pommersches Urkundenb. I, 1, pag. 214. — Delaville Le Roulx, Cartulaire général des Hospitaliers de St. Jean de Jérusalem II, pag. 406, num. 1961 (ex C). — Potthast, Reg. pontif. num. 8559.

Apographum B scripsit idem scriba, cuius manu exaratum est etiam Venceslai I regis diploma Přibyslavo canonico Pragensi a. 1235 datum (Erben, Reg. Boh. I, num. 872). — Litterarum autographum ab inimicis in itinere laceratum fuisse docent litterae Roberti, episcopi Olomucensis, [1230] dec. 21 ad archiepiscopum Gneznensem datae (vid. num. 344).

Gregorius episcopus, servus servorum dei, dilecto filio magistro Symoni, scriptori nostro, salutem et ‖ apostolicam benedictionem. Mirari cogimur et moveri, quod cum tibi iam pluries nostris [a] dederimus litteris in ‖ mandatis, ut a domibus hospitalis Ierosolimitani decimas non exigeres, nec alias gravares easdem, ‖ tu, sicut dilecti filii magister et fratres domus eiusdem per Boemiam, Morawiam, Poloniam, Pomoraniam constituti, transmissa nobis conquestione

337. *a) post hanc vocem duo vel tres litterae erasae sunt B.*

monstrarunt,[b] ab eis decimas extorquere contendens, in eos propter hoc excommunicationis sententiam protulisti. Ne igitur non que nostra sunt, sed que tua, querere videaris, presencium tibi auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus a decimarum domus ipsius exactione desistens, eandem sententiam sine qualibet difficultate relaxes, ita quod non cogamur eis super hoc aliter providere. Datum Laterani, IIII kalendas iunii, pontificatus nostri anno quarto.

Apographo B appendent e scidulis membranae tria sigilla formae ex longo rotundae de cera naturali confecta: 1) *Sigillum Johannis II episcopi Pragensis valde attritum, cuius pars inferior defracta est; quod quidem sigillum eadem forma confectum esse videtur atque secundum chartae num. 331 sigillum.* — 2) *Sigillum eadem forma confectum atque primum chartae num. 331 sigillum; circumscriptio:* /// S. ЄPPONIS PRAGЄnSIS PRЄPOSITI. — 3) *Sigillum, in cuius medio figura sacerdotis stantis depingitur, qui manu dextra ramum palmae tenet. Circumscriptio:* /// //IGILLVOꝛ ARNALDI DЄCANI PRAGЄ[N̄].

338.

Gregorius IX papa Sigfrido II, archiepiscopo Maguntino, eiusque saffraganeis, abbatibus aliisque ecclesiarum praelatis mandat, ut abbatissam et sorores monasterii in Oslavany, Cisterciensis ordinis, ipsarumque possessiones contra malefactores et invasores censuris ecclesiasticis defendant.

Laterani [1230] iun. 7.

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 220, num. 204 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 357, num. 760 — Potthast, Reg. pontif., num. 8568 — Böhmer-Will, Reg. archiep. Magunt. II, pag. 204, num. 604.

In membranae replicatae margine sinistro haec nota scriptoris legitur: R. V. – *In litteris conscribendis eadem forma adhibita est, quam ex Libro provinciali cancellariae apostolicae dedit Tangl, Die päpstl. Kanzleiordnungen, pag. 262, num. 29. Quae quidem forma hoc tantum discrepat cum illa, quae Honorii III temporibus in usu erat (v. num. 138 et 276), quod in fine formulam* „Villas autem — supponatis“ *omittit.* — *Mirum, quod in litteris commemorantur possessiones habitae ante concilium generale, quod a. 1215 celebratum est, cum monasterium in Oslavany anno 1225 demum fundatum sit (vid. num. 271 sq.).*

‖ Gregorius ‖ episcopus, servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Maguntino et suffraganeis eius et dilec‖tis filiis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis per Maguntinam provinciam constitutis ‖ presentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in ple‖risque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonice sententie severitas enervatur, ut religiose persone et hee maxime, que per sedis apostolice privilegia maiori donate sunt libertate, passim a malefactoribus suis iniurias

337. *b)* ‚monstraverunt‘ *B.*

sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat[a] et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem[a] dilecte in Christo filie .. abbatissa et sorores monasterii in Ozlauan, Cisterciensis ordinis, Olomucensis diocesis, tam de frequentibus iniuriis, quam de ipso cotidiano defectu iustitie conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores earum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent et pressuris, vestro possint presidio respirare. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus illos, qui possessiones vel res seu domos earum vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea iniuste detinuerint, que predictis sororibus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsas sorores vel earum aliquam contra apostolice sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti presumpserint promulgare, vel decimas laborum de possessionibus habitis ante concilium generale,[1] quas propriis sumptibus excolunt, seu de nutrimentis animalium ipsarum, spretis apostolice sedis privilegiis, extorquere, monitione premissa, si laici fuerint, publice candelis accensis singuli vestrum in diocesibus et ecclesiis vestris excommunicationis sententia percellatis; si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis; neutram relaxaturi sententiam, donec predictis sororibus plenarie satisfaciant et tam clerici seculares quam laici, qui pro violenta[b] manuum iniectione in sorores ipsas vel earum aliquam anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. Datum Laterani, VII idus iunii, pontificatus nostri anno quarto.

Autographo appendet e filis sericis coloris rubri et flavi bulla plumbea Gregorii IX papae, cuius imaginem dedit Diekamp in Mitth. d. Inst. für österr. Gesch. III, tab. ad pag. 626, num. 5 et 32.

339.

Gregorius IX papa monasterium sanctae Mariae in Oslavany tuendum suscipit, omnes possessiones ac bona eius confirmat eique iura et libertates concedit.

Laterani 1230 iul. 5.

Exemplar servavit transsumptum per Georgium dictum Oczassek, notarium publicum, Brunnae 1450 dec. 29 ex autographo descriptum, quod in tabulario monasterii Rajhradensis asservatur (B). — Aliud apographum saec. XVIII exstat in Monastico Piterii [Eccl. s. Jacobi Brunnae] (C) et in manuscripto Lefebvrii, quod inscribitur Coenobia Moraviae tom. V, pag. 27 (D); apographa C et D, quae etiam in tabulario Rajhradensi asservantur, ex B descripta sunt.

338. a) ‚subveniat — autem' *in loco raso eadem manu eodemque atramento scripta sunt A.* — b) ‚pro violenta' *in loco raso eadem manus eodem atramento scripsit A.*

1) *Lateranense, quod a. 1215 nov. 11—30 habitum est.*

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 221, num. 205 (ex D) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 357, num. 761 (fragm.) — Potthast, Reg. pontif., num. 8582.

In privilegio conscribendo eadem forma adhibita est, quam ex Libro provinciali cancellariae apostolicae edidit Tangl, Die päpstlichen Kanzleiordnungen, pag. 232, num. 2, ubi tantum diversis locis aliquot verba addita sunt.

Gregorius episcopus, servus servorum dei, dilectis in Christo filiabus .. abbatisse monasterii in Ozlawan eiusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut[a] robur, quod absit, sacre religionis infringat.[a] Eapropter, dilecte in Christo filie, vestris iustis[b] postulationibus[c] clementer annuimus et monasterium sancte dei genitricis et virginis Marie in Ozlawan, in quo divino mancipate estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium impresentiarum[d] iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis et eis, que vobis successerint, et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis,[e] Glanleistorf cum pertinentiis suis, Martiniz[f] cum pertinentiis suis, Babiz cum pertinentiis suis, Lethcowiz[g] cum pertinentiis suis, Shceleschiz cum pertinentiis suis, Milochowih[h] cum pertinentiis suis, Vsecowiz[i] cum pertinentiis suis, Hrudschich cum pertinentiis suis, vineas in Luca sitas, possessiones de Zelub cum pertinentiis suis et ius patronatus ecclesie sancti Jacobi in Brunna cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis, molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus[k] suis. Sane laborum vestrorum de possessionibus habitis ante concilium generale[1] ac etiam novalium, que propriis manibus aut[l] sumptibus colitis, sive de ortis,[m] virgultis et piscationibus vestris vel de vestrorum animalium

339. *a)* ,aut — infringat' *desunt in B; supplevi ex forma.* — *b)* ,iustis' *omittit B; supplevi ex forma.* — *c)* ,postulacionibus' *et sic infra semper* ,cio' *pro* ,tio' *et similiter* ,cia' *pro* ,tia' *B.* — *d)* ,in presenciarum' *B.* — *e) quae subsequuntur, Lefebvre perperam hoc ordine reddit:* ,Babiz cum omnibus pertinenciis suis, Lethcowicz cum pertinenciis suis, Glanlvistorff cum pertinenciis suis, Narmicz cum pertinenciis suis, Molochowicz cum pertinenciis suis, Usechowicz cum pertinenciis suis, Hrudsich' *etc.* — *f)* ,Narmiz' *B; istam et sequentes lectiones depravatas correxi ad fidem privilegii Přemysli regis a. 1228 nov. 7 dati (v. pag. 318, lin. 1 sq.).* — *g)* ,Lethcowicz' *B.* — *h)* ,Molochowich' *B.* — *i)* ,Vsecorih' *B.* — *k)* ,inmunitatibus' *B.* — *l)* ,manibus aut' *desunt B; supplevi ex forma.* — *m)* ,hortis' *B.*

1) *Lateranense, quod anno 1215 nov. 11—30 celebratum est.*

nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas[n] e seculo fugientes ad conversionem recipere ac eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli sororum vestrarum post factam in monasterio vestro professionem fas[o] sit sine abbatisse sue licentia de eodem loco discedere; discedentem[p] vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dari sive alio modo alienari absque consensu totius capituli[q] vel maioris aut sanioris partis ipsius. Si que vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est facte fuerint, eas irritas esse censemus. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus episcopus vel quelibet alia persona ad synodos vel conventus forenses vos ire vel iudicio seculari de vestra propria substantia vel possessionibus vestris subiacere compellat, nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi vel aliquos conventus publicos convocandi venire presumat, nec regularem abbatisse vestre electionem impediat aut de instituenda vel removenda ea, que pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum vestrarum sive pro oleo sancto vel quolibet alio ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis[r] vel alio modo quicquam[s] audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis episcopus diocesanus[t] impendat. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem,[u] gratiam et communionem apostolice sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Quod si sedes diocesani[v] episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere[w] et absque contradictione possitis; sic tamen, ut ex hoc in posterum proprio episcopo nullum preiudicium generetur. Quia vero interdum proprii episcopi copiam non habetis, si quem episcopum Romane sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium et benedictiones monialium auctoritate sedis apostolice recipere valeatis. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicationis vel[x] interdicti sententias promulgaverint, sive etiam[y] in mercenarios vestros pro eo, quod decimas sicut dictum est non persolvitis, sive aliqua occasione eorum, que ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo, quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate prestiterint vel ad laborandum adiuverint[z] in illis diebus, in quibus vos laboratis et alii feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam tamquam contra apostolice sedis indulta

339. *n)* ,absolutos' *B.* — *o)* ,phas' *B.* — *p)* ,discedente' *B.* — *q)* ,absque totius conventus consensu' *B; correxi secundum formam.* — *r)* ,conswetudinis' *B.* — *s)* ,quitquam' *B.* — *t)* ,dyocesanus' *B.* — *u)* ,antistem' *B.* — *v)* ,dyocesani' *B.* — *w)* ,libere' *deest B.* — *x)* ,vel' *deest B.* — *y)* ,etiam' *deest B.* — *z)* ,adiūenerint' *B.*

prolatam decernimus irritandam. Nec littere ille firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra tenorem apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis nichilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis et interdictis, audire ac facere divina officia celebrari. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras[aa] locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem[bb] fundere, hominem temere capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et[cc] immunitates, a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum, a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre[dd] vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, earum, pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine[ee] dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant[ff] et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(R[gg]) Ego Gregorius catholice ecclesie episcopus subscripsi. (B. V.)

✝ Ego Jacobus Tusculanus episcopus subscripsi.

✝ Ego Johannes tituli sancte Praxedis presbyter cardinalis subscripsi.

✝ Ego Bartholomeus sancte Pudentiane presbyter cardinalis tituli Pastoris subscripsi.

✝ Ego Guifredus[hh] tituli sancti Marci presbyter cardinalis subscripsi.

✝ Ego Sigembaldus tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi.

✝ Ego Stephanus sancte Marie trans Tiberim tituli Calixti presbyter cardinalis subscripsi.

✝ Ego Octauianus sanctorum Sergii et Bachi diaconus[ii] cardinalis subscripsi.

✝ Ego Rainerus sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis subscripsi.

339. *aa)* ‚clausuras' *deest B.* — *bb)* ‚sangwinem' *B.* — *cc)* ‚et' *deest B.* — *dd)* ‚aufferre' *B.* — *ee)* ‚sangwine' *B.* — *ff)* ‚recipiant' *B.* — *gg) in orbiculo inscribitur:* ‚Scs. Petrus. Scs. Paulus. ‖ Gregorius p̄p̄ VIIII. ‖ ✝ Fac mecum Domine signum in bonum.' — *hh)* ‚Gunfredus' *B.* — *ii)* ‚dyaconus' *et eodem modo etiam infra scribit B.*

✝ Ego Romanus sancti Angeli diaconus cardinalis subscripsi.
✝ Ego Egidius sanctorum Cosme et Damiani diaconus cardinalis subscripsi.
✝ Ego Petrus sancti Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis subscripsi.
✝ Ego Rainaldus sancti Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Laterani per manum Martini, sancte Romane ecclesie vicecancellarii, III nonas iulii, indictione II,[2] incarnationis dominice anno MCCXXX, pontificatus vero domini Gregorii pape VIIII anno quarto.

Autographum „bulla plumbea more Romane curie ... in filis sericeis rubei croceique coloris impendente sigillatum“ fuisse commemoratur in B.

340.

Gregorius IX papa „universis Christi fidelibus per Magdeburgensem et Bremensem provincias, Poloniam, Pomeraniam, Morauiam, Surauiam, Holisantiam et Gothlandiam constitutis“ litteras dat monitorias ad subsidia contra paganos Prutenos Conrado, duci Mazoviae, et fratribus hospitalis sanctae Mariae Teutonicorum praestanda. Anagniae [1230] sept. 13.

Apographum exstat in Gregorii IX papae regestorum vol. II, quod in tabulario Vaticano secreto asservatur, fol. 30v, lib. IV, ep. 61 (R).

Palacký, Ital. Reise, pag. 24, num. 107 (reg.) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 225, num. 206, = Erben, Reg. Boh. I, pag. 357, num. 762. — Rodenberg, Epistolae e regestis pontif. Rom. (Mon. Germ. Epp. saec. XIII) tom. I, pag. 337, num. 417. — Potthast, Reg. pontif., num. 8603.

341.

Henricus I, dux Silesiae, compositionem de possessionibus in Bogenau et Wrocena inter Guntherum, abbatem de Leubus, et Rosech nobilem factam confirmat, praesentibus inter alios Soběslavo et Boleslavo, nepotibus suis. [Krossen] 1230 sept. 14.

Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. tom. I, pag. 182, num. 362.

342.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Plasy villas Týnec, Olšany et Újezd, quas ei Romanus de Týnec moriens donavit, confirmat. — 1230 nov. 10.

Apographum quondam exstitit in Registro monii. Plassensis a. 1524 conscripto, quod iam deperditum est, fol. 115 (B). E quo quidem apographo descriptum est transsumptum

339. 2) *Recte III; sed mendum hoc iam in autographo ipso positum esse alia eiusdem papae privilegia a. 1230 data demonstrant (Potthast num. 8518, 8519, 8532, 8534, 8564, 8619), in quibus etiam indictio II adfertur.*

vidimatum civitatis Plznensis a. 1613 apr. 19 (C^1) et civitatis Radnicensis a. 1613 febr. 22 confectum (C^2); quae transsumpta nunc in tabulario caes. reg. aulico Vindobonensi asservantur.

Erben, Reg. Boh, I, pag. 357, num. 763 (frgm.) — Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. der Deutschen in Böhmen XII, pag. 70, num. 34 (reg.).

Diplomatis verba monasterii ipsius scribam quendam conscripsisse verisimile est.

In nomine sancte et individue[a] trinitatis. Nos Ottacarus, qui et Premizl, tercius Bohemorum rex, notum facimus tam presentibus[b] quam futuris, quod cum fidelis baro noster Romanus de Teintz iam per egritudinis molestiam vicinam esse mortem cerneret, metuens, ne vel uxor seu propinqui, cum liberos non habebat, pro iustis hereditatibus[c] suis post eius obitum iniuste contenderent, coram illustribus viris, Pribislao videlicet filio Porcossonis, Nostuph et fratre eius Geberhardo, Sdislao, Zulislao et fratre eius Chren de Sbirowe aliisque quam pluribus in villa Dobrowicze quarto idus octobris[1] testamentum condidit, et in testamento villam Teintz et Olsoue et Vgest desertam cum pratis, terris, nemoribus et pascuis et omnibus aliis libertatibus et emunitatibus[d] suis[e] deo et beate Marie[f] virgini in Plaze pro remedio anime sue et omnium progenitorum suorum[e] post discessum dilecte coniugis, si tamen secundo non nuberet viro, perpetuo possidendas contradidit, contestans qui aderant, ut nostrum super hac donatione consensum simul et assensum quererent et confirmationis privilegium obtinerent. Prefatus ergo[g] Pribislaus, secundum quod decuit virum nobilem et honestum, fidem, quam vivo servaverat, mortuo non negavit, sed publice et libere presente carissimo filio nostro glorioso rege Wenczeslao multisque preclaris viris, tam clericis quam laicis,[h] queque audierat, ore facundissimo peroravit, devote supplicans, ut testamentum, quod homo fidelis ipso mediante fecerat, nostro simul et baronum[i] nostrorum iudicio complaceret. Nos igitur memores fidelitatis et obsequii viri vere catholici atque piis votis et operibus eius congratulantes et ecclesie[k] Plazensis profectibus ex animo congaudentes, facile quod petebamur annuimus, ratum habentes et omne factum presentis pagine munimine roborantes, statuentes eandem sigillorum nostrorum appensione firmare, ne vel nostris aut successorum, nostrorum temporibus temerarius invasor aliquis aut profanus sibi quicquam de iam dictis possessionibus audeat usurpare. Huius rei testes sunt: Ebbo maioris ecclesie[k] prepositus,[l] Hermannus Lutomericensis[m] prepositus,[l] Henricus abbas Gradicensis, Henricus filius Witigonis, Marquardus filius Benessonis, Woka sororinus eiusdem, Groznata filius Ernesti, Scasdolo frater Henrici, Zulislaus

342. *a)* ‚sanctae et individuae' C^1, C^2. — *b)* ‚praesentibus' C^1, C^2. — *c)* ‚haereditatibus' C^1, C^2. — *d)* ‚communitatibus' C^1, C^2. — *e)* ‚suis — progenitorum suorum' *omittuntur in* C^2. — *f)* ‚beatae Mariae' C^1. — *g)* ‚ergo' *deest* C^2. — *h)* ‚laycis' C^1. — *i)* ‚baronorum' C^2. — *k)* ‚ecclesiae' C^1, C^2. — *l)* ‚praepositus' C^1, C^2. — *m)* ‚Lutomicensis' C^1, C^2.

1) *Die 12 octobris.*

filius Ziwzte,[n] Bohuslaus filius Radim[o] cum fratre Neulaz[p] aliique nobiles plurimi et diverse conditionis homines. Datum per manum fidelis cancellarii nostri domini Arnoldi, Wissegradensis prepositi, anno ab incarnatione Domini $\overset{o}{M}$ ducentesimo tricesimo, anno regni nostri tricesimo[q] tercio, coronationis[r] filii nostri anno tercio, indictione tercia, mense novembris die decima.

343.

Venceslaus, iunior rex Bohemiae, ecclesiam in Budišín (Bautzen) cum canonicis omnibus et rebus ad ipsam pertinentibus protegendam suscipit, idemque in territorio Budišinensi constitutis facultatem permittit, ut bona, quae a se ibi tenent, ecclesiae eidem donare possint. *[1228 febr. — 1230 dec.]*

Apographum saec. XVIII in. [„ex antiquissimo libro copiali, Registro privilegiorum dicto, fol. 2^{b}“ descriptum] exstat in libro apographorum B capituli Budissinensis, fol. 19^{v} (B). — Aliud exemplar (C), quod praebet eiusdem tabularii „Copiale caesareum“ pag. 8, ex B descriptum est.

Köhler, Cod. dipl. Lusatiae super. I, pag. 343; ed. 2, pag. 182, num. 98 (ex B; perperam ad an. cc. 1305). — Emler, Reg. Boh. II, pag. 1160, num. 2644 (reg.).

Charta notis temporis omnino caret, sed inter a. 1228 febr. 6 et 1230 dec. 15 datam esse ex eo cognosci potest, quod Venceslaus in ipsa „iunior rex Bohemiae“ appellatur.

Wenceslaus, dei gratia iunior rex Bohemiae, universis has literas inspecturis salutem. Notum esse volumus fidelibus nostris universis, quod nos Budissinensem ecclesiam cum canonicis omnibus ad ipsam pertinentibus atque rebus in nostram regiam protectionem suscipientes praesentis eam scripti testimonio communivimus super eo, ne quis ipsam audeat molestare vel ausu temerario aggravare. Quod si quis praesumpserit attentare, noverit se clementiam regiam offendisse et quantumcunque[a] in bonis eiusdem abstulerit violenter, sciat se debere restituere duplicatum. Novisse etiam volumus universos in territorio Budissinensi constitutos, quod si quis ipsi ecclesiae de bonis, quae a nobis tenet, quantumcunque pro redemptione peccatorum suorum voluerit conferre in territorio supra dicto, hoc ipsi ecclesiae liberaliter ex regia nostra munificentia duximus concedendum.

344.

Robertus, episcopus Olomucensis, Vincentio, archiepiscopo Gneznensi, significat dominum papam mandasse, ne a domibus hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani decimae exigantur; de qua exemptione ad magistrum Simonem, collec-

342. n) ‚Ziuzte‘ C^2. — o) ‚Radini‘ C^1. — p) ‚Hanlaz‘ C^1, C^2. — q) ‚trecesimo‘ C^1, C^2. — r) ‚coronatione‘ C^1, C^2.

343. a) ‚quantumque‘ *B*.

torem decimarum in Polonia et Bohemia constitutum, litteras apostolicas datas esse attestatur, petente praeceptore domus sancti Johannis in Polonia.

[1230] dec. 21.

Apographum saec. XVIII praebet Diplomatarium I, quod in tabulario magni prioratus Melitensium Pragae asservatur, num. 48 (B).

Codex diplomaticus maioris Poloniae, tom. I, pag. 102, num. 112 — Delaville Le Roulx, Cartulaire géneral des Hospitaliers de St. Jean de Jérusalem II, pag. 412, num. 1971 — Grünhagen, Reg. zur schles. Gesch. I, num. 313 b (reg.).

In temporis nota annus quidem non adfertur, sed ad a. 1230 chartam revocandam esse docent litterae Gregorii IX papae die 29 maii anni eiusdem datae (num. 337).

Universalibus in Christo patribus et amicis carissimis,[a] dei gracia Gneznensi archiepiscopo[1] et universis suffraganeis suis et omnibus ecclesiarum prelatis in Polonia constitutis, ad quos littere presentes pervenerint, Robertus, eadem gracia Olomucensis episcopus, salutem et sinceram in Domino caritatem.[b] Noveritis nos nuper recepisse a sede apostolica in mandatis[2], ut racione collectionis decimarum, quam in episcopatu nostro faciendam dominus papa nobis commisit, a domibus hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani, quas in dyocesi nostra habent, nichil exigere deberemus, cum nec sit, nec fuerit intencionis ipsius domini pape, ut aliquid a domibus hospitalis prefati exigeretur vel exigatur racione vel nomine decimarum, sicut plenissime hoc eciam patet per quasdam litteras domini pape, directas ad magistrum Simon, collectorem decimarum in Polonia et in Boemia constitutum, que ab inimicis Romane ecclesie in itinere sunt confracte[3]; in quarum parte, que adhuc superest, eiusdem domini nostri bulla dependet, per quam omnibus eam intuentibus domini pape intencio in hac parte poterit esse manifesta; quam partem litterarum bullatarum dicti fratres portant in testimonium ostendendam. Ut igitur super premissis fides plenior valeat adhiberi; ad preces honorabilis preceptoris domus sancti Johannis in Polonia presentes litteras exinde fieri fecimus sigillo nostro et capituli nostri roboratas. Datum Olomucii, XII kalendas ianuarii.

345.

Behanus abbas atque totus conventus monasterii in Ostrov litteris suis attestantur quosdam rusticos suos de villa Pořešice, licentia a se impetrata, agrum quendam apud Týnčany Johanni, abbati monasterii in Milevsko, pro sexcentis denariis vendidisse.

— — —

Autographum in membrana scriptum in tabulario in Třeboň asservatur (A).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 355, num. 753 (fragm. ad a. cc. 1229).

344. *a)* ‚charissimis' *B.* — *b)* ‚charitatem' *B.*

1) *Vincentio.* — 2) *Litterae haec iam deperditae sunt.* — 3) *Vid. supra num. 337.*

Autographum idem scriba monasterii in Milevsko scripsit, cuius manu etiam diplomata num. 118, 126, 153 scripta sunt. — Charta notis temporis omnino caret; sed eam hic intexere placuit, quod Johannis abbatis prima certa mentio fit a. 1234 sept. 24 (Erben, num. 850), cuius antecessor Gerlacus ad ultimum a. 1221 iul. 2 commemoratur.

§ In nomine patris et filii et spiritus sancti. § Behanus, dei gratia abbas Ostrouiensis, totusque ‖ eiusdem ęcclesię[a] conventus. Notum sit universis Christi fidelibus presentibus et futuris, quod quidam rustici ‖ nostri ex villa Porezic, cum haberent agrum iuxta Tynzcan, villam abbatis de Myleuzco, ‖ qui eis minus utilis erat, eô quod remotus valde esset, impetrata a nobis licentia, vendiderunt[b] ipsum agrum memorate ęcclesię abbati[1] pro sexcentis denariis tali conditione, ut pro ipsis rubos extrirparent[c] et agros sibi viciniores meliores et utiliores excolerent, quatinus per hoc nobis et ęcclesię nostre nichil deperiret. Ut autem contractus huius[d] factum et pactum firmum et inconvulsum permaneat, presentem paginam sigilli nostri impressione munitam abbati de Myleuzco et fratribus ad[e] munimen et confirmationem dedimus. Testes huius rei sunt: vicinatus et nobiles et milites, et plebs de Pozcepic, in quorum presentia pro testimonio pecunia persoluta est.

Sigillum, quod autographo e membranae scidula appendebat, avulsum et deperditum est.

346.

Radoslaus, archidiaconus Olomucensis, monasterio in Velehrad possessiones quasdam, quorum nomina adferuntur, donat. — — —

Exstant duo autographa in membrana scripta, quae in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservantur (A¹, A²).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 139, num. 137 (ad a. 1222) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 309, num, 665 (extr.) — Grünhagen, Reg. z. schles. Gesch. I, num. 253 (reg.) — Kopetzky, Reg. z. Gesch. d. Hzgt. Troppau (Arch. f. österr. Gesch., tom. 45, pag. 105) num. 20 (reg.).

Utrumque autographum alia manu scriptum est. — Charta temporis nota omnino caret, sed post a. 1228 datam esse ex eo cognosci potest, quod villa Hoštice, quam Radoslaus monasterio dedit, in privilegio Otakari regis a. 1228 nov. 27 dato (num. 321) inter monasterii possessiones nondum commemoratur.

Quoniam sacre fidei religiosi cultores ipsam fidem consonis operibus informant et semper informare nituntur, inde est, ‖ quod terrenis non tantum testantur heredibus, set spe eternorum fugitive possessionis Christum potius eligunt suc-

345. *a)* ‚ęcclię' *sine titulo A.* — *b) primitus scribae incuria* ‚vendierunt', *sed pro altero* ‚e' *postea eodem atramento ligatura* ‚de' *posita est A.* — *c) ita A.* — *d)* ‚huius' *primitus scribae incuria omissum est, qui postea duobus ultimis vocis* ‚contractus' *litteris erasis, in spatio sic parato signum* 9 *(=* us*) et abbreviaturam* ‚h⁹' *(=* huius*) posuit, A.* — *e) litterae* ‚a' *ductus rotundus ex* ‚i' *eodem atramento correctus est A.*

1) *Abbatis nomen ex hac nota cognosci potest, quae manu eiusdem temporis in autographi dorso duobus rotis inscripta est:* ‚Johannes abbas. Behanus abbas. De agris comparatis in Porezic a Behano abbate Oztrovense.'

cessorem. Eapropter ‖ noverint omnes tam moderni quam futuri temporis presentem paginam inspecturi, quod ego Radozlauz, archidiaconus Ollomuncen‖sis,[a] dono desuper accepte karitatis exhilaratus, ob meorum indulgentiam delictorum et interminabilis vite perhenne participium proque[b] meorum salutari remedio carorum partem ville, que dicitur Hossizc, quam iure emptionis libere cum omnibus suis possederam proventibus, nullo contradicente aut reclamante, ecclesie beate Marie virginis in Willegrat,[c] que est domus ordinis Cisterciensis, cum omnibus attinentiis suis sollempniter contuli perpetua pace possidendam. Et quoniam prefati ordinis intemerata dei genitrix, causa tocius[d] boni, spe melior et meta spei, patrona prepotens esse dinoscitur, sub cuius umbra fratres dicte religionis dilatantur et vivunt in gentibus, accessit et placuit, quod gratia devotionis amplioris edocuit, scilicet partem usuum fructuariorum facte donationis, hoc est X marcas argenti in quasdam refectiones fratrum dicti monasterii tempore determinato, hoc est in assumptione, nativitate, purificatione, annuntiatione[e] ipsius beate virginis, pie ordinare, octo marcis mihi annuatim de dictis reditibus mancipatis, nam decem et octo marce de memorata villa ex annuo censu proveniunt. Ortus quoque et prata cum vivariis, que in donatione similiter emancipavi, omni tempore, quo vanitati cum ceteris creaturis sum subiectus, mee servient necessitati.[f] Post vocationem autem meam de medio omnia emancipata cum omnibus mobilibus et immobilibus prefatis fratribus domus Willegradensis feliciter possidenda[g] refundentur. Preterea huic sollempni donationi addidi terras, quas habui in Cladurup, que est villa in Ollomuncensi[h] provintia sita, et tria molendina in Oppauia, ortum, domum unam et mansos, quos habui ibidem, hac fideli conditione, ut in die palmarum, in quo mee depositionis diem anniversarium pia recordatione a dictis fratribus celebrari postulavi, et in octava pentecostes ob honorem et reverentiam summe trinitatis et in sequenti die in memoriam[i] omnium fidelium defunctorum exinde toti conventui recreationes[j] solito meliores procurentur, id est simila, pisces habunde et vinum sicut in fratrum minutione[k] ministretur. Omnes autem supra dicti reditus ad domus redibunt instaurationem, ita sane, quod mee devotionis affectus suo non privetur effectu quoad fratrum consolationem. Ut autem res acta robur firmitatis obtineat, nec ulla[l] ignorantia possit oblitterari, presens scriptum sigillo capituli muniri et inter fratres ex utraque parte placuit recitari, meum quoque sigillum huic pagine affixi, ut amplioris testimonii veritate cunctis habundantius reveletur. Placuit etiam ad rei geste corroborationem prescripti pacti violatorem pena pecuniaria V[m] marcis auri multari, nullo medio interveniente,

346. *a)* ,Olomuncensis' *A2*. — *b) primitus* ,pque', *sed* ,ue' *cancellatum et* ,pq;' *corr. A2*. — *c)* ,Wellegrat' *A2*. — *d)* ,totius' *A2*. — *e)* ,annunciatione' *A2*. — *f)* ,ti' *ead. manu eodemque atramento superscr. A2*. — *g) primo* ,possidendam' *scriptum erat, sed* ,m' *punctis deletum et cancellatum A2*. — *h)* ,ollm̄' *A1, A2*. — *i)* ,mo' *ex* ,me' *statim inter scribendum corr. A2*. — *j)* ,o' *eod. atramento superscr. A1*. — *k)* ,minucione' *A2*. — *l) primitus* ,nulla', *sed corr. A2*. — *m)* ,quinque *A2*.

que cedent in usus magistri operis ad[n] fabricas dicte domus instaurandas[o] et restaurandas.[n]

Autographo A^1 appendent e scidulis membranae tria sigilla figurae ex longo rotundae, quae e cera naturali confecta sunt. 1) *Sigillum 41 mm altum, in quo depingitur sacerdos genibus nixus, qui manus supplices tendit ad imaginem s. Mariae tenentis Christum infantem. Circumscriptio:* ✠ S · ARCHIDIACONI OLOMVCN.·. — 2) *Sigillum 37 mm altum, in quo conspicitur figura sacerdotis stantis, qui pileo capiti imposito manu dextra pedum gestat, sinistram vero pro pectore tenet. Circumscriptio:* ✠ S ABBATIS DE PLAS. — 3) *Sigillum fere 40 mm altum, in quo depingitur figura sacerdotis stantis veste sinuosa induti, qui pileo capiti imposito, manu dextra pedum gestat. Circumscriptio:* /// S ABBATIS : DE : WELGRADE. — *Sigilla, quae autographo A^2 appensa erant, iam avulsa et deperdita sunt.*

347.

Wolframus dictus Pincerna de Schenkenberg monasterio in Oslavany decimas in Micmanice (Mützmanns) donat. — — —

Autographum in membrana scriptum in tabulario terrae Brunnensi asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 218, num. 201 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 355, num. 754 (extr.).

Autographum manu quadam ignota scriptum est. — Charta notis temporis omnino caret, neque ex aliis eiusdem monasterii chartis cognosci potest, ad quem annum referenda sit. Boczek nullo allato argumento ipsam ante a. 1230 scriptam esse putabat; cum autem ex litterarum formis cognosci possit, quod saec. XIII ineunte scripta sit, hoc loco eam intexere placuit.

§ In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. § Universa negocia man‖data litteris ex earum trahunt memoria firmamentum. Notum sit igitur tam presentibus quam futuris, quod ‖ ego Wolframvs, dictus Pincerna de Schenkenberch, decimas in V̈zmans integraliter claustro in Ozla ‖ et ibidem deo servientibus pro amore dei et euis[a] genitricis Marie viva voce et libera contuli voluntate, ita quod in perpetuum ibidem deo famulantes pro remedio anime mee meorumque progenitorum divinam clementiam dignentur iugiter[b] invocare. Ut autem huiusmodi donationem filii mei vel eorum posteritas nullo ausu temerario valeant revocare, litterarum memorie commendavi et testium nominibus subscriptorum et sigilli mei munimine roboravi. Testes autem sunt hii: Wilhelmus et Marquardus filii mei, Chvnradus Babergensis[c] canonicus et plebanus de Jacobav, Hildebrandus plebanus de Wolframeskirchen et alii quam plures.

Autographo appendet e filis sericis coloris viridi sigillum formae triangulae e cera naturali confectum, cuius altitudo 51 mm sunt. In sigilli medio conspicitur scutum triangulum, in cuius dimidia parte superiore depingitur dimidia aquila biceps; in scuti parte inferiore figurae quadratae depinguntur. Circumscriptio: ✠ SIGL WOLFRAI///I : PINCERNE.

---

346. n) ‚ad – restaurandas' *manus autographi A^2 alio atramento magis distincto addidit A^1.* — o) *primo* ‚instarandas', *sed corr. A^2.*

347. a) *ita pro* ‚eius' *scribae incuria A.* — b) *primitus* ‚uigiter', *sed eodem atramento correctum A.* — c) *ita (pro* ‚Babenbergensis'*) A.*

ACTA SPURIA.

348.

(FALSUM SAEC. XIV.)

Vladislavus, rex Bohemiae, monasterio in Kladruby libertates et immunitates quasdam concedit. *In Kladruby 1197 —.*

Charta autographi instar in membrana manu saec. XIV scripta in tabulario civitatis Kladruby (Kladrau) asservatur (A).

W. Mayer in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen XXXI (1893), pag. 54.

Chartam non esse nisi falsum satis ineptum, iam ex eo apparet, quod in ipsa Henrico Vladislavo duci nomen regis apponitur. Accedit, quod titulus „secundus rex Boemorum" ad Vladislaum II pertinet, qui a. 1174 obiit. Denique charta repetit verba omnia illius diplomatis, quod monasterium Kladrubense ab Venceslao I rege anno 1233 demum accepit (v. Erben, Reg. Boh. I, num. 813). Cf. Mayer, Eine unechte Urk. im Kladrauer Stadtarchive, l. l. pag. 53 sq.

In nomine sancte ac individue trinitatis amen. Wadislaus, dei gracia secundus rex Boemorum, Cladrubensi ‖ monasterio imperpetuum. Cum regalem deceat excellenciam venerari et promovere sanctam in omnibus ecclesiam, ‖ nostre visum fuit clemencie id concedere et confirmare, quod nostre anime cederet ad meritum et sancte matri ecclesie ad profectum; ‖ ibi enim recte locantur beneficia, ubi crescunt merita; ubi decenter impertitur gracia, ubi cum premio cumulatur gloria. Noverint siquidem tam presentes quam futuri, nos ad iustam peticionem et salubrem ammonicionem Bertoldi venerabilis abbatis et tocius conventus monasterii Cladrubensis ipsi ecclesie concessisse omnimodam libertatem in omnibus hereditatibus donatis et acquisitis seu in posterum aquirendis.[a] Est autem talis libertas: si fur capitur et suspenditur, bona sua nulli alii nisi domino abbati et ad usus fratrum decernimus remanere; si fuerit id, quod dicitur narok sive zvod atque hlava, inter homines abbatis, solucio, que inde provenit, cedat ecclesie memorate; ab ea eciam vexacione, que vulgariter dicitur nocleh sive narez, omnes hereditates prefate ecclesie et pauperes a laboribus castrorum seu fossatorum vel poncium et prezeka eximimus cum plenitudine nostre gratie liberantes. Addidimus eciam, cum sepe dicte ecclesie interfuimus venerande consecracioni, firmiter statuentes, ut in civitate Cladrubensi singulis annis in dedicacione monasterii annuale forum sive nundine fiant duabus ebdomadis durature; venientes cum mercimoniis de diversis partibus terrarum ac recedentes in nostram manum

348. a) *ita A.*

regiam excipimus, securitatem perpetuam promittentes. Ad huius igitur rei inviolabile firmamentum presens privilegium fecimus exhiberi et nostri sigilli munimine roborari. Actum in Cladrub, anno dominice incarnationis MCLXXXXVII, indictione VI.[1] Datum per manum Vilhelmi notarii *.

Chartae appendet e filis sericis viridis fragmentum sigilli rotundi, quod e cera coloris cineracei confectum est. In medio sigillo depingitur figura quaedam in solio sedens, quae manu dextra hastam (?) tenet. Circumscriptio iam defracta est.

349.

(FALSUM SAEC. XIII—XIV.)

Přemysl I, rex Bohemiae, fratribus Sepulcri Domini confirmat possessionem dimidiae villae Chotěšice, quam eis Hugo de Čelčice donaverat.

— 1199 sept. 26.

Exemplar insertum est transsumpto spurio Nicolai episc. Pragensis dd. 1255 mart. 15, cuius apographum exstat in formulario saec. XIV monasterii Wilhering, pag 41—42 (B).

Palacký, Ueber Formelbücher I, pag. 318, num. 111 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 201, num. 447 — Brandl, Cod. dipl. Mor. VII, pag. 715, num. 44 (reg.).

Diploma non verum sincerumque esse iam ex eo cognosci potest, quod inter testes Robertus episcopus Olomucensis adfertur, qui anno 1202 exeunte demum munus illud adeptus est.

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Priemisl, dei gratia Bohemorum rex, universis, ad quos presentia scripta pervenerint, tam presentibus quam futuris in perpetuum. Religiosorum et nobilium virorum, qui ecclesias dei multis et magnis beneficiis extulerunt, devocionem approbantes et eorum facta non infirmare, set pocius confirmare cupientes, notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod Hugo de Czielczicz, nobilis Bohemie, in presentia nostrorum nobilium nobis humiliter supplicavit, ut donacionem dimidie ville in Chotziecz, olim sue, cum suis pertinenciis, factam ante multos annos per eum de consensu sue uxoris ecclesie sancti Sepulcri, ratam habere et confirmare de speciali gratia dignaremur. Nos vero considerantes opus predicti Hugonis pium et laudabile, et ipsam donacionem ratam habentes, predictam hereditatem pro prefata ecclesia confirmamus annuendo, ut fratres eiusdem ipsam pacifice perpetuo possideant pleno iure, a nostris collectis exempti, sicut eam hactenus possederunt.[a] Huius rei testes sunt: dominus Rupertus episcopus Olomucensis, dominus Slawco, Bohusse[b] cum duobus fratribus suis, Mutina filius Bohuslay, Georgius barbatus, Hermannus crispus,[c] Smilo de Tuhan, Benes filius Hermanni nigri, Hrosnata de Owencz, Arnoldus de Podibrad, Wilhelmus filius Hugonis, Bohuslaus filius Odoleni, Benedictus notarius. In cuius rei testimonium presentes litteras nostras ipsis fratribus contulimus sigilli nostri impressione munitas. Facta sunt hec anno dominice incarnacionis MCLXXXXIX, VI kalendas octobris.

348. 1) *Annus 1197 indictionem XV habet.*

349. *a)* ‚posside'nt' *B.* — *b)* ‚Boh' *B.* — *c)* ‚c'pus' *B.*

350.

(FALSUM SAEC. XIII EX.)

(I.) *Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, confirmat hospitali sancti Johannis Hierosolymitani possessiones a nobilibus Bohemiae donatas, et praesertim illas, quas quondam dedit Hroznata Crispus, exceptis villis Peruc et Vlačice.*

Pragae 1199 —.

Charta autographi instar confecta in tabulario magni prioratus Melitensium Pragae asservatur (A).

Delaville Le Roulx, Cartulaire gèneral .... des Hospitaliers de St. Jéan de Jérusalem I, pag. 660, num. 1055.

(II.) *Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, donationes hospitali sancti Johannis Hierosolymitani per nobiles Bohemiae factas, et praecipue villas ab Hroznata Crispo donatas, quarum nomina adferuntur, confirmat.* *Pragae 1194 —*

Charta autographi instar confecta in tabulario magni prioratus Melitensium Pragae asservatur (A).

Delaville Le Roulx, Cartulaire général ... I, pag. 601, num. 950.

Utramque chartam post saeculum XIII medium confectam esse litterarum formae ostendunt. — C h a r t a I errores quosdam continet, quae ipsam sinceram esse credere prohibent. In testium serie Andreas praepositus de Sadská adfertur, cum re vera ab anno 1197 saltem dignitatem istam Arnoldus canonicus Pragensis habuerit; porro ibidem nominatur Černin camerarius, qui munus hoc post annum 1201 demum suscepit et anno 1205 primum commemoratur. Accedit, quod charta instructa est sigillo spurio, quod ad illius sigilli exemplum imitando expressum est, quo Otakarus rex ab mense iulio anni 1201 utebatur (v. num. 22). Invocatio et aliquot ultima chartae verba descripta sunt e diplomate, quod hospitali sancti Johannis ab Ottone duce a. 1189 in Sadská datum est (v. Cod. dipl. Boh. I, num. 323). — C h a r t a II verba fere omnia chartae I repetit paucis tantum additis, inter quae villarum nomina ex Friderici ducis diplomate anno 1188 dato (Cod. dipl. Boh. I, num. 320) descripta sunt. In nota temporis annus ex 1199 in 1194 radendo correctus est, ad quem tam Otakari dignitas regia quam Danielis episcopatus non convenit. Denique sigillum chartae appensum omnino spurium et ad exemplum illius sigilli, quo rex ab anno 1224 oct. 11 demum utebatur, imitando expressum est.

(I.)

✠ In nomine patris et filii et spiritus sancti amen.[1] Ego Premisl, dei gracia rex Boemorum, sequens vestigia patris mei pie memorie regis Wladizlai, qui inspiratus[a] ‖ gracia divina domum hospitalis

(II.)

✠ In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Ego Premisl, dei gracia rex Boemorum, sequens vestigia patris mei, pie memorie regis ‖ Wladizlaui, qui inspiratus gracia divina domum hospitalis Jerosolimitani in hac iniciavit terra, fratres

350. *I. a)* ‚p' *alio (?) atramento superscriptum A.*

1) *Quae minoribus litteris exprimuntur e diplomate Ottonis ducis a. 1189 dato (CDBoh. I, num. 323) descripta sunt.*

Jerosolimitani in hac iniciavit terra, fratres religiosos predicte domus[b] de Jerosolimis adduxit, predia, villas et mancipia largiter ‖ contulit, magnifice eciam data sigillo regali confirmavit, nichilóminus intuitu pietatis eodem zelo ductus, que per nobiles huius terre post decessum patris mei et fratris mei ‖ ducis Friderici predicto hospitali sunt collata, dignum duxi stabilire et confirmare. Ad peticionem igitur fratrum hospitalensium et uxoris Groznete Crispi, nobilis huius terre iam dudum defuncti, consilio cum nobilibus regni mei habito,[c] omnes villas, quas vivens permissione fratris mei,[d] ducis Friderici, et consensu omnium Boemorum pro anima sua suorumque predecessorum deo et predicte domui hospitalis per manum prepositi Martini et magistri Bernardi ad obsequium pauperum Christi et peregrinorum contulerat, pie curavi[e] stabilire et confirmare, exceptis duabus villis, Peruch[1] videlicet, quam a longo tempore[f] vivens domui Stragouiensi dederat, et Wlatchic,[1] quam uxori sue débitum carnis solvens, sive post decessum suum alteri viro copularetur, sive claustrum intraret, sine omni contradictione iure hereditario possidendam laudaverat. Et quoniam dei clemencia cor uxoris predicti Groznete[g] illustravit,[h] que laudabili devocione ducta se deo et beato Johanni devovit, crucem

religiosos predicte domus de ‖ Jerosolimis adduxit, predia, villas et mancipia liberaliter contulit, magnifice eciam data sigillo regali confirmavit, nichil‖ominus intuitu pietatis eodem zelo ductus, que per nobiles huius terre post decessum patris mei et fratris mei ducis Friderici predicto[a] hospitali sunt collata, dignum duxi stabilire et confirmare. Ad peticionem igitur fratrum hospitalensium et uxoris Groznete Crispi, nobilis huius terre iam dudum defuncti, consilio cum nobilibus regni mei habito, omnes villas, quas vivens permissione fratris mei, ducis Friderici, et consensu[b] omnium Boemorum pro anima sua, suorumque predecessorum deo et predicte domui hospitalis per manum prepositi Martini et magistri Bernardi ad obsequium pauperum Christi et peregrinorum contulerat, pie curavi[c] stabilire et confirmare. Harum autem villarum sunt hec nomina:[1] Svadov, Cogetici, Breznek, Zalezli, Poghcrici, Tasovsko, Probostov, Plozkowici, * Neschemici, Bresnice, * Povrrili, Rigice, Roztoki, Werce, Naviezde. Et quoniam dei clemencia cor uxoris predicti Groznete illustravit, que laudabili devocione ducta se deo et beato Johanni devovit, crucem compuncta suscepit et glorie inanis oblita, servicio pauperum Christi se humiliter mancipavit, laudabilius[d] curavi predictas viri ipsius villas eidem domui stabilire. Placuit eciam nostre magnificencie heredes quatuor in villa Glauen, qui ad Lisa pertinebant, domui iam dicte hereditario stabilire; quos ad peticionem prepositi Martini in consecracione capelle beati Nicolay libenti animo, multis me ad hoc monentibus, contuleram. Dedi eciam eidem domui duos heredes in Lunacouich ad vexilliferum

350. *I.* b) ‚domus' *eadem manu superscriptum A.* — c) ‚h' *eodem atramento superscriptum A.* — d) *ex* ‚sui' *statim inter scribendum corr. A.* — e) ‚pie curavi' *eadem manu in loco raso scriptum A.* — f) ‚tēpe' *scriptum in loco raso, ubi prius* ‚tem' *scriptum erat, A.* — g) ‚te' *ex* ‚ta' *correctum A.* — h) *secundum* ‚i' *ex* ‚t' *correctum est A.*

350. *II.* a) *scribae incuria primum* ‚p̄dic‖dito' *positum erat, sed secundum* ‚di' *postea erasum est A.* — b) *sequitur littera* ‚m' *(?) erasa A.* — c) *ex* ‚curam' *correctum A.* — d) ‚da' *ex* ‚di' *eodem atramento correctum A.*

1) *Quae sequuntur usque* ‚Naviezde' *ex diplomate Friderici ducis a. 1188 dato (CDBoh. I, num. 320) descripta sunt.*

compuncta suscepit et glorie[i] inanis oblita servicio pauperum Christi se humiliter mancipavit, laudabilius curavi predictas[k] viri ipsius villas eidem domui stabilire. Placuit eciam nostre magnificencię heredes quatuor in villa Glauuen, qui ad Lisá pertinebant, domui iam dicte hereditario stabilire; quos ad peticionem prepositi[l] Martini in consecracione capelle beati Nicolai libenti animo, multis me ad hoc monentibus, contuleram. Dedi eciam eidem domui duos heredes in Lunacouuich ad vexilliferum[m] pertinentes, preposito M. predicto multis munusculis animum meum inflectente et diversis supplicacionibus ad hoc sepissime instante. Ut autem hec, que nostra celsitudo domui hospitalis laudavit et contulit, firma et inconvulsa perpetualiter permaneant, dignum[n] duximus nostri sigilli inpressione confirmare.[1] Acta sunt hec in Praga anno dominice incarnacionis MCLXXXXVIIII, nostri vero regni anno tercio.[2] Testes autem, qui affuerunt, sunt hii: Daniel episcopus Pragensis ecclesie, Florianus prepositus eiusdem ecclesie, Christianus prepositus Wisegradensis et cancellarius curie, Andreas prepositus de Saczka, Benedictus notarius curie, Cirnin camerarius, Jarozlaus, Stanko cum filiis, Boguzlaus iudex cum filiis, Milgost, Wsebor, Boguta[o] et fra-

pertinentes, preposito M. predicto multis munusculis animum meum inflectente et diversis[e] supplicacionibus ad hoc[f] sepissime instante. Ad huius autem mei[g] facti testimonium posteris perhibendum et memoriam perpetuo faciendam presentem paginam feci conscribi et sigilli mei[g] munimine roborari.

Acta hec sunt Prage anno dominice incarnacionis MCLXXXXIIII,[h] nostri vero regni anno octavo.[i] Testes autem, qui affuerunt, sunt hii: Daniel episcopus Pragensis, Florianus prepositus eiusdem ecclesie, * Andreas prepositus de Satska et cancellarius regis, Benedictus notarius curie regis, Cirnin camerarius, Jarozlauus, Zlauko et filius eius Boguzlauus, Milghost et filii eius, * Benes et fratres eius, Tema et filii eius, Dirsicrag et filii eius, * Mutene cum filio, Vitcho et fratres eius, Georgius de Mylevsc, * Wlastibor cum filiis, Bicen cum fra-

350. *I.* *i)* ,gl͡re', *sed* ,r' *erasum est A.* — *k) primitus* ,predictictas', *sed litteris* ,ictas' *punctis deletis, eadem manus litteras* ,as' *superscripsit A.* — *l)* ,po' *in loco raso eodem atramento scriptum est A.* — *m)* ,ad vexilliferum' *alio atramento scriptum esse videtur A.* — *n)* ,dig' *ex* ,du' *eodem atramento corr. A.* — *o) ex* ,Bogutea' *corr. A.*

2) *Anni regni cum anno Domini non congruunt.*

350. *II.* *e)* ,r' *eodem atramento superscriptum est A.* — *f)* ,ad hoc' *eadem manu serius (in margine) additum A.* — *g)* ,m̄i' *ex* ,n̄ri' *radendo corr. A* — *h) ante* ,IIII' *locus rasus, in quo* ,V' *scriptum erat A.* — *i)* ,octavo' *eadem manu in loco raso scriptum est A.*

tres eius, Jura cum fratre, Domazlaus cum fratre, Benes et frater eius, Thema et filii eius, Dirsicrag et filii eius, Slauebor et filius eius, Muthine cum filio, Witcho et frater eius, Georgius de Mileuscho, Wilcech, Blego cum matre et fratribus, Wlaztibor cum filiis, Bicen cum fratribus, Dobrogost cum fratre, Oger cum fratre, Hermannus cum filio, Wozlaus[p] cum filiis, Vitus, Velizlaus, Uncha, Krisenech, Boguzlaus, Martinus, Dirsizlaus, Ben, Diuis cum fratribus, Sulizlaus, Dalebor, Jan de Lún, Bohes, Vecech,[q] Regnarth, Budis cum fratribus, Wernere, Riuinech, Hindrich et alii multi * clerici * et milites[r] tam de Morauia quam de Boemia, qui convenerant in Pragam ad audiendum nostra statuta.[1]

tribus, * Oger cum fratribus, Ermannus[k] cum filiis, Vogzlaws[l] cum filiis, * Velizlaws, Vnka, * Boghuzlaws, * Divis, * Dalebor, Jan de Mohilnice, Vaita et frater eius Boghuzlaws, Mistidruh, Sulizlaws, Budis, * Vernere, Riuinec, Hindrih et alii multi clerici et milites tam de Morauia, quam de Boemia, qui convenerant in Pragham ad audiendum nostra statuta.

Chartae I appendet e filis sericis flavis et rubris sigillum spurium de cera naturali confectum, quod ad illius Otakari regis sigilli imitando expressum est, cuius descriptionem dedimus supra pag. 51.

Chartae II appendet e filis sericis coloris flavi et rubri sigillum spurium de cera naturali confectum, quod ex illo Otakari regis sigillo imitatione expressum est, cuius descriptionem dedimus supra pag. 256.

351.

(FALSUM SAEC. XIV. IN.)

Henricus Vladislaus, marchio Moraviae, monasterio sancti Stephani in Hradiště prope Olomouc villam forensem Kněhnice cum iure patronatus ecclesiae ibidem et villis Šebetov, Cetkovice, Uhřice donat ipsorumque bonorum limites accurate describit. *In Olomouc 1200 sept 1.*

Charta autographi instar manu saec. XIV ineuntis in membrana scripta in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur (A). — Apographum saec. XVII exstat in Siebenaicheri Hist. relatio de condit. mon. Gradic. ms. fol. 42v - 43v (B) et fol. 57v—58v (C). — Alia apographa saec XVIII exstant in codd. mss. eiusdem tabularii coll. Cerroni II, 312, fol. 6r—7v et II 317, fol 7r—8v.

Angefochten, jedoch unzertheilt auf immerwährende Zeiten gebliebenes Besitzthum deren zu dem Closter-Stift Hradisch ... angehörigen acht Beneficiorum curatorum (1760), fol.

350. *I. p) ita loco* ‚Woyzlaus' *A. — q) primum* ‚e' *in loco raso alio atramento corr. A. — r)* ‚clerici et milites' *in loco raso eadem manu scr. A.*

350. *II. k)* ‚r' *superscr. A. — l)* ‚g' *in loco raso, ubi* ‚l' *prius scriptum erat, eodem atramento scriptum est A.*

Fv—F2v. — Sternberg, Umrisse einer Gesch. d. böhm. Bergwerke. Urkundenbuch, pag. 2, num 2 — Boczek, Cod. dipl. Mor II, pag. 80, num. 68 (ad ann. cc. 1215) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 260, num. 560 (fragm. ad a. cc. 1215).

Chartam illo, ad quod refertur, tempore datam esse non posse, iam ex eo perspicitur, quod Bonifacius abbas, qui in exordio ipsius nominatur, post Hermanni abbatis mortem († 1216 dec. 12) demum electus est. Accedit, quod iura, quae in ipsa conceduntur (praesertim iurisdictionis potestas), ab illius aetatis usu omnino abhorrent. Praeterea notandum, quod contra consuetudinem in diplomatibus veris illius temporis observatam limites accuratissime perscribuntur, qua in re illam chartam falsam, quam a. 1203 febr 22 monasterium in Hradiště ab Vladislavo marchione accepisse fertur (v. num 356), chartae auctorem in exemplum assumpsisse in aperto est. Quae cum charta illa concordant, minoribus litteris imprimuntur.

In nomine Domini amen. Nos * Wladizlaus, dei gracia marchio Morauie, monasterio Gradicensi, Premonstratensis ordinis, Olomucensis dyocesis, abbati Bonifacio et fratribus ibi nunc || et in futurum regularem vitam professis in perpetuum. Quoniam oblivionis exitus plurimumque[a] excedit scienciam futurorum, ideoque acta presentium eterna scripturarum debent memoria[b] * || observari: noscat igitur tam presens hominum etas quam posteritas in Domino successura, quod nos fratrum monasterii Gradicensis religiositatis fervorem, quam devote famulando ge||runt gubernatori[c] omnium, intuentes ipsorumque oracionibus participes fieri cupientes, ey[d] solita nostre benignitatis munificencia curiam et villam forensem, que Knenicz nominatur, cum iure patronatus ecclesie parrochiali[e] ibidem et villis adiacentibus, videlicet: Sebetow, Cyethkouici et Vherci cum suis pertinentiis, et silvam spaciosam predictis bonis adiacentem, quam certo cercius didicimus ex sinceritate felicis memorie domini Ottonis senioris, ducis Morauie, et sibi grate coniugis domine Eufemie, fundatorum monasterii Gradicensis, collatam cum omnibus proventibus et omnium utilitate metallorum, si que ibidem postmodum inventa fuerint, nunc et in posterum ex eisdem percipiendis, de consensu fratris nostri domini Otakari, incliti regis Boemie tercii, dicto monasterio et fratribus ibidem degentibus contulimus iure hereditario pacifice et perpetuo possidendum; dantes eis nichilominus plenam libertatem predictam silvam exstirpandi, villas locandi in ea vel alia queque ex ea vel in ea, [prout][f] ipsi pro utilitate sua duxerint ordinandum. Damus etiam eis in prefata villa forensi Knenicz potestatem iudicandi super quoslibet fures, latrones, homicidas et alios malefactores per sentenciam in capite et in rebus, qui ibidem vel infra limites predictorum bonorum fuerint deprehensi, sicut aliis in Morauia civitatibus nostris dedimus potestatem; ita quod ipsi vel eorum homines in prefatis bonis residentes ab omni iurisdiccione beneficiariorum nostrorum in Olomucz[g] et aliorum omnium in Morauia, scilicet citacionibus pro qualibet causa vel culpa, denariorum solutione, in quibus nostri terrigene predictis beneficiariis sunt subiecti, per omnia sint exempti. Ad peticionem etiam abbatis supra dicti misimus e latere nostro nostros fideles, scilicet * Bauarum camerarium, Zauisse

351. *a) ita A scribae incuria loco* ,pleumque'. — *b) in lineae fine sequuntur litterae* ,ob', *quas scriba delere omisit. A.* — *c)* ,creatori' *C.* — *d) ita A scribae incuria loco* ,ex'. — *e) ita A loco* ,parrochialis'. — *f) omittit A, supplevi ex charta a. 1203 febr. 22 data (num. 356).* — *g)* ,Olom̄' *A*

castellanum, Veliz iudicem, beneficiarios Olomucensis provincie, cum Slauata magistro venatorum et camerariis, qui vulgo pohonchi dicuntur, scilicet * Queton, Mislik de Medlow, Bohudar cum fratre suo Janek de Duban, Stremena de Chudobin, qui predictorum bonorum limites antiquos sive vrocyscie renovantes, ex una et Lesan et Konicz ex altera secundum terre consuetudinem circuirent. Qui nostrum in hac parte mandatum diligentius impleverunt, ne predictum monasterium in metis et possessionibus supradictis per cuiusquam calumpniam seu violenciam in aliquo de cetero aggravetur.[h] Predicti vero beneficiarii bonis sepedictis metas antiquas renovantes taliter posuerunt: Prima meta a fluvio, qui vulgo dicitur Studena, ad locum Rachowkop; deinde per directum procedendo usque ad viam publicam, que via de Gewiczko dirigitur versus Konicz et facit metam usque ad locum, qui vulgo dicitur Sadek; et inde per directum procedendo usque ad locum, qui vulgo dicitur Scalka; postea per directum procedendo usque ad originem fluvii, qui vulgo dicitur Nauirchmalinneho; deinde per directum procedendo usque ad originem fluvii, qui vulgo dicitur Nauirchdestneho, postea directe procedendo usque ad originem fluvii, qui vulgo dicitur Nauirchiauornika. Predictus vero fluvius per descensum facit metam usque ad montem, qui vulgo dicitur Borissow: et sic trans predictum montem directe est eundum usque ad originem fluvii, qui vulgo dicitur Olesni, postea per directum est eundum usque ad locum, qui vulgo dicitur Czastidiel; deinde per directum est eundum[i] usque ad locum, qui vulgo dicitur Bochency; deinde procedendo per directum usque ad locum, qui vulgo dicitur Naopatowem. Ut autem hec nostre largitatis donacio monasterio dicto facta et gesta premissa robur obtineant firmitatis, presens privilegium scribi fecimus sigilli nostri munimine roborantes; hec decernentes, quod quicumque hoc privilegium per nos propter deum supra dicto monasterio pie datum vel omnia, que in eo continentur, presumpserit violare et non satisfecerit monasterio nominato, decem marcas auri pro qualibet violacione nobis solvere teneatur. Huius rei testes sunt: Bawarus, Zauisse, Veliz supradicti, Buz de Morawiczan, Bludo antiquus de Bludow et plures alii digni fide. Actum et datum in Olomucz,[g] anno Domini MCC,[k] kalendas[l] septembris, per manus magistri Appollinaris, notarii aule nostre.

Sigillum quod filis sericis viridis et rubris autographo appensum erat, iam avulsum et deperditum est.

352.

(FALSUM SAEC. XIV. IN.)

Henricus Vladislaus, marchio Moraviae, monasterio sancti Stephani in Hradiště prope Olomouc villam forensem Hranice cum iure patronatus ecclesie

351. *h)* ,etur' *in loco raso eadem manu scriptum A.* — *i)* ,eundum' *in loco raso eadem manu eodemque atramento scriptum est A.* — *k)* ,A⁰ 1217' *C; quam correcturam Siebenaicher procul dubio de propria sententia fecit.* — *l) ita A.*

ibidem et nonnullis villis in propinquo sitis cum silva donat eique villam forensem Kyjov denuo confert atque villae Hranice metas accuratissime perscribit.

In Olomouc 1201 sept. 1.

Charta autographi instar manu saec. XIV ineuntis in membrana scripta in tabulario terrae Moraviae Brunensi asservatur (A). — Apographum saec. XVII exstat in Siebenaicher, Historica relatio de conditoribus .... monii. Gradicensis, cuius cod. ms. exstat in eodem tabulario, fol. 55^v—57^v (B). Aliud apographum saec. XVII legitur in eiusdem operis appendice fol. 270^r—272^v. Apographa saec. XVIII exstant etiam in codd. ms. collectionis Cerronianae, quae in tabulario terrae Moraviae asservatur, II. 312, fol. 9^v—12^r et II, 317, fol. 11^r—14^v.

Angefochten, jedoch unzertheilt auf immerwährende Zeiten gebliebenes Besitzthum deren zu dem Closter-Stift Hradisch .... angehörigen acht Beneficiorum curatorum (1760), fol. F 2^v - G^v. — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 82, num. 69 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 261, num. 561 (uterque ad ann. cc. 1215).

Chartam non esse genuinam iam ex eo cognosci potest, quod Bonifatius abbas, ad quem data est, post Hermanni abbatis mortem († 1216 dec. 12) munus suum suscepit. Accedit, quod chartae auctori procul dubio illa charta spuria exemplo fuit, quam idem monasterium ab Vladislavo marchione a. 1200 sept. 1 accepisse fertur (v. num. 351); cum qua charta ad verbum concordant illa, quae hic litteris minoribus imprimuntur. Qui quidem consensus fortasse etiam ita explicari potest, quod utraque charta ab eodem auctore conscripta est. (Vid etiam Teige, Zpráva o pramenech kl. Hradištského, in Věstník kr. Č. spol. nauk 1893, num. 12, pag. 39.)

In nomine Domini amen. Nos Wadizlaus, dei gracia marchio Morauie, ecclesie Gradicensi, Premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis, abbati Bonifacio et fratribus ibi nunc et in futurum regularem vitam professis imperpetuum graciam in omnium salvatore. Quoniam oblivionis exitus multum ‖ excedit scienciam et noticiam futurorum, ideo acta presentium scripturarum memorie[a] certis indiciis debent sollicite observari. Noscant igitur tam presentes quam futuri, ad quos litterarum pervenerit iste tenor, quod nos fratrum ecclesie Gradicensis, qui ibidem Domino famulantur, ‖ oracionibus participes fieri cupientes, de benignitatis nostre misericordia ampliori villam forensem, que Hranicz vulgari nomine appellatur, in provincia Prerowiensi cum iure patronatus ecclesie ibidem site et foro feria IIII, cum sibi adiacentibus villis, videlicet Hermanici, ‖ Luczki, Polom, Belotyn, Nahorach, Yesennicie et eorum pertinenciis, et silvam spaciosam predictis bonis adiacentem cum omnibus proventibus et utilitatibus nunc et in posterum ex eisdem percipiendis, de consensu fratris nostri karissimi, domini Premizl, regis Boemorum[b] III, et etiam forensem villam Kyiow vulgari nomine appellatam in Brecizlawiensi provincia, et ecclesia ibidem sita cum iure patronatus, quam veraciter didicimus ex donatione antecessoris nostri, illustris principis Wenceslai, ducis Morauie, pro anima patrui sui principis Ottonis II liberaliter Gradicensi ecclesie condonatam,[1] cum foro feria III, thelonio et iuribus

352. [a]) *procul dubio scribae incuria depravatum et ita corrigendum est:* ‚scripturarum memoria et certis indiciis'; *vid. num. 356.* — [b]) ‚Boē' *A.*

1) *Anno fere 1126; vid. Cod. dipl. Boh. I, num. 110, quam memoriam Pinkava, O založení kl. Hradišt., in Časop. Mat. Mor. 34 (1910) sine iuxta causa falsam esse putat.*

forensibus, sicut in Wraczow et in aliis nostris villis forensibus plenius persolvuntur, et Switawiam similiter villam forensem in Wsobernensi provincia cum iure patronatus ecclesie ibidem, quam veraciter didicimus ex donatione serenissimi Wadizlai, regis Boemorum[b] secundi, liberaliter Gradicensi ecclesie condonatam[2] cum villis adiacentibus, videlicet Mychow et Lbonow cum pertinenciis et foro sabbato, theloneo et iuribus forensibus, sicut in predicto Wraczow et Prosteiow et in aliis nostris forensibus villis plenius persolvuntur, cum omnibus iuribus, libertatibus et iudiciis, que in nostris civitatibus universis Morawie plenius observantur, contulimus perpetuo iure hereditario possidendas. Pro declaratione autem metarum ville forensis Hranicz superius memorate ad peticionem * abbatis Bonifacii supradicti misimus e latere nostro viros honorabiles nostros beneficiarios, videlicet dominum Bawarum camerarium Olomucensem, Bludonem castellanum Prerowiensem, Veliz iudicem Olomucensem, item venatores,[3] qui vulgo lowci dicuntur, videlicet Hohol *, Crisan, Lelek, Waczlaw * et alios fide dignos, qui predicte possessionis vel silve metas de consensu nostro taliter distinxerunt: Prima meta in via publica versus Opauiam super rivulum, qui vulgo dicitur Wrasni, est acervus magnus, qui vulgo dicitur copecz trabibus circumdatus; et predictus rivulus ascendendo facit metam usque ad montem, qui vulgo dicitur Dubowa; et trans montem predictum descendendo sunt mete, que hranicie dicuntur, usque ad rivulum, qui dicitur Bukowecz. Item trans predictum rivulum superius ascendendo sunt mete, que hranicie dicuntur, trans montem, qui dicitur Chrib, usque ad originem rivuli, qui dicitur Swinowi. Predictus rivulus descendendo facit metam usque ad rivulum Hradeszna; et predictus rivulus ascendendo facit metam usque ad arborem, que dicitur yedl, in qua sunt mete, id est hranicie. Deinde ascendendo trans predictum montem sunt hranicie usque ad originem rivuli, qui dicitur Hraniczni, et sic predictus rivulus per descensum facit metam usque ad rivulum Hluboki; et predictus rivulus per descensum facit metam usque ad montem, qui dicitur Zabrieh. Et trans predictum montem sunt hranicie usque ad flumen, quod dicitur Sucha; et sic predictum flumen ascendendo facit metam usque nawirch rivuli dicti Rokytowecz; et sic predictus Rokytowecz descendendo facit metam usque ad rubum, qui vulgo dicitur Rokitowi kerz. Deinde ascendendo trans locum, qui dicitur Chrib, sunt hranicie usque ad originem fluminis, qui dicitur Weliczicie. Predictum vero flumen per descensum fluit in aliud flumen, quod dicitur Welika, et facit metam. Et predictum Welika per descensum fluit in flumen, quod dicitur Beczew, et facit metam. Et flumen Beczew facit metam per ascensum usque ad locum, qui dicitur Dubrawicie. Deinde trans predictum locum sunt mete vel copci usque ad montem, qui dicitur Hranischa hora. Deinde trans predictum montem sunt mete vel copci ad silvam, que dicitur Spiczki lez. Deinde iuxta predictam silvam per descensum sunt kopci usque ad fluvium, qui dicitur Potok

352. 2) *Notandum est, quod in Vladislavi I regis diplomate a. 1160, iun. 16 dato de Svitaviae donatione nulla prorsus mentio fit.* — 3) ‚item venatores . . . Hohol, Crisan, Lelek, Waczlaw et alios' *e charta spuria dd. 1203 febr. 22 descripta sunt.*

z geser. Deinde trans predictum fluvium sunt kopci usque ad viam publicam de Hradecz versus Kelecz. Trans predictam vero viam sunt kopci usque ad rivulum, qui dicitur Spiczki potok. Predictus vero rivulus per descensum fluens metam facit usque in flumen, quod dicitur Jessennicie; et sic predictum flumen per descensum fluens metam facit usque ad rivulum, qui dicitur Zarski potok; et predictus rivulus per ascensum metam facit usque ad locum, qui dicitur Zlebina. Et in predicta Zlebina est kopecz, id est meta; et a predicto loco sunt mete, id est kopci, usque ad viam publicam de Hranicz versus Gycin; et circa predictam viam ad sinistram partem est quercus, et in ipsa est meta, id est hranicie. Deinde a predicta arbore per ascensum sunt mete, id est kopci, usque ad verticem montis, qui dicitur Kobelow. Deinde a predicto loco sunt mete, id est kopci, usque ad originem rivuli, qui dicitur Milothiski potok; et predictus rivulus per descensum fluens facit metam usque ad viam publicam, qua itur de villa Luczka versus villam Milothicz. Et predicta via facit metam usque ad flumen Beczow; et predictum flumen ascendendo facit metam usque ad locum, qui dicitur Zawerbek. Et a predicto loco sunt mete, id est hranicie, usque ad flumen, quod dicitur Jessennicie. Trans flumen per ascensum sunt mete, id est hranicie, usque ad montem, qui dicitur Pastewne; et trans montem predictum sunt mete, id est hranicie, usque ad originem rivuli, qui denominatur de monte predicto Pastewni. Qui fluvius per descensum facit metam usque ad flumen, quod dicitur Hustopezka. Et predictum flumen per ascensum facit metam usque ad fluvium, qui dicitur Zasieka; qui etiam fluvius per ascensum metam facit usque ad suam originem, et a predicto origine sunt mete, id est kopci, usque ad originem fluvii, qui dicitur Hranicznik. Et sic predictus fluvius per descensum facit metam usque ad flumen, quod dicitur Jessennicie. Et trans predictum flumen sunt mete, id est hranicie, usque ad rivulum, qui dicitur Dyedow. Et trans predictum rivulum sunt mete, id est hranicie, usque ad rivulum, qui dicitur Hubni. Et trans rivulum predictum sunt hranicie usque ad rivulum, qui dicitur Slupni. Et trans predictum Slupni sunt hranicie usque ad rivulum, qui dicitur minor Bohumilecz. Et trans predictum rivulum sunt hranicie usque ad rivulum, qui dicitur maior Bohumilecz; qui rivulus per ascensum metam facit usque ad suam originem. Et a predicta origine sunt hranicie usque ad rivulum, qui dicitur Pohorzki potok. Et predictus rivulus per descensum fluens metam facit usque ad rivulum, qui dicitur Wrazni. Et predictus rivulus per ascensum facit metam usque ad primum acervum, qui dicitur kopecz trabibus circumdatus, pro meta prima in via versus Opauiam positus, sicut superius est expressum. Predicta vero flumina, fluvii seu rivuli facientes metam cum ripa et aqua sunt ecclesie Gradicensis, ita quod homines ecclesie supradicte molendina possint absque omni contradiccione quorumlibet vicinorum construere in eisdem. Ut autem hec nostra donatio, ecclesie Gradicensi facta libere propter deum, * robur obtineat firmitatis, presentes fieri fecimus, sigilli nostri munimine roborantes. * Huius rei testes sunt: dominus Robertus episcopus Olomucensis XV, Jeorgius

abbas de Luka, Tyburcius abbas de Trebecz,[4] Waltherus decanus et Stephanus prepositus Olomucensis, Bawarus camerarius Olomucensis, Bludo castellanus Prerowiensis, Velis iudex Olomucensis supradicti et plure[c] alii fide digni. Actum * in Olomucz[d] anno Domini MCCI,[e] indictione IIII, kalendis[f] septembris. Datum per manus * Appollinaris nostri notarii.

Sigillum, quod chartae appensum erat filis sericis coloris flavi et violacei, iam deperditum est.

353.

(FALSUM SAEC. XIII.—XIV.)

Boleslaus, dux Silesiae, monasterio in Leubus mille mansos magnos in ducatu Opoliensi „circa m e t a s M o r a u i e inter duo flumina, Ozoblagam videlicet et Stradunam, cum omni decimatione inter eadem flumina usque ad Odram fluvium" restituit. — 1201 nov. 11.

Chartae binae, quorum una manu saec. XIII, altera manu saec. XIV autographi instar exarata est, in tabulario regio Vratislaviensi asservantur.

[Büsching] Urkk. d. Kl. Leubus, pag. 28, num. 8 — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 9, num. 8 — Grünhagen, Reg. z. schlesischen Gesch. I, (ed. 2), pag. 66. num. 76a — Dobenecker, Reg. Thuringiae II, num. 1204 (reg.).

Diploma spurium esse exponit Grünhagen l. l.

354.

(FALSUM.)

Constantia, regina Bohemiae, libertatem, quam Otakarus rex constituit in villis, quas monasterium sancti Stephani in Hradiště possidet in provincia Olomucensi, etiam in villis monasterii illius in provincia Břeclavensi sitis habendam concedit, eidemque monasterio terram in villa Ostrovany donat.

— — —.

Apographum saec. XVII praebet M. Siebenaicher, Hist. relatio de conditoribus ... mon. Gradicensis, cuius cod. ms. in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur, tom. I, fol. 52r—52v (B). — Alterum apographum eiusdem temporis exstat in eodem codice fol. 275r—275v (C).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 17, num. 13 (ad a. 1203 iul. 21) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 215, num. 472 (fragm.) — Cf. Teige, Zpráva o pramenech kl. Hradištského (Věstník kr. Č. Společnosti nauk, 1893, num. XII), pag. 38.

---

352. *c) ita A loco:* ‚plures'. — *d)* ‚Olom̄' *A.* — *e)* ‚mill. ducentesimo decimo septimo' *B; quam emendationem Siebenaicher procul dubio ex propria sententia fecit.* — *f)* ‚kl' *A.*

4) *Georgii abbatis Lucensis et Tiburcii abbatis Trebecensis nomina impostor procul dubio ex Otakari regis diplomate dd. 1201 m. iul. (v. num. 21) exscripsit.*

Mirum quod libertates tanti momenti sine regis consensu conceduntur, quae res chartam spuriam esse demonstrat. — Maiorem chartae partem impostor ad verbum descripsit e diplomate, quod monasterium Gradicense ab Otakaro rege a. 1201 accepit (vid. num. 21); duobus tantum locis adhibitum est diploma Vladislavi I regis a. 1160 iun. 16 datum (Cod. dipl. Boh. I, num. 208). — Charta in fine mutilata notis temporis omnino caret; in apographi B margine adnotatur: ‚Privilegium Constanciae reginae. Ao: 1204'; *in apographi C margine adnotatur:* ‚De anno 1235.' *Boczek l. l. sine iusta causa chartam a. 1203 iul. 21 datam esse dicit; cuius rationem sequitur Erben. Cum autem in charta Vratislaus filius Constantiae vivus commemoretur, qui non longe post a. 1201 morte obiit, ipsam hoc loco intexere placuit.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Notum sit universis tam praesentibus quam futuris, quod ego Constantia, dei nutu Boemorum[a] regina, intendens pietatis affectum mariti mei, regis Boemiae,[b] circa cultum ecclesiae dei et sancti protomartyris Stephani, quae est sita iuxta urbem Olomucensem, simulque desiderio fervens tantorum athletarum dei, qui ibidem in laudibus dei die[c] noctuque iugiter desudant,[1] orationum particeps effici, ut apud eos perpetuo haberetur memoria nostri,[d] pro statu regni et pro incolumitate mariti mei filiique mei Wratislai[e] et marchionis Moraviae Wladislai nec non pro salvatione animae meae et peccatorum remissione de consensu * nobilium Boemorum[a] ac[f] Moravorum eandem libertatem, quam in Olomucensi provincia per omnes villas abbatiae praefatae ecclesiae rex statuit, in[g] provincia Breczlaviensi, quam iure haereditario illi a nobis acceptam possident, in omnibus suis villis ibidem habendam concedimus perpetuo,[g] ita ut nec villici principum vel militum, nec camerarii castrorum * eas ullo ausu in aliquo casu cuiuslibet exactionis causa ingredi praesumant, donec domino abbati vel coeteris[h] fratribus vel curiali eorum casu manifestato,[i] accusatus vel accusandus, iudicandus vel damnandus, fur vel homicida omni[k] iudicio vel satisfactioni per eos repraesentatus assistat, et in * quo iudicatus fuerit, nulli praeter abbatem et fratres[l] respondeat. Omnem etiam censum annualem, qui collecta nuncupatur, eidem monasterio * beati * Stephani in usum fratrum omni tempore possidendum atque colligendum concedimus et per omnia eandem libertatem, quam episcopatus Olomucensis habet, eidem ecclesiae habendam statuimus. Ne igitur invasoribus ecclesiarum hoc immutandi statutum libera facultas tribuatur, et ne[m] imposterum aliqua[n] controversia suboriri queat[o][2] processu temporis, hoc evidens privilegium praesentis scripti memoria cum sigilli nostri impressione et * personarum idonearum testimonio roboramus. Sub eiusdem etiam sigilli nostri munimine interventu * Hermanni abbatis et fratrum eiusdem loci terrulam[p] desertam

354. *a)* ‚Bohemorum' *B.* — *b)* ‚Bohemiae' *B.* — *c)* ‚diu' *B.* — *d)* ‚nostra' *C.* — *e)* ‚Wlatislai' *C.* — *f)* ‚et' *C.* *g)* ‚in provincia Brzeczlaviensi, quam iure haereditario nobis possidendam in omnibus villis perpetuo habendam concedimus' *C; utriusque apographi verba hoc loco describentium incuria depravata esse manifestum est.* — *h)* ‚caeteris' *C.* — *i)* ‚manifesto' *B, C.* — *k)* ‚omnium' *C.* — *l)* ‚fratribus' *C.* — *m)* ‚et ne' *omittit C.* — *n)* ‚ne vel aliqua' *C.* — *o)* ‚controversiae suboriri queat occasio' *C.* — *p)* ‚ecclesiam' *C.* —

1) ‚in laudibus – desudant' *ex privilegio Vladislavi I regis a. 1160 iun. 16 dato descripta sunt.* — 2) ‚queat' *ex eodem privilegio translatum est.*

in villa Ostrovan, spectantem ad camerarios ecclesiae praefatae, perpetuo possidendam concedimus. Ad confirmationem itaque huius privilegii nomina testium, in quorum praesentia haec statuta sunt,[q] hic sunt subscripta ⟨etc.⟩

L. S. Constantia Bohem: regina.[3]

355.

(FALSUM SAEC. XIII. EX.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, confirmat fundationem monasterii in Velehrad a fratre suo Vladislavo, marchione Moraviae, factam.

— 1202 —.

Charta autographi instar manu alterius medietatis saec. XIII in membrana exarata in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A).

Středowsky, Sacra Morav. hist. pag. 20. — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 12, num. 10. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 211, num. 466 (fragm.).

Chartam non autographum genuinum, sed post saeculum XIII medium scriptam esse, litterarum formae manifesto demonstrant. Sed etiam verba ipsius illo, ad quem refertur, anno conscripta esse non posse ex eo apparet, quod inter testes nominatur Stephanus praepositus Olomucensis, qui dignitatem hanc ante annum 1207 consequi non potuit (cf. diploma num. 59, ubi pag. 55, 16, 18 canonicus tantum appellatur). Accedit, quod ibidem nonnulli „cives Welegradenses“ *adferuntur, quod cum eiusdem temporis statu non congruit. Porro notandum est, quod verba* „inclite memorie ... Wladislaus marchio“ *secundum illius aetatis communem sermonis usum non nisi mortuum significare possunt (Vladislaus obiit a. 1222 aug. 12), cum qua re nimis discrepat, quod chartae sigillum marchionis ipsius appendet. Quibus omnibus circumspectis dubitari non potest, quin charta s p u r i a sit. Sigilla chartae huius ab Otakari regis diplomate quodam vero ablata esse inferius adnotamus. Quod quidem diploma sine ulla dubitatione illud erat, in quo Otakarus rex cum fratre suo Vladislavo monasterio in Velehrad libertates quasdam concessit, et cuius prima mentio fit in diplomatibus hospitali s. Johannis Hierosolymitani a. 1213 dec. 31 datis (v. pag. 103 et 105). Verba diplomatis illius deperditi haud dubie maximam partem descripta sunt in diplomate Otakari regis dato a. 1228 nov. 27 (v. num. 321), cuius protocollum et promulgatio in charta nostra totidem verbis repetuntur. Quae res fortasse ita optime interpretari potest, quod chartae nostrae auctor utramque formulam ex illo diplomate deperdito descripsit. Ex eodem diplomate verisimillime etiam arenga descripta est, cuius genus sermonis propinquum est orationi illius auctoris, qui diplomata num. 59, 60, 110, 239, 272, 320 conscripsit. Qua re etiam diploma illud deperditum ab eodem auctore conscriptum esse contendere ausim. (Cf. etiam ea, quae de charta nostra commemoravit Dudík, Mährens allg. Gesch. IV, pag. 159, not. 1, et ea, quae in his dissertationibus scripta sunt: Brandl, Poloha starého Velehradu, pag. 11 sq.; Prasek, Jméno Velehrad, in Časopis Matice Moravské XXIV, 1900, pag. 314; Červinka, Děvín a Velehrad; Pekař, O poloze starého Velehradu, in Český Časopis historický VIII, 1902, pag. 199; Pinkava, O významě názvu Velehrad, in Časopis Matice Moravské XXXIII (1909), pag. 79).*

354. *q)* ‚firmata‘ *addit C.*

3) *Teige l. l. pag. 39 verba* ‚Constantia Bohem: regina‘ *subscriptionem significare putat. Mihi vero ad sigilli, quo charta munita erat, circumscriptionem referenda esse videntur.*

C. ‖ In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. ‖ Ego Premizel, qui et Otakarus, tercius rex Boemorum, monasterio Wele‖gradensi Cisterciensis ordinis et ministris dei ibi degentibus imperpetuum. Cum prudens et veneranda seniorum precedentium antiquitas, in qua impera‖toria et regia dignitas summam habuit auctoritatem, decreverit succedentibus temporibus suis inquietantium iniurias ab omnibus quietis et iustis ‖ removere, placuit eius saniori providentie acta temporum suorum in scriptis redigere, ut illa, que iustum et debitum habuerunt processum, etiam haberent robur et firmitatem. Noverint itaque tam presentes quam futuri, quod inclite memorie frater noster Wadislaus, marchio Morauie, claustrum Cysterciensis ordinis Welegrade nomine fundavit et possessionibus amplis et ceteris necessariis dotavit; et hoc totum actum est auctoritate nostra, quia principes Morauie nichil possunt conferre perpetualiter alicui monasterio vel militi vel alii,[a] nisi interveniat eius consensus et comfirmationis[a] auctoritas, qui summus est in regno Boemie et illius terre tenet principatum. Possessiones vero quasdam, que subnotate sunt, emit inclitus frater noster a quibusdam militibus et aliis, quas contulit claustro predicto perpetuo possidendas. Emit quidem ab abbate et fratribus de Lutomusle quoddam predium adiacens claustro, in quo erat sita ecclesia sancti Johannis, sed tunc temporis vacua et deserta, vix CC^{orum} iugerum, pro decem marcis argenti, quod et claustro contulit. Licet enim illud predium non poterat conferri a duce Brechislao Lutomuslensi ecclesie, tamen nos ob reverentiam beate Marie[b] illam donationem dissimulavimus et concessimus fratri nostro emere et claustro Welegradensi conferre. Insuper frater noster eodem tempore emit villam Borsciz nomine cum circuitu suo a Pribizlao milite pro quinquaginta marcis argenti et aliam villam Zlehowe nomine emit a Dobene milite pro XXX^{a} marcis argenti cum omnibus appendiciis suis. Similiter villam Vscenowe nomine emit a Smilone milite pro XXVIII marcis argenti cum omnibus attinentiis suis. Que villa fuit possessio cuiusdam Radoslay militis, qui eam dederat filie sue; sed cum puella esset sub tutela Smilonis, tradidit eam marito Heinrico, quondam iudici de Znoym, cum eadem pecunia. Insuper vir nobilis Theodericus nomine Grutowice quamdam villulam Costeleche nomine, quam deservierat apud fratrem nostrum Wadislaum, marchionem Morauie, cum nostro assensu et ipsius contulit ecclesie Welegradensi, quod nos ratum habuimus et firmum. Cuius termini sunt usque ad vallum antique civitatis. Huius rei testes sunt, qui tunc presentes erant: R^{v}pertus episcopus Olomuncensis, Walterus decanus, Stepanus[a] prepositus, Bosko archidiaconus, Andreas canonicus; hii sunt canonici Olomuncenses. Abbas Ticelinus, Walk^{v}nus, Eberhardus, Gerungus, monachi Welegradenses; Hartm^{o}dus, Bertoldus, conversi eiusdem loci. Pludo, Doben, Theodericus filius Ghrut,[c] Petrus filius Bohvt, Smilo de Buglowiz, Primizlaus de Borscwiz, Stranata, Peley, Pranzvt; hii sunt nobiles

355. *a) ita A. — b)* ‚Marie‘ *litteris maiusculis scriptum est A. — c)* ‚h‘ *in loco raso eodem atramento scriptum est A.*

Morauie. Wrzman, Altman, Stimyr, Milota, Bohomil, Hon, Milosc, Martin, Bratron; hii sunt cives Welegradenses. Acta sunt hec anno incarnationis dominice millesimo ducentesimo secundo, Ticelino primo abbate regente ecclesiam Wellegradensem.

Chartae appendent duo sigilla de cera communi confecta: 1) *Sigillum Henrici Vladislavi marchionis eadem forma confectum atque secundum sigillum diplomatis num. 125; quod filis sericis flavis et viridis appensum est.* — 2) *Sigillum Otakari regis, quod eadem forma confectum est atque sigillum diplomatis num. 57, appendet e filis sericis flavis et rubris. — Utroque sigillo cum aliis eiusdem marchionis et regis sigillis comparato, ipsa vera esse cognovi; sed in filis, quibus appensa sunt, vestigia quaedam apparent, quae ipsa ab alio diplomate ablata et ad chartam nostram per dolum aptata esse ostendunt.*

356.

(FALSUM SAEC. XIII.)

Henricus Vladislaus, marchio Moraviae, monasterio sancti Stephani in Hradiště prope Olomouc donat silvam Střelná cum potestate ibi villas et civitates locandi eiusque metas accurate describit.

— 1203 febr. 22.

Apographum saec. XVII servavit P. Michaelis Siebenaicher Historica relatio de conditoribus ... monasterii Gradicensis, cuius cod. ms. in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur, fol. 50r—51v (B).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 14, num. 11 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 212, num. 468 (omisso initio)

Mirum quod in charta ius civitates locandi conceditur; quae res ipsa iam suspicionem movet, cum ab institutis et conditionibus illius temporis, ad quod charta se spectare simulat, omnino aliena sit. Accedit, quod limites silvae accuratissime perscribuntur, quod in chartis veris eiusdem temporis non reperitur. Praeterea notandum, quod chartae auctor nonnulis personis dignitates tribuit, quas illae multis annis post demum adeptae sunt. (In his Veliš iudex Olomucensis munus suum non ante 1213 dec. 31 consequi potuit, qua die Doben ad ultimum in dignitate illa commemoratur; Esau primum a. 1208 sept. 25 archidiaconus Přerovensis nominatur, ante quod tempus archidiaconatum Břeclavensem habuit; Stephanus ad praepositi Olomucensis dignitatem non ante annum 1207 ascendere potuit teste diplomate num. 59). Quibus circumspectis chartam adulterinam esse nemo non videt. Charta procul dubio post saeculum XIII medium confecta est, cum inter Budiš abbatem et Brunonem episcopum Olomucensem controversia de silvae Střelná possessione orta esset. Etenim in charta, quae de controversiae istius compositione a. 1274 dec. 17 data est (Boczek, Cod. IV, num. 99 = Emler, Reg. II, num. 920), commemoratur: „super silva quadam, que Strelna maior vocatur, que distincta est per certos terminos, prout expresse in privilegio abbatis continetur;“ *quae quidem verba ad hanc solam chartam referri possunt. — In charta conscribenda Vladislavi marchionis privilegium quoddam verum (nunc iam deperditum) adhibitum esse mihi quidem videtur, ex quo chartae exordium et nonnulla testium nomina fortasse descripta sunt. Quod privilegium in monasterio ipso verbis contextum esse verisimile est, quod ex verbis* „orationibus participes fieri cupientes“ *cognoscitur ibi diploma num. 21*

in exemplum assumptum fuisse. Nomina quaedam ex Přemysli marchionis charta, quae a. 1239 data est, descripta sunt; vid. infra not. 1. — Vid. etiam quae de chartae huius fide commemoravit Pinkava, O některých podvržených listinách kl. Hradištského, in Časopis Matice Moravské XXXIII (1909), pag. 397.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Henricus, qui et Wladislaus, dei gratia marchio Moraviae, ecclesiae Gradicensi Praemonstratensis ordinis, Olomucensis dioecesis, et fratribus ibi nunc et in futurum regularem vitam professis in perpetuum. Quoniam oblivionis exitus plerumque excedit scientiam futurorum, ideo acta praesentium aeterna scripturarum memoria et coeteris certis indiciis debent sollicite observari. Noscat igitur tam praesens hominum aetas quam posteritas in Domino successura, quod nos fratrum ecclesiae Gradicensis religiositatis fervorem, quem devote famulando gerunt gubernatori omnium, intuentes, ipsorumque orationibus participes fieri cupientes, ex solita nostrae benignitatis munificentia silvam quandam satis latam et spatiosam ad nostri principatus dignitatem pertinentem, denominatam Strzelna inter Odram et Moravam iacentem, cum omnibus proventibus et utilitatibus nunc et imposterum exinde percipiendis de consensu fratris nostri Ottocari, inclyti regis Bohemiae, dictae ecclesiae et fratribus ibi degentibus contulimus iure haereditario perpetuo et pacifice possidendam, dantes eis plenam libertatem extirpandi eam et villas, fora, civitates locandi in ea vel alia quaeque ex ea vel in ea, prout ipsi duxerint, ordinandi. Volumus etiam, ut eadem libertas et iura ibi habeantur, quae in omnibus aliis haereditatibus ecclesiae Gradicensis habentur. Ad haec vero totius ignorantiae scrupulum reprimere cupientes, ad considerandam et circuiendam eandem silvam et metas ibi ponendas misimus e latere nostro dominum Bavarum camerarium et Zawissam castellanum, Veliz iudicem, Slavatam magistrum venatorum, Onsonem et fratrem ipsius, Bludonem summum venatorem cum filio suo Spitata et dominum Joannem canonicum et scholasticum Pragensem. Item venatores istos: Gogol de Bukowan, Crisan, Lelek, Waczlaw, Jan, de Lazan omnes, Otrok cum fratre suo Wratik de Wiklak, Qveton, Mislik[1] de Medow,[a] Bohudar cum fratre suo Janek de Duban,[b] Striemena de Chudobin, villicum[c] Slavatae magistri venatorum, et alios quam plures; qui de nostrae magnitudinis mandato intrantes dictam silvam, posuerunt ibi primam metam supra fluvium Bunow, qui fluit in Strelnam[d] ibidem, de qua aqua tota illa silva Strelna nuncupatur. Deinde vero fluvius Strelna ad duos tractus sagittae fluit in Odram, de Odra incipiendo versus orientem inferius influentibus aliis aquis ex utraque parte in Odram usque ad fluvium, qui Cirmena nuncupatur; deinde per metarum signa declinando contra aquilonem usque in locum, qui dicitur Tyzowa hora, situm supra

356. *a) ita B.* — *b)* ‚de Duban Janek‘ *B.* — *c)* ‚villicus‘ *B.* — *d)* ‚Strzelnam‘ *B.*

1) *Venatorum Otrok, Qveton, Mislik nomina impostor descripsit ex privilegio, quod Přemysl marchio Victori filio Bludonis dedit in castro Pragensi a. 1239 (Boczek, Cod. II, num. 310 = Erben, Reg. I, num. 975).*

Moravam, et abinde retrogrado passu versus occidentem influentibus quibusdam aquis ex utraque parte in Moraviczam[e] usque ad locum, qui dicitur Bohumilplawie;[f] deinde per semitam in Towiren redeundo versus meridiem usque ad aquam Lopenicza cum vertice unde originem ducit; et transita eadem aqua per semitam dictam usque ad aquam Budessowa, cuius origo est inter metas dictas; inde procedendo per semitam nominatam usque ad aquam Luboska cum vertice et pratis omnibus, quae ibi habentur; deinde per semitam eandem, donec ventum fuerit super aquam Smilow, cuius origo est inter metas dictas, Smilow autem pertransito, per signa metarum, donec revertatur ad praenominatum fluvium Bunow. Et sic metis ibi positis, ipsi quos illuc miseramus, acervos perspicuos locis in aliquibus erexerunt, imponentes eisdem acervis signa occulta. Porro frater Abraham, canonicus ecclesiae Gradicensis, ordinis supradicti, eodem anno eandem ingrediens silvam et perlustrata ea diligenterque circumspecta ipsoque invento ibi loco habili ad cultum divinum, de licentia sui abbatis Hermanni et sub habitu et obedientia ipsius nec non etiam nomine suae ecclesiae cum quibusdam fratribus secum assumptis coepit vitam ducere eremiticam in eadem. Tandem quia situs loci, ubi oratorium suum posuerat, nimium sibi placuit ibi ad manendum, cum ecclesia in Welegrad fundaretur, dictus frater Abraham ad nos accedens, petivit diligenter, ut in loco sui oratorii, quem[g] struxerat ibidem in honorem sanctae et individuae trinitatis, specialiter vero sub titulo beatae Mariae virginis et sancti Georgii, coenobium fundari admitteremus. Sed quia dominus Hermannus dicti loci abbas propter rerum inopiam, quam patiebatur, ad id opus coenobii de facultatibus suae ecclesiae non poterat subvenire, dominus Esau, archidiaconus Preroviensis et canonicus Olomucensis, et Isaac canonicus ibidem et Blasius, fratres uterini dicti fratris Abrahami, permagnam rerum copiam habentes et famam sui nominis aeterna memoria sublimare cupientes a nobis et ab abbate Hermanno id opus coenobii sibi committi petierunt. Nos vero ipsorum piae operationis propositum impedire nolentes, domini Hermanni abbatis consilio prius captato, ad cuius iurisdictionem saepe dicta silva iam spectat, dicti Esau archidiaconi et ipsius fratrum petitionibus, quae omni admissione dignae erant, annuentes, structuram coenobii, nomine tamen ecclesiae Gradicensis, in dicta silva sibi duximus committendam. Insuper ut id opus coenobii maiorem posset habere provectum, totam silvam dictam cum omnibus proventibus et utilitatibus exinde percipiendis usque ad finem vitae suae dictis Esau et fratribus ipsius contulimus, de voluntate etiam dicti loci abbatis et conventus, sancientes firmiter, ut post ipsorum, dicti Esau et fratrum ipsius, obitum ad ecclesiam Gradicensem redeant, cuius praetextu sibi haec erant porrecta. Ut autem haec nostrae largitatis donatio ecclesiae dictae facta et gesta praemissa maneant firma et in aevum, praesentem paginam sigilli nostri firmitate

356. *e)* Moraviczan' *B.* — *f)* ‚Bohumlplawie' *B.* — *g) ita B.*

duximus roborandam. Testes, qui huic rei interfuerunt, nominetenus scripti subsequuntur: dominus Robertus venerabilis episcopus ecclesiae Olomucensis, dominus Techelinus abbas Welegradensis, Waltherus[h] decanus, Stephanus praepositus, Theodoricus, Joannes et Gerardus canonici Olomucenses, Joannes canonicus et scholasticus Pragensis et beneficiarii Olomucenses supra scripti. Affuerunt etiam Sulislaus dapifer et filius suus Protivenus,[i] Onso et fratres ipsius Victor et Bludo[k] summus venator et Spitata filius suus, Boriuta[l] de Redhoscz de Bohemia[m] et filius suus Boriuth de Lethovicz, item Wocco et Pomnen de Thowaczow et filius suus Wocco, Semislaus et frater suus Ninec, Slavata et frater ipsius Wissieborius, Bicen et filius ipsius Budislaus et Sdimir, Przedbor et filius suus Bun, Przibislaus et frater ipsius Sdislaus, Leva camerarius Brunensis, Cirgo et frater suus Chastola, Petrus subpincerna domini marchionis, Sweigse subdapifer, Slava filius Doben, Wers et frater suus Nedamir, Stephanus de Medlaw et venatores supra nominati ac alii quam plures.

Acta sunt haec anno dominicae incarnationis MCCIII,[n] concurrente ,[o] indictione VI, octavo kalendas martii. Data per manus Apollinaris notarii.

357.

(FALSUM SAEC. XIII.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, confirmat monasterii in Osek fundationem et possessiones, quas ipsi Slávek et Milhost comites donaverunt, monasterii protectionem suscipit eique libertates concedit.

Pragae 1203 apr. 24.

Apographum saec. XIV medii servavit liber privilegiorum „Codex Damascus" dictus, qui in monasterii Ossecensis tabulario asservatur, fol. 1v—3r (B). — Aliud apographum saec. XVI exstat in tabularum terrae tomo 3, qui inscribitur „kvatern červený trhový vejpisů l. 1542", fol. J 13—J 14 (C).

Erben, Reg. Boh I, pag. 214, num. 470 (omisso initio) = Frind, Kirchengesch. Böhmens I, pag. 410, num. 9 — Scheinpflug, Die Urkunden im Klosterarchive zu Ossegg, in: Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen VIII (1870), pag. 35 (reg.) — Gradl, Monum. Egrana I, pag. 42, num. 121 (reg.).

Arengae sermo, qui diplomatum illius temporis scribendi generi dissimilis est, ipse iam chartae fidem in suspicionem adducit. Porro libertates, quae in diplomate conceduntur (monasterii hominum exemptio a iudiciis saecularibus atque iudicandi potestas abbati concessa) ab illius aetatis usu et consuetudine omnino abhorrent, quam ob rem chartam multis annis post confectam et adulterinam esse satis constat. Sed in charta conficienda verum quoddam eiusdem regis diploma adhibitum esse, sine ulla dubitatione affirmaverim, quod in ipsius fine Cristannus cancellarius et Benedictus scriptor adferuntur. Quo quidem diplomate haec saltem continebantur: possessionum, quas monasterio fundatores ipsius donaverunt, confirmatio ipsiusque in protectionem regis receptio; porro communium collectarum

356. *h)* ‚Walcherus' *B.* — *i)* ‚Protucenus' *B.* — *k) sequitur* ‚Buz', *sed deletum B.* — *l)* ‚Borvita' *B.* — *m)* ‚Bohem' *B.* — *n)* ‚1203' *B.* — *o) numerus deest B.*

terrae remissio, immunitas tributorum in provinciae Bilinensis foris et libertas exeundi terram sine theloneo in via apud Kopisty et in via monasterio proxima. (Vid. Innocentii III confirmationem a. 1207 apr. 2 datam, supra pag 59—60, e qua cognosci potest, quod Otakari regis diploma ante a. 1207 datum erat). Diploma illud iam deperditum haud dubie ab illo scriba confectum erat, quem nota ‚Otakarus 3' signavimus, cuius scribendi generis haec potissimum vestigia in charta nostra apparent: ‚aliaque ... seriatim nominata' *et* ‚anno inc. dominice —, epacta —, concurrente —, indictione —.' — *Chartam non longe post saeculum XIII medium confectam esse ex eo cognosci potest, quod locus, qui de libertatibus est, totidem fere verbis repetitur in Otakari II diplomate dato Pragae a. 1272 iul. 14 (Emler, Reg. II, pag. 317, num. 787), ubi charta nostra expressis verbis commemoratur.*

In[a] nomine sancte et individue trinitatis. Ego Otaker, qui et Primuzl,[b] dei gratia Boemorum rex tercius. Quamquam ordinacione dispensante divina ad paterni principatus apicem supra parentum nostrorum gloriam intronizati conscendimus, nos tamen intra[c] nosmet ipsos metientes atque cum turba illa plurima, que convenerat ad diem festum, festinantes ingredi in illam requiem, vestimenta ramosque substantie secularis pedibus iumentorum domini[d] Salvatoris substernimus, quo et ipsis commodior nobisque expedicior fiat via, terrenis actus volumina fluctusque fugientibus; statura quoque virtutum plus magis Zacheo pusilli eos, de quibus loquimur, id est renuntiantes seculo, nobis arborem sycomorum[e] prefigimus,[1] ut vel illorum subvecti robore, Jesum, quem non meruimus, videamus. Cuius nimirum visionis desiderio tracti, primates multi regni nostri miserunt multa in gazofilacium Domini. De quorum numero fuere non infimi Zlauco[f] comes illustris et Milgoztus[g] Milgozti[h] filius, qui re vera bonorum memoria digni, scientes que sunt regis regi reddere, deoque que dei sunt,[2] more patrie predia sua per manus nostras Domino assignarunt. Cuius negotii seriem paulo altius retexentes, populo qui nascetur natoque significamus, quam Milgoztus[g] primo divini cultus amore a notis nobis fratribus in Waltsassen conventum peciit, accepit,[3] terre nostre induxit ac prediis quibus potuit illustravit; cumque locus, quo cenobium fundaretur, aptus deesset, multorum egit consilio,[4] ut supra dictus Zlauco[i] conventum illum in predium suum Ossech[k] dictum transferret, locum

357. *a) In B ante diplomatis apographum legitur inscriptio rubra:* ‚Privilegium regis Othacari super libertates theloneorum, vectigalium, silvarum, et ne quis in bonis ecclesie iudicia violenter exerceat.' — *b)* ‚Primsl' *C.* — *c)* ‚t' *ex* ‚f' *in loco raso corr. est B;* ‚infra' *C.* — *d)* ‚Christi' *C.* — *e)* ‚sicomorum' *C.* — *f)* ‚Hlauco' *C.* — *g)* ‚Milgortus' *C.* — *h)* ‚Milgorti' *C.* — *i)* ‚Glauco' *C.* — *k)* ‚ss' *ex* ‚zz' *corr. C;* ‚Ozzech' *B.*

1) *Cf. Luc. XIX, 2—4.* — 2) *Cf. Matth. XXII, 21; Marc. XII, 17.* — 3) *Chron. Waldsass. (ap. Oefele, Rer. Boicar. scriptores I. 65b) de monasterii in Osek fundatione perperam ad a. 1192 haec refert:* ‚Hoc etiam tempore promovente et cooperante et fratres illuc mittente abbate Daniele, circa annos Domini MCXCII fundatio monasterii Ozzegk in Bohemiae confinibus cepta est.' *Monachi, quos Milhost comes e monasterio Waldsassensi adduxit, primum monasterium in Mašťov, germ. Maschau (districtus Podbořany, germ. Podersam) construxerunt; vid. diploma Henrici episcopi et ducis Bohemiae a. 1196 iun. 20 datum, Cod. dipl. r. Boh. I, pag. 319, num. 355.* — 4) *Cf. tamen litteras Innocentii III papae datas a. 1207 iul. 11, quas dedimus superius sub num. 69.*

scilicet ad omnem monastice construccionis situm, ut dies ipsa loquitur, peramenum. Quam illico transponendi claustri oblationem vir ille pius pie satis amplexatus, optatum predium aliaque presentis pagine fine seriatim nominata, Milgozto[l] idem de suis infra notatis faciente, uxoribus quoque amborum ac liberis et universis heredibus rata astipulatione consencientibus, in manus nostras deposuit, sicut iam diximus. Igitur, prout regali clemencie congruebat, bene ceptis illorum ex animo occurrentes, presentibus suppanis atque faventibus, subscripta predia, scilicet Ossech[m] cum terminis suis, Hirdloc, Damzlawiz et villam Hagn dictam et Hirnszer,[n] Biln, Hosniz, Croywart[o] cum parte ville, que dicitur Bochniz, et alia parte ville Odolitz dicte deo sancteque dei genitrici[p] Marie libera, sollempni[q] ac legittima donatione contulimus, presentis abbatis Ruthardi fratrumque presencium ac futurorum Cysterciensis ordinis usibus cum universo terrene utilitatis fructu, videlicet agris, pascuis, aquis, molendinis, piscacionibus, silvis, cultis et incultis perpetuo mancipanda. Sciendum preterea, quod ipsum cenobium Ossech[r] sub defensionem proteccionis nostre suscipientes pro ingenita largitate, liberatos a seculi actibus homines, libera[s] ab omni seculari exaccione predia habere decrevimus et statuimus, ne quis iudex, ne quis officiatus, ne qua plane sublimis humilisve persona in villis aut curiis, quas ipsi habitant, aliquam potestatem[t] exerceat vel tyrannidem,[u] non de excessibus rusticorum se iudicem interponat; sed[v] sive se mutuo vulnerent vel occidant, seu qualibet arte conturbent: ipsi cum consilio fidelium suorum, prout sibi viderint expedire, ordinent atque disponant. Remittimus quoque eis communes terre colectas cum iure vectigalium, que solent dare exeuntes in Copwiz,[x] et ne quis conprovicialium liminarem silvam[y] predio eorum contiguam ad aliquos usus presumat succidere, quia ipsis tantum in usus posteritatis sue habendam concessimus. Si quis ergo successorum nostrorum, si qua sane ecclesiastica secularisve persona hanc beneficiencie nostre libertatem sepe dicte ecclesie temerare presumpserit, deum[z] deique genitricem, cuius servis eam, dum nostre potestatis erat, obtulimus, pro despoliacione pauperum suorum iudices sustinebit. Huius rei testes sunt: Othaker qui et Primuzl[aa] rex tercius Boemie, Wladizlaus[bb] marchio Morauie, Cristanus cancellarius et prepositus Wissegradensis, Grabissa[cc] et Boguzlaus[dd] filii Zlauconis, Hageno et Petrus filii Milgozti.[ee] Ad huius igitur rei confirmacionem sigilli nostri, episcopi quoque Danielis, nec non et ecclesie Pragensis impressione munivimus hec et confirmavimus. Huius quoque rei testes sunt: Daniel secundus ecclesie Pragensis epi-

---

357. *l)* ‚Milgorto‘ *C.* — *m)* ‚ss‘ *ex* ‚zz‘ *corr. in C.* — *n)* ‚Hirnsher‘ *C.* — *o) in litteris Innocentii III papae, supra num. 64, villa haec* ‚Griwatetz‘ *vel* ‚Grouwatz‘ *appellatur.* — *p) ex* ‚genitrice‘ *eod. atramento corr. B.* — *q)* ‚solemni‘ *C.* — *r)* ‚Ossek‘ *B.* — *s)* ‚liberos‘ *B.* — *t)* ‚aliqua potestate‘ *C.* — *u)* ‚tirranidem‘ *C.* — *v)* ‚scilicet‘ *B.* — *x)* ‚Copwist‘ *C.* — *y)* ‚sylvam‘ *B.* — *z)* ‚Domi‘ *C.* — *aa)* ‚Ottaker qui et Primisl‘ *C.* — *bb)* ‚Wladislaus‘ *C.* — *cc)* ‚Hrabissa‘ *C.* — *dd)* ‚Boguslaus‘ *C.* — *ee)* ‚Milgosti‘ *C.*

scopus, Pribizlaus[ff] decanus, Wezemilus archidiaconus Bechinensis,[gg] Walcinus,[hh] Johannes, Vitalis cellerarius, Laurencius, Mirozlaus,[ii] Fridericus, Matheus, Witigo archidiaconus. Acta sunt hec anno incarnacionis dominice MCCIII,[kk] epacta VI, concurrente II, indictione VII.[5] Data Prage per manus Cristani[ll] cancellarii et Benedicti scriptoris, sigillata autem per manus Anshelmi VIII kalendas maii.

358.

(FALSUM SAEC. XIII.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Hradiště donationem silvae Střelná a fratre suo Henrico Vladislavo, marchione Moraviae, factam confirmat. — 1203 iun. 20.

Apographum saec. XVII praebet M. Siebenaicher, Hist. relatio de conditoribus ... mon. Gradic., cuius cod. ms. in tabulario terrae Moraviae Brunnae asservatur, tom. I. fol. 51v—52r (B). — Alterum apogr. eiusdem temporis exstat in eiusdem operis appendice fol. 272v (C).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 17, num. 12 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 215, num. 471 (exc.).

Charta illo, ad quem refertur, anno data esse non potest, quod in temporis nota Arnoldus cancellarius nominatur, qui dignitatem hanc ante annum 1225 consequi non potuit. Quam ob rem ipsam spuriam esse puto eodemque tempore confectam atque chartam Henrici Vladislavi marchionis, quae legitur sub num. 356, ad quam provocat. Cum qua quidem charta ea ad verbum concordant, quae hic litteris minoribus imprimuntur. Charta fortasse ad eundem auctorem referenda est, qui chartam marchionis composuit.

In[a] nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Ottocarus, qui et Przemizl,[b] dei gratia rex Bohemiae,[c] ecclesiae Gradicensi et fratribus ibi nunc et in futurum degentibus in perpetuum. Solet regiae dignitatis clementia iustis petentium votis assensum benevolum commodare et ea, quae a rationis[d] tramite non discordant, efficaci fine complere. Noscant igitur tam praesentes quam futuri et posteri, quod nos totius ambiguitatis scrupulum, qui calumnia oriente saepe solet evenire, reprimere cupientes, donationem nostri fratris Wladislai, Moraviae marchionis,[e] in silva Strzelna nuncupata, sita inter Odram ac Morawicham,[f] ecclesiae Gradicensi factam ratificamus[g] et iure perenni confirmamus[h] iuxta formam donationis et privilegii

---

357. *ff)* ‚Pribislaus' *C.* — *gg)* ‚Bachinensis' *B, C.* — *hh) ita (loco* ‚Walcunus'*) B et C.* — *ii)* ‚Miroslaus' *C.* — *kk)* ‚millesimo ducentesimo tercio' *C.* — *ll)* ‚Cristanni' *C.*

5) *Indictionem scriba perperam computavit; ad annum 1203 indictio VI pertinet.*

358. *a) Apographo C praefixa est inscriptio:* ‚Ottacarus, qui et Przemislaus, Boemiae rex, donationem sylvae Strzelna per Wladislaum, marchionem Moraviae, monasterio Grad. factam confirmat'. — *b)* ‚Przemislaus' *C.* — *c)* ‚Boemiae' *C.* — *d)* ‚remotionis' *C.* — *e)* ‚march. Mor.' *C.* — *f)* ‚et Moravicham' *C.* — *g)* ‚fratribus ratificantes' *C, ubi etiam sequens* ‚et' *omissum est.* — *h)* ‚duximus confirmandam' *C.*

dictae ecclesiae super hoc collati,[1] de verbo ad verbum, de articulo in articulum sub eisdem[i] testibus roborantes. In cuius rei evidentiam et perpetuam firmitatem praetaxatae confirmationis praesens scriptum sigilli nostri charactere[k] iussimus insigniri. Datum per manus domini Arnoldi, praepositi Wissegradensis, nostri cancellarii, anno dominicae incarnationis MCCIII,[l] indictione septima,[2] XII calendas iulii.

359.

(FALSUM SAEC. XIII. EX.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Ostrov proventus de poenis iudicialibus, quas homines ipsius monasterii solvere deberent, concedit et capellam sancti Jacobi in Domažlice restituit; idemque omnes possessiones, quas monasterio praedecessores sui et nobiles Bohemiae donaverant, confirmat.

Pragae 1205 ian. 17.

Charta diplomatis autographi instar in membrana scripta in tabulario principis de Schwarzenberg in Třeboň (Wittingau) asservatur (A).

Piter, Thesaurus absconditus in agro seu monasterio Brzevvnoviensi, pag. 151 — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 29, num. 25 — Erben, Reg. Boh. I, pag. 222, num. 489.

Chartam saeculo XIII exeunte confectam esse literarum formae manifesto ostendunt. — Chartae sermo et praecipue intitulatio verbis insolitis elata suspicionem commovet. Accedit, quod in chartae fine Rapoto cancellarius nominatur, cum re vera anno 1205 Christianus, praepositus Pragensis, munus illud sustinuerit. Quibus circumspectis dubitari non potest, quin charta adulterina sit. — Chartae auctori verum quoddam Otakari regis diploma prae manibus fuisse verisimile est, quod eodem fere tempore datum erat atque illud, quod monasterium in Plasy anno 1207 ab eodem rege accepit. Quae sententia eo potissimum comprobatur, quod nonnulli chartae nostrae testes etiam in diplomate illo adferuntur et Rapoto ibidem etiam cancellarius appellatur. — Ea quae de donationibus per superiores Bohemiae duces et nobiles quondam factis in charta nostra referuntur, sine ulla dubitatione ex antiquis notationibus vel libellis, qui memoriae causa in monasterio ipso per annos conficiebantur, congesta sunt. Notationum istarum verba, quantum coniectare licet, chartae auctor maximam partem satis accurate descripsit, illo tantum discrimine interposito, quod in singulis notationibus nonnulla vocabula addidit eo consilio, ut narratio continua conformaretur. (Quae vocabula uncinis huius formae: ⟨⟩ interclusimus.) Ceteroquin chartae nostrae auctorem verbis ipsis uti, quibus singulae notationes conscriptae erant, evidentissime illae notae ostendunt, quae de Pravotae, Vchynae, Asini, filii Hozeae donationibus referuntur (Vid. pag. 382, 27; 382, 34; 383, 8.)

§ In nomine sancte et individue trinitatis. Amen. § Gracia, salus et pax sit in manus[a] Premislonis, illustris regis Bohemorum. Notum sit universis Christi fidelibus, presentibus et futuris, nos consilio pie caritatis inductos et

358. *i)* ‚supersedentibus' *C.* — *k)* ‚caractere' *C.* — *l)* ‚1203' *B.*

1) *Vide num. 356.* — 2) *Indictionis numerus cum anno non congruit; ad a. 1203 enim indictio VI pertinet.*

359. *a) ita A.*

presertim intuitu salutis nostre presentis et venture, libertati ecclesie || Ostrowiensis propter adversitates, quibus frequentissime concutitur, misericorditer providisse et eam ab omni exactione vel solucione, que de iudiciis curie nostre penes instituta nostrorum antecessorum procedunt, totaliter exemisse. Ne igitur sequaces vel posteros nostros modulus huius libertatis latere possit, || graciam et misericordiam, quam prefate ecclesie liberaliter concessimus, in scripto presenti declarare statuimus. Si quis de hominibus eiusdem ecclesie in furto, vel homicidio, vel narok, vel swod, vel quocumque alio crimine deprehensus fuerit, ita quod causam suam excusare non valuerit, per iudices || condempnatus, quod meruit, paciatur; de rebus tamen ipsius, que ad usum nostrum et eorum, quos eiusdem iudicii aliqua porcio contingit, suprascripta ecclesia ad sue utilitatis commodum, prout sibi visum fuerit, dispensabit. Item si umquam homines prefati monasterii per quoscumque citari contigerit pro quacumque causa, non alias, sed tantummodo in iudicio Pragensi respondebunt. Insuper eciam capellam sancti Jacobi apostoli in Domaslich, que quondam a iurisdicione prenominate ecclesie per violenciam fuerat ablata, cum suis apendiciis[a] perpetuo possidendam restauramus. Ceterum[b] duos heredes nostros cum circuitu silve, que bonis ecclesie memorate adiacebat, in villa Trebenycich eidem ecclesie addidimus; custodes autem in villa Otrocynyeves, quos quondam eadem ecclesia per violenciam occupatos ammiserat, ecclesie sancti Johannis Baptiste in Ueliz, suffraganee[c] sue, ad quam, sicut pro certo comperimus, pertinere noscuntur, ascribentes, in perpetuum reddidimus possidendos. Omnes eciam actus bonorum principum, quantum circa monasterium Ostrouiensis abbacie studiose egerint et egregia fundacione, donacione seu confirmacione privilegiorum suorum memoriam sui fecerunt, in unum collecta, incipientes a primordio fundacionis eiusdem monasterii, omnes possessiones seu dotes, vel cetera deo collata,[d] ut in conspectu presencium et futurorum robur obtineant veritatis et in eternum stabili confirmacione inviolata permaneant, in unum colligi et conscribi iussimus in hunc modum: Anno dominice incarnacionis millesimo. Gracia dei dux Boleslaus, ⟨filius sevi Boleslay, per omnia vere katholicus,⟩ amore fidei inflamatus, postquam multa ecclesiis dei utilia ordinavit seque viam universe carnis ingressurum persensit, fervens in spiritu caritatis, locum quendam servis dei per quosdam nobiles invenit et eum in honore sancti Johannis Baptiste et aliorum sanctorum confirmari precepit, preficiens ei quendam bone vite virum, nomine Lantbertum, ordinis sancti Benedicti monachum, ab Altaensi monasterio evocatum, vere Israelitam, in quo dolus non erat, quem filio suo ⟨tercio⟩ Boleslao, satis industri viro, licet invalitudine corporis attactus sollicite coram primatibus suis commendavit et eum abbatem vocari et esse precepit. Igitur glorioso duce Boleslao ex hac luce subtracto,[1] filius eius ⟨tercius⟩ Boleslaus, paterni precepti non immemor, predictum abbatem piis moribus ornatum ⟨tunc

359. *b)* ‚ceturum' *A.* — *c)* ‚suffragenee' *A.* — *d)* ‚collota' *A.*

1) *Obiit a. 999 febr. 7.*

temporis⟩ episcopo Theadago commendavit et in sui presencia, prout pater postulaverat, eum ordinari precepit atque loci ipsius situm et amplitudinem in sui curam suscepit ⟨et, ut post patuit, omnium bonorum inceptor et stabilitor, per semitam iusticie ardenter cucurrit⟩ et, ne quis tam boni propositi a diabolo deceptus destructor in futurum existeret, Pragensis ecclesie presulem adiit, hoc ipsum perpetuo anathemate cum Juda traditore et eius sequacibus innodandum esse peciit, cunctis tunc presentibus acclamantibus: Amen. Hec sunt ville et alia bona, que contulit bone memorie Boleslaus dux: Wodochoty, Zaiecye, Blasin cum circuitu silve; de familia autem has villas: Sazawa, Sedlce, Myechinicy; piscatores autem Drazowichich, Trebani, Lahowicyh. Odalricus ⟨pie memorie⟩ dux[2] oracionis causa ad[e] Ostrowiense cenobium hec donaria tradidit verbis interpositis, ut si umquam quis hominum ab hoc monasterio hec auferre molitetur, eterno vinculo cum Juda avaro et impio anatematis plecteretur: Swoysicyh, Nahorubyech, Poryesichyh. Brecyslaus,[3] ⟨bone indolis tyro, postquam sedem paterni ducatus obtinuit,⟩ hec dona deo[f] et sancto Johanni Baptiste Ostrow, pro remedio anime sue suorumque parentum tradidit: Cvsowicyh debitores mellis, capellam quoque in spelunca sancti Johannis Baptiste huic loco addidit. Insuper et custodes ipsius ecclesie Chrustimichih et Nuncycyh, villam cum hospitibus Sedlce; item aliam capellam in Veliz cum omnibus apendiciis[a] suis dedit; piscatores Drazowycyh, custodes eiusdem ecclesie Otrocynyewsy, Cyrninye terram ad quatuor aratra; circuitum quoque silve, quod dicitur Zaton, et capellam beati Johannis Baptiste cum omnibus ad eam pertinentibus. Domaslicyh civitate eciam ebdomadam decimam theloney contulit cum capella beati Jacobi apostoli cum omnibus apendiciis[a] suis. ⟨Inter hec⟩ Spitigneus, dux Bohemorum,[4] villam Trebenicyh pro remedio anime sue suorumque addidit, Hercaz eciam quosdam homines, qui ter in anno scutellas et cetera utensilia solvant. Wratislaus, dux Bohemorum,[5] ⟨succedens in paternum solium non mediocriter cepit insudare, qualiter locum beati Johannis Baptiste, quod est Ostrow, dilataret et⟩ ob memoriam sui antecessorumque suorum multa utilia in diversis locis contulit, id est: villam Chrynany, aliam quoque villam Wsetycyh, villam quoque, que[g] dicitur Nouesedlo. ⟨Hic⟩ Wratislaus ⟨postposito nomine ducis⟩ rex ⟨apellatus⟩ multa ecclesie prefate donaria dedit, casulas et pallia et alium ornatum in diversos usus; villam eciam Stalowye dedit, insuper et Zymas terram plus quam ad decem aratra cum silva. Qui rex, ut prudens homo, precavens in futurum, ne quis emulus prosperitate habita, hec perverteret, Jaromiro, suo fratri, ⟨tunc temporis⟩ Pragensi episcopo,[6] id iniunxit, ut astantibus primatibus Bohemorum necnon et omni plebe eternali vinculo omnes malivolos necnon et destructores ecclesiastice utilitatis innecteret et cum Juda traditore eterno igne puniendos diabolo

359. *e)* ‚ab' *A.* — *f)* ‚do' *sine titulo A.* — *g) Eadem manu postscriptum A.*

2) *1012—1034.* — 3) *1034—1055.* — 4) *1055—1061.* — 5) *1061—1085 iun. 15.* — 6) *1068—1090 iun. 26.*

committeret. ⟨Post decessum vero Wratislay, bone memorie Bohemorum regis,⟩ Conradus[7] ⟨principatum fraternum obtinuit, qui⟩ deo et sancto Johanni Baptiste in Ostrow pro adipiscenda eterna requie hec beneficia addidit: Krawsco in provincia Znoymensi, ubi habetur de terra plus quam ad quadraginta aratra; insuper et silvam addidit, in Bohemia autem predium Zahoregewicy et villam Chrabercyh. ⟨Hoc eciam pie memorie viro de hac vita subtracto⟩ Brecislaus[8] ⟨iunior, id est filius regis Wratizlay, in ducatum succedit, qui eciam⟩ monasterio Ostrowiensi pro anima sua suorumque omnium dedit capellam sancti Petri, apostolorum principis, cum terra ad quatuor aratra et partem fluminis de Blanyeye.[h] Swathopluch,[9] ⟨dei gracia Bohemorum ducatum cum obtinuisset,⟩ pro absolucione suorum peccaminum Boyanowicyh villam contulit deo[f] et beato Johanni Baptiste Ostrow perpetualiter possidendam. Hec sunt beneficia primatum: Mladota ⟨quorum egregius primas⟩ Colowrachih terram dedit ad quatuor aratra cum pomerio et aliam terram, que dicitur villa Wrysowicyh, ad duo aratra. Nozislaw ⟨egregius⟩ miles dedit terram ad quatuor aratra in villa, que dicitur Dobric, cum pomerio et cum silva. Swoysye ⟨eciam famosus⟩ comes dedit terram ad tria aratra, et hoc in villa Crynucy, Naturscye et aliam terram ad duo aratra in villa, que dicitur Chomutowycyh. Zbraslaw ⟨quoque, magne memorie vir,⟩ beato Johanni Baptiste in Ostrow beneficium tale contulit, videlicet capellam sancti Adalberti cum terra ad quinque aratra in villa Thuclecyeh, que eciam dicitur Hawrani. Chotymyr, ⟨bone indolis vir,⟩ filius Hilconis, dedit terram ad aratrum in villa, que dicitur Bratryenow. Insuper et Criss cum fratre Priestano, de stirpe predicti Chotyemyri, terram ad tria aratra in villa, que dicitur Sedlec, dedit. Paulus ⟨eciam magni nominis homo, attavus Climate de Wsenor,⟩ terram ad unum aratrum in villa Borenowicyh cum silwa dedit. Dluhomilus, filius Cryssye, ⟨magne nobilitatis vir,⟩ Mezun totam villam dedit cum tribus silvis. Ibidem[i] eciam Detricus de genere Wrsowic terram ad unum aratrum contulit. Notum sit omnibus vere fidei cultoribus, quod ego Prawota deo[f] et sancto Johanni Baptiste dono obtuli, quod a ducibus pro servicio merui, scilicet super flumen, quod dicitur Sazawa, naulum cum mensuris annone, quod michi et filiis meis prius solvebatur; insuper et villam, que dicitur Horuticyh, dedi pro anima mea sancto Johanni Baptiste. Bohacyegye, ⟨quedam⟩ matrona, nobilis Stephani uxor et mater Bohunye, Mascowicych[j] emit de terra ad tria aratra, quam deo et sancto Johanni Baptiste obtulit. Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod quidam miles nobilis, nomine Wchyna, predium, quod est in provincia Churym, cui nomen Postupicych, deo[f] et sancto Johanni Baptiste Ostrow, inviolabiliter contulit cum silva, insuper et terram ad aratrum cum curia et hoc in confinio Pragensis suburbii, et locum insule cum humulo, quod est in medio fluminis Wli-

359. *h) ita scriptoris incuria pro* ‚Blanycye' *A.* — *i) sequitur* ‚d', *sed cancellatum A.* — *j) sequuntur litterae* ‚de', *quae autem cancellatae sunt A.*

7) *1092 ian. 20 — sept. 6.* — 8) *1092 sept. — 1100.* — 9) *1107—1109 sept. 21.*

tawe. Cas ⟨eciam⟩ miles Networycych pro eterna requie ad duo aratra de terra contulit. Bolecey ⟨quoque⟩ miles capellam beati Adalberty, que[k] est Hrusicych, cum terra ad tria aratra et silvam aliamque terram ad duo aratra Vscicych deo[f] et sancto Johanni Baptiste obtulit. Gracia dei dux Wladislaus iunior,[10] ⟨nepos Wratislay, a Christo[l] succensus,⟩ cupiens particeps effici consorcio iustorum, ⟨quod iuste sibi optandum est et nostris oracionibus impetrandum,⟩ dedit silvam adiacentem prope predio sancti Johannis Baptiste, quod vocatur Putim, ubi est ecclesia constructa in honore beati Petri, principis apostolorum. Notum sit omnibus vere fidei cultoribus, tam presentibus, quam posteris eorum, quod quidam miles, nomine Asinus, filius Hozee, dedit quandam ecclesiam pro remedio anime sue suorumque parentum in loco, qui Crusina nuncupatur, et hoc ad monasterium sancti Johannis Baptiste Ostrow; predium quoque, quod est Pristupymy, ad idem monasterium obtulit et terram Pocatycych ad aratrum suficiens, et circa prefatam ecclesiam terram dedit ad aratrum. Hoc quoque tam boni propositi beneficium dominus Otto, duodecimus sancte Pragensis ecclesie episcopus,[11] cum ceteris fratribus tam[m] banno quam presenti scripto sanctivit, quod quicumque huius bone voluntatis propositum evertere voluerit, in extrema tremendi[n] examinacione iudicii non solum cum Juda, proditore domini nostri Jesu Christi, set eciam cum omnibus destructoribus ecclesiastice utilitatis racionem redditurus sit. Dobrowyest ⟨eciam,⟩ nobilis matrona, terram Lubochowicych ad tria aratra apposuit. Ut autem presentis nostre donacionis libertas robur firmitatis obtineat in eternum, ad maiorem ydoneitatem et fidem habendam, tam nostri quam et sanctissimi patroni nostri Wenceslay sigilli munimine specialiter presens scriptum cum supradictis donacionibus confirmamus, que[a] nomina testium, qui huic donacioni nostre presentes affuerunt et nostro facto consenserunt, subnotavimus. Sunt autem hec: Daniel episcopus Pragensis, Rupertus episcopus Morauiensis, Wladilaus frater noster, marchio Morauie, Theobaldus dux, Crynynus camerarius, Budiuoy iudex, Benedictus notarius, Slawko, Jaroslaus, Smilo, Arnust, Wilhelmus, Nostup, Diuys, Budislaus, Benes, Bohuslaus subcamerarius. Acta sunt autem hec anno incarnacionis Domini millesimo ducentesimo quinto. Datum per manus Rapotonis, regalis aule cancellarii, sexto decimo kalendas februarii, serenissimo Bohemorum rege Premislone curiam in octavis epiphanye Prage cum universis Bohemis celebrante. Si quis autem posterorum odio vel invidia ductus ea, que sepedicte ecclesie concessimus, aliqua temeritate vel pretexta supersticiose occasionis irritare[o] forte voluerit, eterni iudicis iram et tormentum inextinguibilis ignis cum Juda et Pilato se noverit incursurum.

Sigillum, quod autographo appendebat, iam avulsum et deperditum est.

359. *k)* ‚quod' (ꝙ) *scribae incuria A.* — *l)* ‚xp̄io' *scribae incuria habet A.* — *m)* ‚tan' *A.* — *n)* ‚t'remendi' *scribae incuria A.* — *o)* ‚tare' *eadem manu superscr. A.*

10) *Filius Vladislavi I ducis, postea ab a. 1140 febr. 17 dux Bohemiae.* — 11) *Recte XIII; electus die 23 febr. et consecratus 25 iun. 1140; obiit 1148 iul. 10.*

360.

(FALSUM SAEC. XIII. ALT. MED.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterii in Osek possessiones, quas ei Slávek, comes Bilinensis, aliique Bohemiae nobiles donaverunt, nominatim recenset; ius patronatus ecclesiae in Ostrov (Schlackenwerth) eidem concessum esse profitetur et possessiones illas protegendas suscipit. — *1207* —.

Charta autographi instar in membrana scripta in tabulario monasterii in Osek asservatur (A). — Notandum est, quod in libro privilegiorum eiusdem monasterii „Codex Damascus" dicto, qui saeculo XIV medio scriptus est, charta haec descripta non est, quamvis libro illo antiquior sit.

Jongelinus, Notitia abbatiarum ord. Cisterc., lib. V, pag. 9 = Sommersberg, Scriptores rerum Silesiacarum I, pag. 918 = Schoettgen, Analecta monii. Ossecensis, pag. 4 = Schoettgen et Kreysig, Diplomataria et scriptores hist. German. II, pag. 57 = Dobner, Annales Hagec. VI, pag. 629 = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 42, num. 35 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 229, num. 504.

Chartam post saeculum XIII medium confectam esse literarum formae manifesto ostendunt. Accedit, quod in chartae fine Benedictus cancellarius appellatur, qui munus hoc anno fere 1218 demum suscepit; unde chartam veram non esse colligi potest. Quae sententia etiam eo comprobatur, quod iuris patronatus concessio illius temporis usui non convenit. — Chartam anno 1272 vel paullo ante confectam esse cognosci potest ex Otakari II regis litteris die 16. martii anni illius datis, in quibus dicitur: „privilegia fratrum de Ozzek ... vidimus et audivimus per abbatem nobis predicte ecclesie presentata, quorum plenaria series exprimebat, quod collatio ecclesie in Slaukenwerd ad abbatem prenotate ecclesie spectaverit ab antiquo" *(vid. Emler, Reg. II, pag. 310, num. 775). — Chartae initium, ultima comminationis verba et fortasse etiam testes ex illo Otakari I regis diplomate deperdito descripta esse videntur, de quo in prooemio ad num. 357 mentionem fecimus. Ex eodem diplomate procul dubio etiam illa possessionum nomina descripta sunt, quae in charta nostra cum Innocentii III papae litteris a. 1207 apr. 2 datis (v. num. 64) concordant. Quae quidem nomina hic litteris minoribus expressa sunt. — (Scheinpflug, Die Urkk. im Kloster-Archive zu Ossegg, in: Mitth. der Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhm. VII (1869) pag. 188 sq. perperam putat chartam esse apographum, quod saec. XIV ex autographo genuino accurate descriptum erat).*

§ In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Othecarus, dei gracia Boemorum rex tercius, omnibus presentem paginam inspecturis in perpetuum. § ‖ Magna est super nos divine miserationis dispensatio, quę sic nostre salvationi providere dignata est, ut quos sciret eum sequi non ‖ posse omnia relinquendo, ipsos beatificari donaret de sua substancia pauperibus largiendo. Huius autem spei gracia a principibus ‖ terre construuntur ecclesie, fundantur cenobia et ab aliis ditantur fundata. Ex eorum itaque numero, qui terrenis celestia mercari decreverunt, fuit in diebus nostris vir strennuus et illustris, deo patrieque semper fidelis, Zlauco nomine, comes Belinensis; in qua provincia habens predium Ozzech dictum, obtulit illud aliaque presenti pagina comprehensa deo et sancte Marie,[a] usibus eorum, qui Christo

360. a) ‚Marie' *litteris maiusculis scriptum est A.*

illic militaturi sunt, perpetuo famulatura. Habuit quoque germanum Grebis dictum, virum in diebus suis potentissimum summumque camerarium, qui postquam viam universe carnis ingressus est,[1] eum supra dictus Zlawco in loco memorato cum patribus suis sepelivit statimque de claustro ibi fundando tractare cepit fundatumque de suis et fratris defuncti prediis decenter dotavit. Erant autem prius sanctificata hec in dotem antique ecclesie, scilicet: decimatio vini et frumenti in Swinshiz et una septimana in Grebissin, que duo Borsa germanus predictorum virorum obtulit, et filius eius Zlauco decimas suas in Odoliz superaddens, patris oblationem adauxit. Aliam eciam septimanam in Grebissin habet ipsa ecclesia, quam obtulit Jerozlaus de Zabrussan et patres[b] eius. At vero fundator cenobii Zlauco de prediis fratris sui Grebis, vices agens defuncti, obtulit cum consensu filiorum illius deo et sancte Marie[a] Bielne et Hirnscher cum terminis suis et partem ville Telci, quam a Bohuta commutaverat in Morauia, hisque addidit decimam septimanam fori in Mozta et partem ville Bogniz. Choiata autem, filius Grebis, ostendens favorem suum super oblationibus patris, obtulit decimas vini sui in Mozta. Sepe dictus vero fundator loci Zlauco de suis obtulit prediis Ozzech cum terminis suis, dimidiam villam Hain, Hirdloch, Sconvelt, Domazlawiz, Duban cum terminis suis. Decimas quoque suas obtulit istas, scilicet decimam septimanam in Zawidov, decimas frumenti in Briezin, vini et frumenti in Bethscov, et preterea terciam partem vini ibidem dedit ad opus lapidum. Hiis addidit araturam unam in Odoliz et mansus duos in Fridbach.[c] Denique Boguzlaus, Zlauconis filius, patris iuvando propositum, per manum regis dedit ecclesie sue molendinum iuxta Hostemiz et decimam frumenti in Sirnchov.[2] Item per manum regis et permissione domini Danielis, Pragensis episcopi, memoratus Boguzlaus dedit ius patronatus ecclesie in Zlaucowerde, ita statuens iam dictus episcopus, ut non mercenarium ibi, set legitimum locando vicarium ecclesie sue commodis, illa non destituta, ⟨debet abbas⟩[d] provide⟨re⟩.[e 3] Similiter eciam, ne iura vel utilitates diocesani vel archidiaconi ibi aliquam paciantur iacturam, ipse abbas cum fratrum suorum consilio debet omnimodis sollicitus esse. Item Boguzlaus per manum domini regis ibidem dedit villam nomine Pasengrune. Hec igitur bona, has possessiones, quas in presenciarum memorata possidet ecclesia Ozzech, nostra videlicet largitione aliorumque fidelium,[f] vel in futurum possidere debet, ego Otakervs, dei gracia rex Boemorum tercius, in protectionem regie potestatis nostre et in posterum nostrorum suscipimus; districte mandantes,

360. *b) ita A procul dubio scribae incuria loco* ‚pater'. — *c) Quae sequuntur, alio quidem atramento pallido, sed eadem manu scripta sunt A.* — *d)* ‚debet abbas' *alia, ut videtur, manus eiusdem temporis superscripsit A.* — *e)* ‚re' *in loco raso alio atramento scr.; primo hic* ‚provideant' *scriptum erat A.* — *f) sequitur* ‚possidet', *quod autem punctis subpositis deletum est, A.*

1) *Annus obitus eius nescitur; ad ultimum adfertur testis in diplomate Henrici Břetislavi a. 1197 [martio exeunte] dato, vid. Cod. dipl. Boh. I, 326, 29.* — 2) ‚Denique Boguzlaus — Sirnchov' *ad verbum repetuntur in Danielis episcopi charta spuria num. 362.* — 3) ‚ut non mercenarium — provideant' *ad verbum repetuntur in Danielis episcopi charta spuria num. 362.*

ne quis iudex provinciarum vel alius aliquis in his vel in aliis bonis suis fratres de Ozzech ledere presumat, et si leserit, deum deique genitricem beatam Mariam iudices sustinebit.[4] Huius rei testes sunt: ego Otakerus rex,[5] Zlauco fundator et filius suus Boguzlaus, Vnecs, Heinricus[g] de Wira, Johannes de Lûn, Pil Bogzlauviz et alii quam plures. Datum per manum Benedicti cancellarii, anno MCCVII. Amen.[h]

Duo sigilla, quae chartae e scidulis membranae appendebant, abscissa sunt. Pro quibus alia duo sigilla, quae ad aliam quandam chartam scidulis membranae appensa erant, postea chartae nostrae filis cannabinis inepte adsuta sunt. In primo sigillo, quod ad saeculum XV referendum est, scutum conspicitur, cuius insigne est balteus undulatus cum tribus cordibus. Circumscriptio: ✠ S. ALBERTI · DE · KRIR.·.RBR. *In altero sigillo, quod ad saeculum XVI spectat, arma depinguntur, quorum insigne est monoceros. Circumscriptio:* IAN ORNIS z · P[au]M[berka].

361.

(FALSUM SAEC. XIII. ALT. MED.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterium in Osek protegendum suscipit eique communem terrae collectam remittit, praedium in Hošnice partemque proventuum de theloneo in Kopisty et in via monasterio proxima donat, thelonei libertatem in provinciae Bilinensis foris concedit; idemque abbati potestatem dat de hominibus monasterii iudicandi. Apud Osek 1208 apr. 25.

Apographum saec. XIV servavit liber privilegiorum „Codex Damascus" dictus, qui in tabulario monasterii Osek asservatur, fol. 3^{r}—4^{r} *(B).*

Erben, Reg. Boh. I, pag. 232, num. 510 (fragmenta) — Scheinpflug, Die Urkk. im Kloster-Archive zu Ossegg, in: Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutsch. in Böhmen VIII (1870), pag. 36, num. 3 (reg.).

Mirum, quod charta per manum Christiani cancellarii data est, qui procul dubio iam anno ante e vita discessit; nam diplomate num. 74 teste, anno 1207 cancellarii munere Rapoto fungebatur et praeposituram Pragensem Andreas canonicus adeptus est. Accedit, quod hominum monasterii de iudicii saecularis potestate exemptio et iurisdictio abbati concessa cum illius temporis usu et consuetudine prorsus discrepant. Quibus circumspectis dubitari non potest, quin charta tempore multo posteriore confecta atque spuria sit. — Illa, quae in priore chartae parte usque ad verba „Preterea memoratis fratribus" *continentur (sed excepta donatione thelonei nonae septimanae in Kopisty et dimidii thelonei in via claustro proxima) conscripta esse videntur ad exemplum illius diplomatis deperditi, de quo in prooemio chartae num. 357 commemoravimus. — Chartam post saeculum XIII medium*

---

360. *g)* ‚n' *eodem atramento ex* ‚d' *correctum est A. — h)* ‚Amen' *literis maiusculis, quae lineis ~ et punctis separatae sunt, scriptum est A.*

4) *verba* ‚deum — sustinebit' *etiam in chartis num. 357 et 361 leguntur, quam ob rem ipsa ex Otakari regis diplomate deperdito (de quo cf. prooemium ad num. 357) descripta esse puto. —* 5) *Nomina testium, quae sequuntur, leguntruetiam in Danielis episcopi charta spuria num. 362.*

confectam esse, ex eo cognosci potest, quod locus de iudiciali exemptione nonnulla illius chartae spuriae verba repetit, quam sub num. 357 dedimus. Cum eadem charta etiam chartae nostrae exordium et nonnulla comminationis verba concordant, quae litteris minoribus imprimi curavimus.

In[a] nomine sancte et individue trinitatis. Ego Othekarus *, dei gracia Boemorum rex tercius, omnibus presentem paginam inspecturis salutem. Gloriosum est plane et virtuti proximat suum quemque honorare principium; ideoque sicut a rege regum regni dignitatem, et a Domino dominancium dominatus terreni percepimus gloriam, ita salutis nostre racio ea congruentissima est, ut quem imitari videmur officio potestatis, illi quoque conformari laboremus pietate misericordie et miseracionis. Huius ergo virtutis vestigia, prout graciarum dator dedit, secuti, notum facimus universis Christi fidelibus, qua compassione, quo patrocinio, qualique liberalitate ecclesiam sancte Marie in Ozzek in tuicionem regie maiestatis susceperimus, a nobis ita et a successoribus nostris perpetuo defensandam, sicut ab omni malo tueri et defensari volumus per advocatam ipsius beatam Mariam. Tante enim regine gracia communem terre collectam, que vulgo berne vocatur, remisimus per cuncta predia sua, numquam a nobis, numquam a posteris nostris perpetuo repetendam. Dedimus quoque fratribus memorate ecclesie predium nostrum in Hosniz, quod more terre nostre duo rustici dedin iure possederant. Super hec eciam cum consilio et consensu principum dedimus eis theloneum none septimane in Coppitz et dimidium theloneum tocius anni in semita claustro proxima.[1] Et hanc denique ipsis indulsimus libertatem, ut in supra dictis duabus viis nullus ab egredientibus vel redeuntibus theloneum presumat exigere imperpetuum, qualemcumque substanciam vel qualiacumque animalia aut eciam personas educant vel reducant, sive ipsorum aliquis presens fuerit, seu per familiam suam, ut fieri solet, sua negocia exercuerint. Absolvimus quoque eos et liberos esse decernimus ab omni thelonei exaccione in foro Belinensi et in singulis ipsius provincie foris, tam in emendo quam in vendendo, vel eciam res suas via publica transferendo. Preterea memoratis fratribus ob honorem et reverenciam summi iudicis omnem iudicii nostri exsecucionem super universos homines eorum predia habitantes remisimus, precipientes et ratum esse perpetuo statuentes, ut nullius comes provincie, nullus iudex aut villicus, nulla plane sublimis humilisve persona in omnibus provinciis nostris de excessibus rusticorum eorum se iudicem interponat, set cuiuscumque criminis inter eos causa agatur, incendii, furti, rixe, vulneris vel eciam mutue occisionis, totum per abbatem et fratres predicti loci iudicetur nulloque mediante, nisi quem ipsi interesse rogaverint, terminetur. Hee sunt itaque donaciones, hee

361. a) *Chartae apographo praemittitur in B inscriptio colore rubro scripta:* ‚Privilegium domini regis Othekari de remissione berne et thelonei et proteccione ecclesie nostre et quorumdam bonorum eiusdem.'

1) *Quae hic de thelonei in Kopisty et in semita claustro proxima donatione scribuntur, iisdem fere verbis etiam in Danielis episcopi charta spuria num. 362 leguntur.*

libertates, hec consolaciones, quibus ego Othekarus, Bohemorum rex tercius et peccatorum primus, pauperibus Christi in Ozzek benefacere dignum duxi, ut eorum oracionibus liberer et consoler in die iudicii. Huius rei testes sunt:[2] Milhozt, qui primo conventum de Waltsassen adductum in Mastow locaverat, Vnecs et Johannes frater eius, Shutbor de Jamni, Heinricus de Wira, Jerozlau de Zabrussan, Martin frater Petri Ros,[b] Pil Bogzlawitz, Johannes de Lun, Martin de Bresscan et frater eius Waurenz et alii quam plures. Data Ozzek anno primo positi fundamenti nove ecclesie, anno dominice incarnacionis MCCVIII. Quecumque ergo sublimis humilisve persona, quicumque eciam successorum nostrorum has supradictas oblaciones nostras violare aut auferre presumpserit, deum deique genitricem beatam Mariam, cuius servis ea bona dum fuerunt nostre potestatis, regia munificencia tradidimus, in novissimo die pro despoliacione pauperum suorum severos iudices sustinebit.[3] Ad plenam eciam confirmacionem huius rei sigillum beati Wenzezlai nostrumque[c] sigillum huic pagine iussimus appendi, ut universi cognoscant, si violare presumpserint, indignacionem beati Wenzezlai nostramque offensam se incursuros. Amen. Data per manum domini Cristiani cancellarii VII kalendas maii apud claustrum Ozzek, dum dominus rex Othakerus ibi esset, presente domino Hermanno abbate.

362.

(FALSUM SAEC. XIII. EX.)

Daniel II, episcopus Pragensis, monasterii in Osek possessiones et decimas atque libertates nominatim recenset eique ius patronatus ecclesiae in Sayda (Zavidov) concedit. *In Osek 1209 sept. 3.*

Apographum saeculi XIV medii servavit liber privilegiorum „Codex Damascus“ dictus, qui in tabulario monasterii Osek asservatur, fol. 10v—11v (B).

Erben, Reg. Boh. I, pag. 236, num. 519 (fragm.) = Frind, Kirchengesch. Böhmens I, pag. 411, num. 11.

Mirum quod in charta ius patronatus conceditur, quod cum illius temporis usu et consuetudine omnino discrepat. Accedit, quod locus de iuris patronatus in Sayda concessione et de molendini apud Hostomnice donatione ad verbum fere descriptus est ex Otakari I regis charta spuria num. 360, quae anno fere 1272 confecta erat. Quam ob rem etiam charta ista adulterina sit necesse est. Cui sententiae congruit, quod in charta nostra plures possessiones nominantur, quam in confirmatione Innocentii III papae data a. 1207 apr. 2 (num. 64), cum qua etiam illa discrepant, quae de thelonei in Kopisty et in via monasterio proxima donatione charta nostra refert. — Chartam anno fere 1287 confectam esse verisimile est, quod die 7. maii anni quem dixi Henricus, marchio Misnensis, monasterio Osecensi ius patronatus in Sayda confirmavit his verbis: „omnia iura, que ... abbas et conventus

361. *b)* ‚Petirros‘ *B.* — *c)* ‚que‘ *alio atramento superscriptum est B.*

2) *Nomina testium, quae subsequuntur, omnia eodem ordine adferuntur etiam in Danielis episcopi charta spuria a. 1209 sept. 3 data (vid. num. 362).* — 3) *Cf. not. 4 ad num. 360.*

in Ozzek ... in iure patronatus ecclesie seu parrochie in Saydow ... habere dinoscuntur ex antiquo ac privilegiis ac aliis documentis poterunt edocere, ... rata et grata habemus“ *(Emler, Reg. II, p. 604, num. 1407). — Attamen non negaverim monasterium in Osek habuisse veram quandam Danielis episcopi chartam paullo post annum 1207 datam, quae fortasse etiam ab illo scriba confecta erat, quem nota* ‚Otakarus 3‘ (= ‚Daniel 1‘) *signavimus. Ex qua quidem charta fortasse verba* ‚populo qui nascetur natoque‘ *impostor recepit, quae etiam in charta spuria num. 357 occurrunt. Ex eadem charta vera, quae iam dudum periit, praeterea nomina canonicorum, qui in charta spuria num. 357 testes adferuntur, descripta esse verisimile est.*

Daniel,[a] dei gracia sancte Pragensis ecclesie vocatus episcopus, universis presentem paginam inspecturis salutem et fidei pietatem. Quoniam divina disponente clemencia cathedram sancte Pragensis ecclesie, licet immerite occupatam, prout Dominus dederit, gubernamus: idcirco subiectorum sacrificia et elemosinas de manibus ipsorum receptas ex officio sacerdocii deo sanctificare tenemur ipsasque nichilominus oblaciones pauperibus Christi, quorum sustentacioni subserviunt, auctoritate qua fungimur, debemus populo qui nascetur natoque nunciare signatas. Inde est, quod dum Zlaucone nobili viro nos invitante venissemus in Ozzek, dilectam sibi et bone spei novellam fundacionis sue plantacionem, cum ad benedicendum cymiterium et altare apostolorum Petri et Pauli rite accederemus, interrogatus a nobis ipse et alii, de quorum beneficiis ecclesia memorata fundari ceperat, invenimus subscriptos reditus ac possessiones deo et omnibus sanctis, specialiter autem sancte Marie ac beatis apostolis Petro et Paulo ab ipsis esse oblatas, quas eciam confirmacione domini Innocencii pape tercii[1] nec non et privilegio Othecari, regis Boemie,[2] perspeximus fuisse munitas. Quia vero hiis duobus nostra quoque auctoritas accedere debuit, ut fieret indissolubilis quodam modo triplex funiculus,[3] idcirco et nos reditus atque predia, quibus eo tempore memorata gaudebat ecclesia, presenti pagina commemoramus et sub protectionem patronorum nostrorum sancti Viti, Adalberti et Wencezlai colligimus:[4] locum ipsum Ozzek cum silvis, pratis, campis et pascuis suis, Hagin, Domazlawitz, Hirdlouc, Sconuelt, Bresan,[5] Bognitz partem, Hirnscher, Bilen, Hosniz partem, Naposcherad, Odolitz aratrum unum, Griwatez vel Mnichow, Telci ad tria aratra, in Fridbach unum mansum, Lasan, Wissoczan. In decimis autem hec possidebant: in Odolitz decimam frumenti, vini et caseorum, in Swinsiz similiter, in Bethscowe vini et caseorum,[6]

362. *a) In B praemittitur inscriptio colore rubro scripta:* ‚Privilegium domini Danielis, Pragensis episcopi, super omnibus, que possidebat ecclesia de Ozzek in die, quo dedicatum est cymiterium.‘

1) *A. 1207 apr. 2 data; vid. num. 64.* — 2) *De hoc privilegio iam deperdito cf. ea quae in prooemio ad chartam num. 357 commemoravimus.* — 3) *Cf. Eccle. IV, 12.* — 4) *Nomina et proventus, qui litteris minoribus imprimuntur, adferuntur in litteris Innocentii III papae a. 1207 apr. 2 datis (num. 64).* — 5) ‚Duban‘ *legitur hoc loco in eisdem litteris Innocentii III.* — 6) *In eisdem Innocentii III papae litteris hoc loco additur:* ‚in monte Gnewin Mozta decimam vini, Bresaz decimam frumenti‘.

in Merossowitz vini, in Lubtitz frumenti, in Grebissin duplicem decimam fori, in Ponte vini et fori, in Zawidow thelonei et iudicii decimam. Preterea fundator supra dictus ecclesie sue favens in omnibus, de villis, quascumque locare posset in silva ultra claustrum, taliter ordinavit, ut de expensa sua rura extirparentur et omnes reditus eorum dimidii forent ecclesie. Rex quoque memoratus, bene ceptis ipsius manum ingenite liberalitatis apponens, dedit predictis fratribus nonam septimanam de teloneo in Copitz et de semita claustro proxima ⟨totum⟩ dimidium,[7] insuper et communem terre collectam, quam berne vocamus, per omnes villas ipsorum eis remisit atque, ut per omnes Belynensis provincie semitas sine teloneo exeant et merces suas libere transferant, clementer indulsit. Nos etiam sepe dicti fundatoris inducti precibus,[8] ius patronatus Zawidoensis parrochie eisdem fratribus habendum statuimus, ita tamen, ut non mercenarium ibi, sed legittimum locando vicarium ecclesie sue commodis, illa non destituta, provideant, et ne iura vel utilitates diocesani * ibi aliquam paciantur iacturam, omnimodis elaborent. Denique Bogzlaus, Zlauconis filius, patris iuvando propositum, * dedit ecclesie sue molendinum iuxta Hozstemiz et decimam frumenti in Syrnchow. Quecumque igitur bona, quascumque possessiones memorata ecclesia in presenciarum iusto tytulo bona fide quesita possidet, sive in futurum diversis modis largicione principum, donacione fundatorum aliorumque fidelium, pauperum vel sublimium elemosinis canonice optinebit, omnia ipsius monasterii, res scilicet et personas in proteccionem pontificatus nostri auctoritate qua fungimur recolligimus et districtam dictante iusticia sentenciam promulgamus, ut quecumque ecclesiastica secularisve persona, si quis eciam de fundatoribus, ipsorum terminos coartare, predia spoliare vel tollere, substanciam distrahere, personas molestare temptaverit, auctoritate dei omnipotentis, patris et filii et spiritus sancti, beate Marie semper virginis ac beatorum apostolorum Petri et Pauli anathema sit, ita ut neque sepulturam cum fidelibus, nisi resipuerit, mereatur. Huius rei testes sunt: Zlauco fundator et filius eius Bogzlaus, Zlauco filius fratris[b] ipsius Borse, Milhozt,[9] qui primo conventum de Waltsassen adductum in Mascow locaverat, Vnecs et Johannes frater eius, Johannes eciam filius Vnecs, Shutbor de Jamni, Heinricus de Wira, Scazlau Luthognewitz, Jerozlau de Zabrussan, Martin frater Petri Ros,[c] Vbischezt et privigni sui Bogzlau et Wilsch, Martin de Medwediz, Johannes de Lun, Pil Bogzlawiz, Martin de Bressan et frater eius Waurenz, Wsebor dapifer Zlauconis, Predworez pincerna eius, Johannes thelonearius eius, Beneda et filius eius Thirsech de Grussowan, Scyrnech villicus Zlauconis, Budcho de Cirdow, Nerad de Rohozne, Witas villicus

362. *b)* ,patris' (p̄r̄s) *distincte habet B, quod describentis incuria procul dubio factum est.* — *c)* ,Petirros' *B.*

7) *Cf. autem Innocentii III papae confirmationem (num. 64), in qua dicitur:* ,libertatem exeundi terram sine thelonio duabus semitis, Copicz videlicet una et alia monasterio de Ozzek proxima.' — 8) *Verba litteris minoribus impressa quae sequuntur, ex Otakari regis charta spuria num. 360 descripta sunt.* — 9) *Testium nomina litteris minoribus impressa etiam in charta spuria Otakari regis num. 361 adferuntur.*

de Zwetiz et alii multi. Data Ozzek III nonas septembris, die benediccionis cymiterii et consecracionis altaris apostolorum Petri et Pauli anno dominice incarnacionis MCCVIIII sub rege Boemie Othekaro, tempore quo rex Otto de Brunswich Rome in cesarem ungebatur,[10] anno XVI egressionis conventus de Waltsassen in Mascow, translacionis autem eorum in Ozzek anno X, positi fundamenti anno III sub abbate Hermanno.

363.

(FALSUM SAEC. XIII.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterii in Zábrdovice protectionem suscipit, possessiones et libertates ei a Vladislavo, marchione Moraviae, concessas confirmat idemque villas, quas Leo de Klobúky cum coniuge sua monasterio illi donaverat, nominatim recenset. — — —.

Charta autographi diplomatis instar manu primae medietatis saec. XIII in membrana scripta in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A).

(Hugo) Sacri et canonici ord. Praemonstrat. annales II, Probat. pag. DCCXXXI. — *Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 57, num. 49.* — *Erben, Reg. Boh. I, pag. 242, num. 524 (frgm.).*

Mirum quod charta adeo inepte verbis contexta sit, ut in ipsa Vladislaus marchio in persona prima nominetur, cum de rege, a quo charta data esse fertur, bis in persona tercia loquatur. Porro notandum est, quod Vladislavo marchioni contra communem usum ducis ornamentum tribuitur. Mirum etiam, quod villarum Svinosici et Pribislauici nomina in Gregorii IX papae confirmatione, quae data est a. 1237 sept. 24 (Erben, Reg. I, num. 924), non adferuntur. Accedit, quod sigillum chartae appensum sine ulla dubitatione adulterinum est. Quibus circumspectis non dubito, quin charta spuria sit. — *Invocatio ex illo Otakari regis diplomate sincero procul dubio descripta est, de quo in prooemio chartae num. 364 commemoravi. Ex eodem diplomate etiam corroborationem descriptam esse mihi quidem videtur, quod iisdem verbis conscripta est atque in diplomate num. 59.*

In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. Ego Premisl, tercius rex Boemorum divina opitulante gracia, tam presentium quam[a] futurorum ‖ trado cognitioni, quod in honore beate Marie, matris Domini, cenobium quidam vir nobilis Leo de Clobuk in regno nostro et in principatu ‖ fratris nostri Wladizlay, principis Morauie, cum nostro[b] et fratris nostri consensu in comitatu Brnensi,[c] quod Zabridouich vocatur, fundavit, quod pro posse et fa‖cultate sua rebus mobilibus et inmobilibus ditavit; ita tamen, quod locus ille semper sit sub tuitione nostra et fratris nostri et successorum nostrorum, et quod gladius noster adiungatur gladio spiritali in illius loci

362. 10) *Ottonis coronatio die 4. octobris facta est; vid. Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, 1, pag. 97, num 301; cf. etiam Winkelman, Philipp v. Schw. u. Otto IV, tom. II, pag. 497.*

363. *a) super* ‚tam presentium quam' *eadem manus eodem atramento adnotavit:* ‚sancti spiritus assit nobis gracia' *A.* — *b) titulus super* ‚nro' *positus in loco raso eodem, ut videtur, atramento scriptus est A.* — *c)* ‚brēnīi' *A.*

deffensione, ut pariter suppleant, quod in uno minus invenitur. Huic itaque cenobio sancte Marie virginis ego Wladizlaus, dux Morauię, divina protectus gracia tam presentibus quam futuris do scire, quod ad refocillationem inibi degencium tres agros contuli ei adiacentes et silvam totalem, que Scalice dicitur, et fluminis meatum a molendino cuiusdam, qui Daren nuncupabatur, ad expiationem omnium animarum, ut a Sathane nexibus liberate, in qua sanctorum gaudent anime, eterna perfruantur ubertate. Omnes vero possessiones predicti cenobii a qualibetcumque exactionum emersione et collectarum infestatione et iniqua villicorum invasione fore decrevi liberas. Debent enim regum et principum esse firmissima benefitia, nec eis diminuitur, quicquid dei filio, creatori omnium, et eius piissime matri confertur. Ut autem hec omnia maneant[d] rata et inconcussa, hanc nostre confirmationis paginam sigillo regie potestatis fecimus muniri, decem marcarum auri ei penam inponentes, quicunque cum effectu ista temptaverit irritare. Huius rei testes sunt: dominus Heinricus archiepiscopus Gnesdensis, qui prefatam ecclesiam consecravit, dominus Danihel Pragensis episcopus, qui ibidem duo altaria consecravit, dominus Robertus Olomucensis episcopus, in cuius diocesi sita est ecclesia. Hii tres episcopi novem cereis ardentibus sentencia sanctorum apostolorum Petri et Pauli et auctoritate apostolici et dignitate,[e] quam habent, quicumque presentium vel futurorum hec statuta violaverint, excomunicaverunt, et perpetualiter Gehenne deputaverunt. Héé sunt autem possessiones, quas comes Leo Clobucensis, fundator sancti cenobii Zabridowicensis, votum deo creatori vovens ardenti desiderio conferre non hesitavit: parrochiam sancte Marie cum omnibus attinentiis, villam Svinosici, Pribislauici, Borcouani, Chanchouici. Coniux vero predicti comitis has possessiones erogavit, villam Ziretichi, Bysou cum armento viginti quinque caballarum et septem integris aratris et vaccis XXXX et ovium numero XL et ducentarum coram his testibus: Sobezlauus,[f] Theobaldus, Bolezlaus. Hii sunt nobiles Boemie, coram quibus hec omnia rex confirmavit: Andraas[g] prepositus, Slauco, Budiuog, Sobegrid, Paulicho, Bohuska, Gaulech. Tunc temporis[h] hec acta sunt, cum filia regis Ungarie in Teutoniam viro deportabatur; tunc rex Boemie fecit prandium die sabbati in Clobuch et die dominica in Zabridouich, et hec omnia tunc firmiter determinavit. Hii sunt nobiles Morauie, coram quibus hec omnia sunt terminata:[1] Pomgen de Thouachou, Budiuog Sebastienic frater eius Ben, Vnka filius Wliceh, Boruth filius Bolezlai, Vit, Olbram Velenouich, Leo Spitich; Detrih, Mutine, Sdislau Grutouici, Veriso Mrachotic, Nezamisl de Uranou, Perhter de Uranov, Hinricus, Troganus, Mangolt, Vernart, Olbram, uxor Artlebi, Himram, Hinricus iudex, Stephanus dapipher, Bolich, Hual, Benata, Sasin,

363. *d) sequitur* ,hec' *sed erasum A. — e) litterae* ,it' *eodem atramento superscriptae sunt A. — f)* ,Sobezlau⁹' *A. — g) ita A. — h) supra* ,te' *titulus omissus est A.*

1) *Testium nomina, quae sequuntur, immutato tantum ordine etiam in charta spuria num. 364 repetuntur.*

Peleg, Voyslau, Riuin, Gerart, Bsnata, Vncha Dmitrouic, Liholut, Hrosneta, Villem, Oldrih, Svatoslau, Sdislau Recmanicsci, Cstibor, Rac, Jan, Radoslau, Prestan, Buden, Vichart, Martin, Scribimir, Bedrih, Ratibor, Veliz, Velen, Vecemil, Diua, Predbor, Herman, Valter, Lstimir, Dobes, Samik, Detoh, Jan Bohusic, Nasen, Bludo, Ones, Pauel,[2] Prebor, Ratmir, Prebor, Leua, Pastuha. Super hec abbates: Hermannus de Gradisc, Ticęslinus primus abbas de Veligrad, Gerardus de Luca, Martinus de Trebec, Marsilius de Zelegou, Herloh de Milegou; Bogdalus prepositus de Caghrad,[i] Gauel prepositus de Luh, Christoforus prepositus, Sudko prepositus, Venus prepositus, cançellarius Johannes, Valterus decanus, Radoslaus filius Scehonis, Esau filius decani, Symeon, Rudolt. Notum sit omnibus, quod dux Vladizlaus de expeditione rediens deo et sancte Marie et comiti Leoni per preces Bogobudi silvam, que vocatur Obecski [k]; comendatores[l] hii sunt: Stephanus, Sudko, Johannes. Hii sunt, qui circuierunt metas: Bosco, Sdislau, Marquart, Vneg, Sdislau, Scribimir, Budech, Jan Mstislauic, Jan Ondregouic, Velen, Vecemil, Herman, Predbor, Lampert Rapotic, Sdislau Mucharouic, Bares frater eius, Velis Supcouic, Bosteh, Shoresina,[3] Mileg venator, Hoten villicus, Dobros, Rosneth de Sidinic.

Chartae appendet e filis sericis coloris rubri sigillum Otakari regis e cera naturali confectum eiusdem formae atque illud, quo diploma num. 57 instructum est. Cum autem nonnulli imaginis ductus (maxime in illa parte, in qua sanctus Venceslaus depingitur) bis expressi sint, dubium esse non potest, quin sigillum chartae nostrae posteriore tempore ad veri eiusdem regis sigilli exemplar imitando expressum sit.

364.

(FALSUM SAEC. XIII.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Zábrdovice possessiones a fratre suo Vladislavo, marchione Moraviae, et Leone de Klobúky, camerario provinciae Brunensis, donatas nominatim recenset idemque libertates, quas frater suus monasterio illi concessit, ratas facit. *In Brunna 1210 —.*

Charta autographi diplomatis instar manu primae medietatis saec. XIII in membrana scripta in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A).

(Hugo) Sacri et canonici ord. Praemonstrat. annales II, Probat. pag. DCCXXXIII *(ex confirmatione Vladislavi II regis Boh. data Budae 1483 apr. 28). — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 54, num. 48. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 240, num. 523 (frgm.).*

In nonnullis chartae formulis (invocatione, arenga, promulgatione et corroboratione) repetuntur quaedam proprietates stili illius auctoris, qui Otakari regis diplomata num. 59, 110, 239, 272 conscripsit. Sed chartam totam, ut nunc est, sinceram non esse mihi

---

363. *i) ita (loco* ‚Raghrad'*) A. — k)* ‚dedit' *vel simile verbum scribae incuria omissum est A; Boczek hoc loco* ‚cesserit' *ad suum arbitrium addidit. — l) ex* ‚comendatatores' *correctum A.*

2) ‚Pauel' *in charta num. 364 omittitur.* — 3) ‚Shoresina, *in charta num. 364 omittitur.*

quidem his de causis persuasum est: Sigilla, quibus charta instructa est, adulterina sunt. Praeterea nonnullae possessiones, quas charta monasterio datas esse refert, in confirmatione Gregorii IX papae a. 1237 sept. 24 data (Erben, Reg. Boh. I, num. 924) non adferuntur. — In charta conficienda impostor sine ulla dubitatione adhibuit verum quoddam Otakari regis diploma nunc iam deperditum, quod ab eodem auctore atque diplomata num. 59, 110, 239, 272 compositum erat, ex quo iisdem fere verbis descripta esse videntur ea, quae in notis accuratius significavi. In dubio relinquendum est, an etiam testium nomina (quae omnia etiam in charta spuria num. 363 adferuntur) saltem aliqua ex parte ex parte ex illo diplomate vero in chartam nostram translata sint. Hoc tantum manifestum et apertum est, nomina illorum, qui metas circuierunt, aut ex charta spuria num. 363 (v. pag. 393, lin. 13), aut e notitia quadam de silvae „Obecski“ donatione descripta esse. — Chartam ante annum 1235 confectam fuisse verisimile est, quod die 28 martii anni illius monasterio Zabrdovicensi a Přemyslo, marchione Moraviae, iam ampliores libertates concessae sunt (vid. Erben, Reg. Boh. I, num. 873).

C. § In nomine § sancte trinitatis et individue unitatis. Ego Odoacer, rex Boemorum tercius, claustro Zaberdowiz et omnibus ibi deo servientibus in perpetuum. Cum regie conveniat dignitati et consonet || clementie sue celsitudinis et munificentie longe lateque ampliare gloriam, tamen, ut firmiter opinamur, in nullo celebrior regalis magnificentie et amplitudinis effulget gloria, quam si sacrosancte ecclesie || et religiose viventium comodis provideat, iura confirmet et eorum consulet[a] indempnitati. Noverit itaque tam presens etas quam futura posteritas, quod vir nobilis baro noster Leo de Clobuk, camerarius Brunnensis || provincie, quoddam claustrum, Zaberdowiz nomine, cum consensu venerabilis patris nostri Roberti, Olomucensis episcopi, et accedente assensu magnifici viri fratris nostri Ladizlai, marchionis Morauie, in comitatu Brunensi fundavit, in possessione scilicet propria, cui claustro frater noster prenominatus, curam gerens sanctissime religionis in terra sua propagande, quasdam largitus est ei possessiones et libertates, exceptis illis possessionibus, quas predictus baro noster contulit prefato monasterio. Possessiones, quas frater noster, spectabilis marchio Morauie, contulit ecclesie Zaberdowicensi, hee sunt: Curia in Cwitawa cum araturis duabus et earum appendiciis, cum bubus et necessariis ad illam terram colendam, cum flumine Cwitawa, sicut agri adiacent ecclesie illi collati, ita ut nemo absolute aliquid iuris sibi vendicet in illa aqua, secundum quod presenti scripto est determinatum. Silva Scalitc et alia silva Sizza et silva, que vocatur Obetcna ochozv,[1] secundum quod mete sunt signate, que vocantur ghraniz, quoad usum et ius communis consuetudinis terre, cum omnibus appendiciis, agris, pratis, pascuis, aquis et omnibus, que infra silvam illam continentur, omni querela exclusa. Insuper villa, que vocatur Malomieritz, cum omnibus eius appendiciis

364. a) *ita A.*

1) ‚In nomine — Obetcna ochozv‘ *ex Otakari regis diplomate vero, de quo in huius chartae praefatione commemoravimus, exscripta esse videntur, exceptis tantum verbis* ‚Curia in Cwitava — determinatum‘ *atque* ‚et alia silva Sizza‘.

et adiectis eo modo, quo mete sunt per venatores assignate, vicinis non contradicentibus, cuius quieta possessione gaudet ecclesia Zaberdowicensis. Ea vero, que contulit Leo vir nobilis ecclesie illi, etiam in presenti pagina fecimus annotari. Predium scilicet Zaberdowiz, in quo monasterium situm est, cum suis appendiciis; in burgo Brunensi ecclesia sancte Marie cum omnibus adiacenciis ad eam pertinentibus; villa Swinositce, Pribezlawice[2], Kochutowiz, Scankowiz, Borkowan cum omnibus appendiciis, agris, silvis, pratis, aquis, pascuis, omni violenta impeticione exclusa. Insuper pie memorie nobilis matrona quondam uxor eius Rihtca, que feliciter cessit in fata, dedit illi ecclesie partem ville Syretitz,[3] que postea tota concambio mediante cum omnibus suis appendiciis claustro accessit, secundum quod subsequenter exponetur. Quedam ingenua femina Margareta nomine, que fuit[b] uxor Peregrini, recipiens habitum, dedit quandam villam claustro, que vocatur Heraltitz, et Zazzin miles dedit cum filia sua Pribichiest terram ad tria aratra in loco, qui vocatur Cladisse. Sed quia quidam miles, nomine Borek, habuit quandam partem ville in Sireticz, data est ei in commutationem pro parte sua Heraltitz et alii militi, qui vocatur Dobriemil, pro parte sua loco concambii data est terra ad tria aratra in loco, qui vocatur Cladisse. Libertates autem, quas insignis frater noster contulit ecclesie, hee sunt: Absolvit enim possessiones predicti cenobii ab omni utilitate ad eius usus et successorum suorum et beneficiariorum pertinente, excepto iure illo, quod in Znoymensi provintia datur pro capite et pro fure, ita ut omnis utilitas remaneat claustro, que ad principem et beneficiarios spectabat, licet causa tractetur coram ipso principe vel iudicibus eius vel beneficiariis, excepto hoc solo, quod qui iniuriatus est aliquibus, satisfaciat adversariis suis. Nullus homines cenobii inquietet pro castrorum edificatione, nec pro collectis infestet, nec quatuordecim nummos ab hominibus ad cenobium spectantibus exigat, set secundum quod inclitus frater noster instituit, ita sit ratum. Adiciendum autem est, quod vir preclarus baro noster Leo fundator prefati monasterii quasdam possessiones ad usus suos retinuit, de quibus suum propositum in hunc modum nostre magnificentie intimavit. Videbatur ei conveniens, sicut et est, quod si filium legitimum haberet heredem, quod ille ei succederet in villis et possessionibus subiungendis; si autem sine herede discederet, clarissima matrona Soffia uxor eius eisdem possessionibus usque ad obitum suum uteretur et pacifice gauderet et postea possessiones ad claustrum prenominatum omni contradictione semota redirent. Si vero illa virum duceret, nichil in eis iuris haberet vel utilitatis, sed totum deo et beate Marie statim accederet. Nomina autem villarum vel possessionum hec sunt: Clobuc,

364. *b) primo scriba* ‚fuit que' *scripsit, sed rectum ordinem signis superscriptis correxit A.*

2) ‚Swinositce' *et* ‚Pribezlawice' *in Gregorii IX confirmatione a. 1237 sept. 24 data non adferuntur.* — 3) ‚Ea vero — Syretitz' *ex Otakari regis diplomate vero nunc deperdito exscripta esse videntur, nominibus* ‚Swinositce, Pribezlawice' *exceptis.*

Diwaci, Prestlawlici,[c] Vcamenne, V Gezera,[d] Cowalowici, Drahonewici, Castcowici, Hosteradici, Bohumilici, Mezilezzitci, Vtisenitci, Malomeritci[4] cum curia, que est in Zaberdowici. Hec omnia cum omnibus appendiciis secundum formam, que prescripta est, debent prefato cenobio succedere. Cum autem regie clementie cedat ad gloriam, quicquid sancte ecclesie cedit ad honorificentiam et sacrosancte ecclesie successus eius sit proficuus profectus, volentes ea habere robur et firmitatem, que in hoc autentico nostro continentur, hanc paginam autentici nostri nostre sublimitatis sigillo fecimus insigniri. Si quis autem, quod absit, contra hanc nostre constitutionis auctoritatem venerit celebriorem, pena decem marcarum auri statuimus eum multari in nostram cameram solvendarum. Set etiam ut ista magorem[e] haberent stabilitatem, rogavimus venerabilem patrem nostrum Robertum, Olomucensem episcopum, cum assensu fratris nostri, ut secundum quod eum decet ecclesias divinas tueri ac protegere, quatinus nostre sanctionis clementiorem affectum sua solidet auctoritate et transgressores perpetuo feriat anatemate; quod et ipse fecit. Ad huius rei confirmationem tam inclitus frater noster, quam reverentissimus Robertus, episcopus Olomucensis, ex peticione nostra sigillum apposuit. Huius rei testes sunt:[5] Sobezlaus, Teobaldus, Bolezlaus, Hermannus abbas de Gradisc, Tiecelinus primus abbas de Welegrad, Gerhardus de Lvca, Martinus de Trebec, Marsilius de Selowa, Gerlac de Milegou, Pomegnien de Thowachou, Bvdiwog[f] Sebastienic, frater eius Ben, Vneka filius Wliceh, Boruth filius Bolezlay, Vit, Olbram Welenowiz, Leo, Spitieh, Teodoricus; Mvtina, Sdizlaus Grutouizi, Werso, Mrachot, Nezamisl de Uranowa, Perterus de Uranowa, Henricus, Troianus, Mangolt, Wernart, Olbram, uxor Hartlebi, Hymmeram, Henricus iudex, Stephanus dapifer, Bolich, Hwale, Benata, Sazin, Peleg, Woyzlau, Riwin, Gerart, Bznata, Vneka Dimitrouic, Liholut, Groznata, Wilem, Vldric, Swatozlau, Sdiszlau Recmanicsci, Stibor, Rac, Jan, Radozlau, Prestan, Bvden, Wichart, Martin, Scribimir, Bedrih, Ratibor, Veliz,[6] Welen, Vecemil, Diwa, Predbor, Lewa, Pastucha, Herman, Walter, Liztimer, Dobes, Samich, Detho, Jan Bosic, Nasen, Bludo, Ones, Prebor, Ratmir, Prebor, Bogdalus de Caghrad,[g] Hauel prepositus de Luh, Christoforus prepositus, Svdeko prepositus, Venus prepositus, cancellarius Johannes, Walterus decanus, Radezlaus filius Scehonis. Hii sunt, qui circuierunt metas: Bosko, Zdizlaus, Marcwardus, Vniech, Zdizlaus, Scribimir, Bvdek, Yan Mistislawiz, Yan Andreiouic, Welen, Viecemil, Hereman, Priedbor, Lampert Rapotitz, Zdizlaw Mucarouitz, Bares frater eius, Velis Supkouic, Bosteh, Mileg

364. *c) ita sribae incuria A. — d) lectio incerta, cum enim super* ‚V' *punctum positum sit, nomen hoc etiam* ‚Y Gesera' *legi potest. — e) ita A. — f)* ‚i' *eodem atramento superscriptum A. — g) ita (pro* ‚Raghrad'*) scribae incuria A.*

4) ‚Malomeritci' *in Gregorii IX papae confirmatione a. 1237 sept. 24 data deest.* — 5) ‚Libertates autem — testes sunt' *ex eodem Otakari regis diplomate deperdito descripta esse videntur. Quae sequuntur testium nomina, licet nonnulla alio ordine posita, etiam in charta num. 363 leguntur.* — 6) ‚Veliz' *in num. 363 deest.*

venator, Hoten villicus, Dobros, Rosneth de Sidinic. Ius vero patronatus in ecclesia illa, quod dominus Leo contulit episcopo Olomucensi et eius successoribus, eisdem confirmamus. Acta sunt hec anno incarnationis dominice M̊C̊C̊X̊.[h] Data autem in Brunna per manus Petri notarii.

Chartae appendent e filis sericis albis, rubris et flavis tria sigilla e cera coloris minii confecta: 1) *Fragmentum sigilli Roberti episcopi Olomucensis, ex vero quodam sigillo imitando expressum, quod eadem forma confectum erat atque primum sigillum chartae num. 78.* — 2) *Sigillum defractum, in quo tantum altera pars sigilli Otakari regis cum sancti Venceslai imagine imitando expressa est ex vero quodam eiusdem regis sigillo, quod ex eadem forma ortum erat atque sigillum diplomatis num. 57.* — 3) *Fragmenta sigilli Henrici Vladislavi marchionis Moraviae, quod ex vero eiusdem marchionis sigillo imitando expressum esse videtur.*

365.

(FALSUM SAEC. XIII PRIMAE MED.)

Soběhrd filius Bezpremi, subdapifer regis, bona sua in villa Levinice commutat cum villa Chylice monasterii Břevnovensis; cui pacto Přemysl rex sigilli sui appensione auctoritatem tribuit. — — —.

Charta autographi instar in membrana scripta in tabulario monasterii Břevnovensis asservatur (A).

Dobner, Monum. hist. Boem. VI, pag. 8, num. 15 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 244, num. 526 (frgm. ad a. cc. 1211) = Volkmer u. Hohaus, Urkk. u. Regesten z. Gesch. d. Grafsch. Glatz, pag. 12.

Charta vera sinceraque esse non potest, tum propter sigillum adulterinum, quo instructa est, tum eorum causa, quae ipsa continentur. Villa Chylice, quam monasterium Břevnovense cum bonis Soběhrdi commutat, ab Otakaro rege monasterio illi anno 1194 donata esse fertur. Cum autem charta donationis illius (vid. Cod. dipl r. Boh. I, num. 410) spuria sit, dubitari non potest, quin post ipsius regis tempora demum confecta sit. Quam ob rem etiam hanc commutationis chartam ad posterius tempus referendam atque a d u l t e r i n a m *esse nemo non videt; sed saeculo XIII fere medio posteriorem non esse litterarum formae manifesto ostendunt. — Charta notis temporis omnino caret, sed ipsam hoc loco intexere placuit, tum quod in ea Andreas cancellarius vocatur, qui munere illo aa. 1211—1214 fungebatur, tum etiam, quod inter testes Černín camerarius adfertur, qui a. 1212 de Bohemia expulsus erat.*

‖ Humane ‖ vitę conditio mortis legibus est addicta, quare contigit, ut per successionem quoque seculorum ‖ et temporum et novarum ętatum mortalia facta, puta contractus, venditiones, cambia et alia huiusmodi, aucto‖ribus eorum ex hoc seculo migrantibus, plerumque in oblivionem seu interitum devolvantur. Huius rationis pretextu ego ‖ Zobehird filius Bezprem, subdapifer regis, cautus esse volens

364. *h) ex* ‚M̊C̊C̊X̊V̊' *aut* ‚M̊C̊C̊X̊V̊I̊' *radendo correctum est A.*

de cambio, quod de bonis ęcclesię Breunensis,[a] nomine Hilici, cum eis, quę ibi adiacent, pro bonis meis in villa Leuuinici cum flumine et insula adiacente, michi pro remuneratione mei servicii per illustrem regem Boemorum Premizlonem[b] collatis, quondam cum abbate ipsius loci Cŏnone feci, approbantibus priore et preposito et toto conventu sui capituli, cum et bona ipsorum bonis meis adiacerent et alterna utilitas michi et eis hinc et inde idem cambium facere persuaderet.[c] Ut autem hęc eadem cambia per nos et abbatem facta rata et firma imperpetuum habeantur et sub oblivione non pereant, munimine regalis sigilli hanc presentem paginam coauctorisare dignum duximus et nomina testium honestorum virorum, qui nostris contractibus affuerunt, subscribere. Hęc videlicet sunt nomina: Daniel episcopus secundus Pragensis, Andreas prepositus et cancellarius, Cyrnin camerarius, Matheus castellanus Pragensis, Budiuoy iudex, Zmil castellanus de Cladzko, Hermannus castellanus Satsensis, Boguzlaus filius Ǒdolen, Jaros, Zbizlau, Milgozt, Zuezt, Martinus pincerna filius Ceztone, Zlauek magnus, Paulik subpincerna, Bogusca Kouanzki, Nurberk, Zulizlaus.

Chartae appendet e filis sericis coloris rubri et flavi sigillum bilaterale e cera fusca confectum, quod ad exemplum illius sigilli imitando expressum est, quo Otakarus rex ab anno 1224 utebatur (v. supra num. 264). — Ad eandem formam, e qua posterior sigilli pars cum sancti Venceslai imagine provecta est, referenda est etiam posterior pars sigilli, quod appendet chartae spuriae de villae Chylice donatione (v. Cod. dipl. Boh. I, pag. 444).

366.

(FALSUM SAEC. XIII PRIMAE MED.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, acceptis a mercatoribus Kladrubensibus quinquaginta marcis argenti, remittit ipsis solutionem civilis iuris sibi debitam, cuius libertatis utilitatem monasterio in Kladruby confert.

— — —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario caes. reg. aulico Vindobonensi asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 59, num. 51 (ad a. 1212) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 246, num. 530 (exc., ad a. 1212) — Böhmer-Ficker-Winkelmann, Reg. imp. V, num. 10754 (ad a. 1213).

Verba „pergens ... in occursum Friderici ... de Appulia venientis“ *solum ad autumnum anni 1212 referri possunt, sed Otakarus rex anno proximo demum Fridericum regem convenit Ratisbonae, ubi mense februario ineunte curia celebrata est (vid. Winkelmann, Philipp v. Schw. u. Otto IV, tom. II, pag. 339 et Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 687a). Accedit, quod sigillum chartae appensum adulterinum est. Quibus circumspectis non dubito, quin charta s p u r i a sit. (Cf. etiam Bachmann, Gesch. Böhm. I, pag. 450, not. 2.) — Chartam*

365. *a) ita A. — b)* ‚Premizlonem‘ *litteris maiusculis scriptum est A. — c) ita A; nimis longam sententiarum continuationem scriba ad finem non perduxit.*

saeculo XIII medio non esse posteriorem litterarum formae manifesto ostendunt. Eadem manu scripta est etiam charta Venceslai I regis anno 1235 iun. 25 monasterio in Kladruby data (ap. Erben, Reg. Boh. I, num. 882).

Notum sit omnibus, tam presentibus quam ‖ futuris, quod ego Premisl, rex Boemorum, ‖ pergens Ratisponam in occursum Fri‖drici, Romanorum regis, de Appulia venientis, quinquaginta marcas argenti a Cladrubensibus accepi mercatoribus, relaxans eos a solutione civili[a] iuris, scilicet a duplicibus vulpinis pellibus, quas michi predecessoribusque meis solvebant, et conferens in perpetuum ecclesie Cladrubensi ob remedium anime mee ac predecessorum successorumque meorum hanc libertatis utilitatem, quoniam teneor huius loci necessitatibus providere ac prosperitatibus nec non utilitatibus congaudere. Huius rei testes sunt: Andreas cancellarius et prepositus Pragensis, Zlauco camerarius, Bohuzlaus filius eius, Jaros gener eius, Vbizlaus de Zulizlau, Ulricus de Lutitz, Heinricus de Setscowitz, Hirdebor de Userob.

Chartae appendet e scidula membranae sigillum rotundum de cera naturali confectum, cuius diametros 70 mm sunt. In utriusque sigilli parte eaedem fere figurae expressae sunt, quae in Otakari regis sigillo apud diploma num. 57 descripto depinguntur. Sed chartae nostrae sigillum ex eadem forma atque illud regis sigillum provectum non esse circumscriptionis litterarum formae manifesto ostendunt. In priore sigilli parte haec circumscriptio legitur: ✠ PAX · REGIS · OTACARI .... V · SCI · WENCEZLAI. *Circumscriptio partis aversae:* ✠ S....S · WENC..... BOEMORVM DVZ (!). *Sigillum adulterinum esse tum ex mendo in voce „dux“ commisso, tum etiam ex eo cognosci potest, quod nullum aliud eiusdem regis diploma eodem sigillo instructum est.*

367.

(FALSUM SAEC. XIII. EX.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Břevnov circuitum Police villasque Provodov et Nesvačilov donat, petente Chunone abbate; quem circuitum ab omni provinciali exactione eximit et eremitas ibidem habitantes abbati Břevnovensi subiectos esse constituit. *Pragae 1213 maii 22.*

Apographum insertum est confirmationi Karoli IV datae Pragae 1351 ian. 14, cuius autographum in tabulario monasterii Břevnovensis asservatur (B).

Paproczký, Diadochos l. I, pag. 352. — Ludewig, Reliquiae manuscriptorum VI, pag. 57 — Ziegelbauer, Epitome hist. monasterii Brevnov., pag. 246. — Piter, Thesaurus absconditus in ... monio. Brzevvnoviensi, pag. 144 — Dobner, Monum. hist. Boem. VI, pag. 8, num. 14 (reg.), = Erben, Reg. Boh. I, pag. 250, num. 539 — Volkmer u. Hohaus, Urkk. u. Regesten der Grafsch. Glatz, pag. 12 (reg.).

Mirum, quod ea, quae charta nostra continentur, ab illis libertatibus prorsus discordant, quas Otakarus II, rex Bohemiae, in confirmatione anno 1260 nov. 3 data (vid. Emler, Reg. Boh. II, pag. 106, num. 276) privilegiis Otakari I atque Venceslai I, regum Bohemiae,

366. a) *ita (pro* civilis*) scribae incuria A.*

monasterio in Břevnov concessa fuisse refert. Quam ob rem dubium esse non potest, quin charta ista s p u r i a *atque post confirmationem illam demum confecta sit. — Locorum nomina explicat Tomek, Paměti újezdu Polického, Památky archaeolog. II, 205 sq.; (Älteste Nachrichten über die Herrschaften Braunau und Politz, Prag 1857, pag. 26 sq.).*

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Ego Ottakarus, qui et Przemizl, dei gracia Boemorum rex, serenissimi patris mei Wladislay, quondam regis Boemie, qui magnorum monasteriorum fundator extitit et pius defensor, quantum cum deo possum, vestigiis inherendo, pro salute anime mee omniumque parentum meorum, considerata quorumdam heremitarum necessitate, omnipotenti deo famulancium in loco solitario et deserto, ad instanciam venerabilis viri Chunonis, abbatis Brevnowiensis ecclesie, quendam circuitum meum, qui Policz vulgariter appellatur, cum omnibus suis attinenciis, videlicet pratis, campis, plantatis et plantandis ac partem mediam fluvii nomine Drivik, et hoc[a] a capite ipsius fluvii usque ad flumen Methuge, circuitum dico tendentem a monte Knyna usque ad speluncam, que Rothotatech dicitur, ex altera vero parte a capite fluminis Stenawa usque ad flumen Bozanow et usque ad montes Steny et ab hiis montibus usque ad locum Przewrat dictum[b] et ab illo loco quantum circumfluit rivulus Sdekelnice nomine usque ad locum, ubi influit Methugen,[c] libere ac perpetualiter contuli Brevnowiensi ecclesie ac supradicto abbati Chunoni viro discreto suisque successoribus hereditario iure in perpetuum possidendum; superaddendo duas villas, videlicet Prowodou et Neswachilou cum omnibus earum attinenciis. Sane auctoritate regalis maiestatis predictum circuitum et homines eum inhabitantes eximo et penitus absolvo ab omni provinciali exaccione et villicorum seu beneficiariorum nostrorum omnimoda vexacione ac eciam terre nobilium quolibet gravamine, ita quod nec ipsi heremite nec bona ipsorum cuiquam debeant subesse nisi sepe dicto abbati Chunoni et eius successoribus tam in spiritualibus quam in temporalibus in perpetuum; maxime cum iam de supra memorato claustro quidam monachus dyaconus, Vitalis nomine, cum aliquantis fratribus sibi adherentibus ipsum locum pro posse virium suarum, ipsam silvam exstirpando, inhabitabilem fecerint et ibidem capellam ligneam in honore sancte dei genitricis et perpetue virginis Marie gloriose construxerint, et ipsam capellam sepe dictus abbas Chvno, per cuius diligenciam et peticionis instanciam ipse locus desertus a me Brevnowiensi ecclesie libere collatus est, competenti ornatu ecclesiastico ad laudem et gloriam beate virginis decoravit et eosdem fratres sibi humiliter et devote obedientes in temporalibus procuravit sufficienter, vitam monasticam secundum regulam sancti Benedicti plenius informando. Ad huius igitur mee tam salubris donacionis perpetuam memoriam obtinendam presentem paginam feci conscribi et sigilli mei karactere roborari. Acta sunt hec in castro Pragensi in vigilia Ascensionis Domini, anno incarnacionis eiusdem Domini millesimo ducentesimo tredecimo,

367. *a)* ‚partem fl. nom. Drivik et hoc' *in loco raso eadem manu scripta sunt B.* — *b)* ‚dicto' *B.* — *c)* ‚Methungen' *B.*

in presencia horum omnium, quorum inferius nomina subscribuntur: Daniel sancte Pragensis ecclesie episcopus, Andreas prepositus eiusdem ecclesie, Eppo canonicus Pragensis, Slawko summus camerarius[d] curie nostre, Bohuslaus filius eiusdem, Budiwoy summus iudex curie nostre, Martinus pincerna, Diwis dapifer et alii viri nobiles, qui ad hoc testes fuerunt convocati, videlicet Bohuslaus castellanus Pragensis, Zwyest filius Bohuslay, Jaros, Bycen castellanus Wissegradensis, Wilhelmus, Sbyslaus castellani de Kladzco, Rudolt de Jaromir, Weyker et duo filii eius, Martinus et Henricus. Affuit eciam eodem tempore ad hanc sollempnitatem et regalem donacionem meam vir illustris dominus Theobaldus, filius domini Theobaldi, ut huius donacionis mee testimonium perhiberet, et alii quam plures, qui non omnes in hac pagina sunt conscripti.

368.

(FALSUM SAEC. XIV. IN.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasteriorum in Teplá et Chotěšov possessiones et libertates confirmat, petente Hroznata fundatore, Vladislavo marchione Moraviae et Roberto episcopo Olomucense.

In Prostějov 1213 [decb. ex.].

Charta autographi instar in membrana scripta in tabulario monasterii Teplensis asservatur (A).

(Hugo), Sacri et can. ord. Praemonstr. annales II, Probat. col. DLXXIII. — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 73, num. 63. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 255, num. 548 (fragm.).

Mirum, quod membranae inferior pars replicata contra communem consuetudinem in vacuam chartae paginam conversa est, et quod Roberti episcopi sigillum lectori tergum obvertit. Qua ex re cognosci potest, quod membranae pagina nunc vacua olim scriptura impleta erat, quae postea abrasa est. Praeterea mirum, quod in charta conceditur gracia de licentia fratres ad testificandum adducendi, quae in ipsa „inconsueta“ nominatur, et quod ea, quae charta nostra continentur, discrepant cum Venceslai II regis diplomate anno 1298 ian. 11 dato (Emler, Reg. II, num. 1777), in quo libertates et gratiae ab Otakaro I rege monasterio Teplensi quondam concessae confirmantur. In illo namque diplomate, quod libertates iisdem verbis describit, quibus Otakarus I rex in privilegio suo usus est, quaedam leguntur, quae in charta nostra omissa sunt; e contrario autem in charta nostra gratiae quaedam conceduntur, quarum Venceslai II confirmatio nullam facit mentionem. Quibus omnibus circumspectis chartam nostram spuriam et in tergo diplomatis cuiusdam veri scriptam esse constat. Quod quidem diploma ab Otakaro I rege datum fuisse ostendit secundum sigillum chartae appensum. — In charta conficienda impostor adhibuit sincerum Otakari I privilegium anno 1213 datum, ex quo illa ad verbum descripsit, quae in Venceslai II confirmatione iisdem verbis scribuntur. Quae quidem verba literis minoribus impressa numero I in margine addito denotavimus. Ex eodem privilegio procul dubio etiam nota temporis et arenga cum promulgatione descripta sunt. Privilegium illud ab eodem scriba, ad quem

367. d) ‚camerarius summus‘ B.

diploma num. 110 referendum est, conscriptum esse puto arengae et promulgationis sermone observato. Praeterea chartae nostrae auctor etiam e charta, quam Daniel II episcopus Pragensis monasterio Teplensi a. 1201 dedit (vid. supra num. 26), illa ad verbum descripsit, quae numero II in margine apposito signavimus.

(II) In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Premizel, dei gratia rex Boemie, universis Christi fidelibus tam futuri quam moderni temporis. || Cum principalis sit providentie suorum temporum actiones ad suorum successorum deferre memoriam et precipue ea, que libertati prospiciunt ecclesi||astice, noverint tam presentes quam futuri, quod nos ad peticionem dilecti nostri G.[1] fundatoris Teplensis ecclesie, libertates et indulgentias et donatio||nes, quas eidem ecclesie et etiam Hotesouicensi diversis temporibus pro nostro et successorum nostrorum remedio contulimus, in hac nostre confirmationis et concessionis pagina breviter recapitulando curavimus annotari, que in iam collatis privilegiis ex scriptorum negligentia fuerunt intermissa, supplere et confirmare cupientes. Primum quidem annuente et petente fratre nostro Wladizlao, faventibus filiis, acclamantibus et laudantibus primatibus

(I) tam Boemis quam Morauis, predictis ecclesiis in bonis, que nunc possident et in posterum poterunt adipisci, de causis, culpis et satisfactionibus omnem nobis attinentem contulimus utilitatem.[2] Insuper principali auctoritate statuimus, ut predictarum ecclesiarum homines in quacunque parte terre commorantes a nostra et nostrorum potestate successorum et dominio sequestrati ac penitus absoluti, nullis universalibus collectis, que per Boemiam fieri solent, vel huiusmodi exactionibus gravari debeant, set ab omni infestacione et vexatione potentum liberi permaneant. Nullus eos pro castrorum, que in terra sua sunt, reedificatione commoveat, nullus eos pro ingruenti aliqua expeditione inquietare audeat, nullus eos pro reparatione viarum vel silve succisione in ambitu terre molestare presumat, precipue homines de Tepla et in toto circuitu circa silvam commorantes, quibus portam terre, quam a suo suo[a] fundatore possident, et munire et custodire sufficiat. Nullus eos seu camerarius seu villicus sive castellanus ad iuditium conpellat. Cum enim a fundatore suo nobis et successoribus nostris advocatia eorum commissa sit, volumus, ut de cetero de omni accidenti in presentia nostra et successorum nostrorum iudicentur. Statutum etiam eiusdem fundatoris de militibus utriusque domus retinendis et dimittendis post mortem ipsius, sicut in eius autentico continetur,[3] volumus inviolabiliter observari. Preterea gratiam et indul-

368. *a) ita scribae incuria A.*

1) *Groznatae.* — 2) *Secundum confirmationem Venceslai II, quae anno 1298 ian. 11 data est, in Otakari regis privilegio vero hoc loco sequebatur:* ‚Si quis furtum vel latrocinium aut homicidium aut aliam huiusmodi grandem culpam perpetraverit, perpetrator criminis regie potestati sentencia capitali subiaceat, facultas vero ipsius tota in usus ipsius ecclesie redigatur. Si quis eciam [equum] furtivum vel bovem [seu ali]as res super hominem ecclesie tercio subduxerit, qui sua cognovit propria, recipiat, regium vero ius totum ecclesie permaneat antedicte.' *Quae litteris latius dispositis imprimuntur, eisdem verbis leguntur etiam in privilegio, quod a. 1221 iul. 2 ab Otakaro I rege ecclesia Pragensis accepit (vid. supra pag. 204, lin. 32 sq.).* — 3) *Vid. Cod. dipl. Boh. I, pag. 324, lin. 11 sq.*

gentiam auctoritate apostolice sedis ordini eorum indultam, videlicet, ut licitum sit eis in causis suis fratres suos ydoneos ad testificandum adducere et eorum testimonio, sicut rectum fuerit, et propulsare violentiam et iusticiam vendicare, cum nos antea talem consuetudinem non habuerimus, ne huiusmodi indulgentia quasi inconsueta per ignorantiam in principatu nostro refellatur, huic pagine dignum duximus annotari et quantum ad regiam spectat dignitatem confirmari. Ceterum villam, que in Zedelecensi provincia Lichtenstat dicitur, cum omni iure forensi et civili et silvam attinentem, quam predicto G.[1] fideli nostro, dum adhuc miles existeret, pro servitio suo iure hereditario contulimus possidendam, specialiter ecclesie Teplensi et fratribus ibidem commorantibus confirmamus, reminiscentes nos prefatam villam ad peticionem sepe dicti G.[1] cum Romam proficisci proponeret, coram Boemis in communi colloquio Prage pro remissione peccatorum nostrorum predicte ecclesie in manus J.[4] eiusdem loci abbatis, iure hereditario possidendam specialiter assignasse. Villam etiam Sandowe, que infra metas Boemie comprehenditur, et terram usque ad silvam prefato loco concedimus etiam iure hereditario possidendam. Denique huic concessioni nostre testificando interseri voluimus, quod venerabilis Daniel, dei gratia Pragensis ecclesie episcopus XVII[us], omnem decimam, que sui iuris erat, ecclesie Teplensi contulerit, tam de hiis, que prefata (II)
ecclesia in presentiarum possidet, quam de hiis, que in posterum iustis modis poterit adipisci, faventibus canonicis suis et laudantibus, qui super hoc prefate ecclesie privilegium tradiderunt sigilli[b] predicti episcopi et Pragensis capituli certissime roboratum.[5] Ceterum quelibet littere seu privilegia huic concessioni et confirmationi nostre in aliquo contraria antea vel in posterum sive a nobis sive a sucessoribus nostris preter assensum fundatoris et abbatis de Tepla, sigillis eorum et testibus premunitum, ad quorumcunque etiam suggestionem impetrata fuerint, nullam penitus obtineant firmitatem. Ne ergo pravorum hominum hanc nostre concessionis, confirmationis, testifica- (II)
tionis paginam possit infringere perversitas, placuit * scripto commendari et * per impressionem sigilli nostri et fratris nostri Wladizlay, marchionis Morauie, et venerabilis R., Olomvcensis episcopi, ad quorum intercessionem hec contulimus, roborari. Datum in Olvmvcensi[c] provincia in villa, que dicitur Prosteyov, acclamantibus et laudantibus Boemis et Morauis, anno dominice incarnationis MCCXIII.

Chartae appendebant e scidulis membranae tria sigilla, quorum primum iam avulsum et deperditum est; sigillum illud Vladislavi, marchionis Moraviae, fuisse ex corroboratione cognosci potest. Secundum sigillum Otakari regis, de cera naturali confectum, nunc iam valde attritum et defractum, ad eandem formam revocandum est atque illud, quod diplomati num. 57 appendet. Tertium sigillum Roberti, episcopi Olomucensis, de cera naturali confectum, cuius circumscriptio fere tota defracta est, ex eadem forma profectum est atque primum chartae num. 78 sigillum.

---

368. b) *ita (pro* ,sigillis') *scribae incuria A.* — c) ,olvm̄' *A.*

4) *Johannis (?).* — 5) *Vid. supra num. 26.*

369.

(FALSUM SAEC. XV. EX.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Henrico militi de Königswart omnibusque castri eiusdem possessoribus concedit, ut omne commercium inter Bohemiam et Germaniam in regione illa fiat tantum in ipsius militis viis, quae accurate perscribuntur. — 1214 febr. 10.

Charta autographi instar manu saec. XV exarata in tabulario castelli Osterstein ap. Gera asservatur (A).

Beckler, Stemma ruthenicum pag. 260 (exc.) — Cohn, Die Vorfahren d. fürstl. Hauses Reuß, in: Forschungen z. deutsch. Gesch. IX, pag. 594, (quae editio hic repetitur). — Dobenecker, Reg. Thuringiae II, num. 1582 (reg.).

Chartam spuriam et saeculo XV exeunte demum confectam esse demonstrat Cohn l. l. pag. 584 sq.

In nomine sancte et individue trinitatis. Odacuer, dei gratia Boemorum rex pius et invictissimus, nobili et dilecto nostro Heinrico, strennuo militi de ‖ Konigeswart. Ut ea, que fiunt in tempore, sequantur naturam eiusdem, necesse est, ut perpetuis roborentur literis. Ideo notificamus omnibus et singulis hominibus ob intuitum ‖ fidelibus servitutibus[a] tue strennuitatis nobis indefesse exhibitis ac approbatis presentem sequentem gratiam in remuneracionem tue strennuitatis tibi concedimus et omnibus ‖ Konigeswart possidentibus perpetuis temporibus duraturis, presertim omne id quod metas istas extra regnum nostrum ad Almaniam pervenerit, aut de Almania ad nostrum regnum cum omnibus centenariis bonis, equestribus, pedestribus, currubus et quibusvis mercanciis debitas tuas vias incedant. Et vie tue vere et iuste de et extra civitatem Luticz, deinde versus Utwein, Landeck, Pawten et Rauschenpach et ex post trans silvam Konigeswart. Id autem, quod venerit versus Planam et deinde trans silvam dictam Thern et subter Thern temporibus duraturis perpetuis ad Konigeswart incedent. Illud autem quod venerit super Topplam, suo modo veram viam trans silvam ad Konigeswart, et deinde ad civitates Egram et Turssenreut eundo et redeundo; sic tamen, quod non fiat in preiudicium graciis super viis et theoloniis castri Betschaw. Super quibus viis tuis potes et debes constituere theolonaria et theolonium secundum temporis exegenciam ibidem recipere. Si quis autem equester, pedester vel vector aut ali[as] merces theolonium preterierit, iuste pro theolonia deducta coram iudicio stabit. Et si quis tibi aut posteris Konigeswart possedentibus in prefatis tuis viis irritaciones illicitas vel inconswetas facere volentibus[a] et iniustas vias iuxta prefatam veram viam, qui ab antiquis carent simili gratia et remuneratione, potes super hiis accipere, impedire, privare, annullare et destituere. Postremo si quis ausu temerario dictam nostram gratiam, datam Heinrico et suis posteris

369. a) *ita A.*

per nos, infringere attemptaverit, sciat se incidisse in nostram indignacionem sub pena quinquaginta marcarum auri deputati; dimidiam partem in nostram regiam cameram, aliam vero dimidiam antefato strennuo Heinrico et suis posteris irremisibiliter daturum. In quorum fidem et maioris roboris munimen presenciarum graciarum infrascripti testes: abbas de Waltsassen, Zmul, quatuor filii sui: Gerinw,[a] Cono, Andree, Zsartelov; Robodo, Heinricus filius Martini, Grebis frater suus, Conrat de Wintrowe, Hawart de Hertenberc, Marcwart, Poppo de Milozst, Bero, Siboda, Zpipra szapan de B...sen, Grozonat filius Ernesti et alii quam plures. In cuius rei argumentum privilegium iussimus conscribi et maiestatis nostre sigillo corroborari. Acta sunt hec anno incarnacionis MCCXIIII, indictione II, IIII idus februarii.

Chartae appendet e scidulis membranae sigillum Otakari regis de cera naturali confectum, iam valde attritum et defractum. In sigilli margine exteriore vestigia quaedam apparent, quae illud in duas partes discissum et postea conglutinatum esse ostendunt. Qua ex re colligi potest sigillum hoc ab alio eiusdem regis diplomate ablatum et ad chartam nostram per dolum aptatum esse.

370.

(FALSUM SAEC. XIII. ALT. MED.)

Fridericus II, Romanorum rex, provinciali et fratribus hospitalis sanctae Mariae Hierosolymitanae Theutonicorum in Thuringia silvam prope villam Thanbach sitam, quam Rudolfus pincerna in manus suas resignavit, perpetuo proprietatis titulo donat possidendam. — Inter testes: ‚Ottakarus rex Bohemie.‘

Apud Egram 1214 iun. 5.

Charta autographi instar manu saec. XIII alterius medietatis scripta in tabulario regio Dresdensi asservatur (A).

Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II, t. I, pag. 301 (ex A) — Erben, Reg. Boh. I, pag. 259, num. 554 — Böhmer-Ficker, Reg. imp. V, num. 734.

Chartam spuriam et post saeculum XIII medium confectam esse commemoravit Posse, Die Lehre v. d. Privaturkunden, pag. 3, not. 1; vid. etiam ibidem pag. 41 et 43. — Otakarum regem a. 1214 mense iunio ineunte Egrae fuisse diplomata num. 114—116 demonstrant.

371.

(FALSUM SAEC. XIII.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, capellam sancti Clementis in Vyšehrad constitutam cum omnibus ad eam pertinentibus villis donat ecclesiae sancti Petri in Vyšehrad ad refectiones canonicorum supplendas.

In capitulo Vyšehradensi 1215 —.

Charta autographi instar in membrana manu saec. XIII scripta in tabulario capituli collegiati in Vyšehrad asservatur (A). — Apographum insertum est confirmationi Venceslai I

regis, datae in Castello 1240 m. sept., cuius autographum in eodem tabulario asservatur (B).— Apographum saec. XIV exstat in libro privilegiorum ecclesiae Vyšehradensis fol. 17r, num. 42 (C).

Bartholdus Pontanus a Braitenberg, Bohaemia pia, pag. 81 — Hammerschmidt, Gloria et majestas ... Wissehradensis eccl., pag. 171, num. V. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 260, num. 559 (fragm.).

Charta ab eodem scriba confecta est, qui scripsit etiam litteras Philippi, praepositi Vyšehradensis, anno 1234 (!) datas (ap. Erben, Reg. Boh. I, num. 1158). — Mirum, quod sigillum chartae appensum ad formam illius sigilli confectum est, quo Otakarus rex ab anno 1224 demum utebatur. Porro notandum est, quod arenga atque promulgatio iisdem verbis conscripta est atque in diplomate, quod ab Venceslao I rege monasterium in Kladruby anno 1233 accepit (ap. Erben l. l. num. 813); cum quo quidem diplomate etiam chartae nostrae corroboratio his saltem verbis congruit: „presens privilegium fecimus exhiberi." *(Arengam istam Venceslai I regis notarii receperunt e privilegio Otakari regis anno 1228 nov. 7 monasterio in Velehrad dato, quod anno 1232 ian. 18 Venceslaus rex confirmavit). Notabilis haec congruentia eo optime explicari potest, quod chartae nostrae auctor adhibuit diploma quoddam Venceslai I regis ecclesiae Vyšehradensi olim datum, quod ab eodem auctore atque illud Kladrubense conscriptum erat. His itaque circumspectis dubium esse non potest, quin charta nostra* a d u l t e r i n a *sit. Ante annum 1240 ipsam confectam esse docet confirmatio Venceslai I regis, quae mense septembri anni eiusdem data est (ap. Erben l. l. num. 1008). Ea quae charta nostra continentur confirmata sunt litteris Innocentii IV, papae a. 1245 dec. 21 datis (v. Erben, l. l., num. 1141).*

¦ In nomine sancte trinitatis amen. ¦ Ottakarus, qui et Premizl,[a] dei gracia Boemorum[b] ‖ rex, ecclesie[c] Wissegradensi in perpetuum.[d] Cum regalem deceat excellenciam sanctam in omnibus pro‖movere ecclesiam et tueri, nostre visum fuit magnificencie id excogitare et exequi, quod nostre anime cederet ‖ ad salutem. Notum siquidem facimus quam presentibus tam futuris,[e] quod ad instanciam et iustam peticionem dilecti consanguinei nostri Arnoldi, honorabilis prepositi Wissegradensis, et omnium canonicorum ibidem domino deo famulancium capellam sancti Clementis, in eodem opido constitutam, cum omnibus attinenciis suis, villis, pratis, silvis et hominibus[f] censualibus, post decessum sui possessoris Johannis, archidiaconi Curimensis,[g] ecclesie sancti Petri principis apostolorum conferimus perpetuo possidendam ad usus fratrum et refectiones complendas, quas ipsis prepositus explere non sufecit[h] propter distractionem donacionum antiquarum, sicut de privilegiis lectis nostrorum intelleximus attaworum. Et ut hec nostra donacio robur habeat perpetuo valiturum, presens privilegium fecimus exhiberi nostri sigilli munimine roboratum. Actum in capitulo Wissegradensi anno dominice incarnacionis millesimo CCXV, indictione[i] III.

Chartae appendent e scidulis membranae duo fragmenta sigilli de cera naturali, quod ad illius sigilli speciem confectum erat, cuius descriptionem in diplomate num. 264 dedimus.

371. *a)* ‚Otacherus qui et Premusl' *B.* — *b)* ‚Boem̄' *A, B.* — *c)* ‚ecclesie et capitulo' *B.* — *d)* ‚imperpetuum' *B.* — *e)* ‚tam presentibus quam futuris' *B.* — *f)* ‚h' *ex* ‚b' *eodem atramento correctum A.* — *g)* ‚Churimensis' *B.* — *h)* ‚suffecit' *B.* — *i)* ‚indic̄' *A.*

372.

(*FALSUM SAEC. XV.*)

Ulricus Držislav de Litice eiusque uxor Sudka monasterio in Plasy villam Nadrybí donant, Přemyslo rege Bohemiae consentiente.

Pragae 1216 iun. 8.

Apographum saec. XVI. ex. servavit „Registrum adnotationum vel liber memoriarum mon. Plassensis“ anno 1535 conditum, quod in tabulario Musaei regni Bohemiae asservatur, fol. 164r (B). — Aliud apographum saec. XVIII. praebet Ben. Scheppl, Lapis sepulchralis fundatoris et benefactorum ... monii. de Plassio (1744), cuius cod. ms. in eodem tabulario asservatur, pag. 73 (C).

Scheinpflug in Mitth. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen in Böhmen XII (1874), pag. 67, num. 24 (reg.) — Emler, Reg. Boh. II, pag. 1156, num. 2641.

Mirum, quod in privilegio Innocentii IV. papae a. 1250 oct. 10 dato (v. Scheinpflug l. l. num. 47), in quo omnes monasterii Plassensis possessiones confirmantur, villa Nadrybi non adfertur. Accedit, quod magister Arnoldus denique Otakari II regis tempore protonotarii munus sustinuit. Praeterea notandum est, quod inter chartae testes scabini et cives civitatis Novae Plznae nominantur, quae civitas ab Venceslao II. rege anno fere 1290 condita est. His itaque omnibus circumspectis dubium esse non potest, quin charta adulterina sit. Charta saeculo XV demum confecta esse mihi quidem videtur. — In charta conscribenda impostor adhibuit diploma Přemysli Otakari I regis a. 1216 iun. 8 datum (v. supra num. 125), ex quo illa ad verbum descripsit, quae litteris minoribus imprimuntur.

Notum sit omnibus Christi fidelibus tam presentibus[a] quam futuris, quod ego Vlricus[b] Dirsislaus de Ludiz[c] et uxor chara nostra Sudcha cum consensu regis Primislai, dei gratia regis[d] Bohemorum,[e] villam nomine Nadrybi penes fluvium Misam[f] monasterio Plasensi[g] beate virginis Marie cum suis omnibus attinentiis, aquis, piscaturis, rivulis, pratis pro remedio anime mee[h] et uxoris, filiorum[i] parentumque nostrorum libere contulimus et donavimus in perpetuum possidendam.[k] Testes sunt hii[l] * quando dominus abbas Albertus Plasensis[m] prememoratam[n] villam recepit: Andreas Pragensis episcopus, * Martinus canonicus Pragensis, * Benes, Marqvardus, scabini et cives civitatis Nove Plsne,[o] Burghardus de Klingenberg camerarius, Zchecho de Praga. Datum per manum magistri Arnoldi, tunc protonotarii, in urbe Praga, sexto idus iunii, anno dominice incarnationis MCCXVI.[p]

373.

(*FALSUM SAEC. XIII.*)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Stephano de Medlov confirmat libertates, quas ei in Medlov aliisque hereditatibus eius Henricus Vladislavus, marchio Moraviae, concessit.

— 1218 apr. 27.

372. *a)* ‚praesentibus‘ *et similiter etiam infra semper* ‚ae‘ *pro* ‚e‘ *simplici, C. — b)* ‚Ulricus‘ *C. — c)* ‚Luditz‘ *B. — d)* ‚regis‘ *deest B. — e)* ‚Bohemiae‘ *C. — f)* ‚Miseam‘ *B. — g)* ‚Plassensi‘ *C. — h)* ‚suae‘ *C. — i)* ‚et filiorum‘ *C. — k)* ‚possidendum‘ *B, C. — l)* ‚hi‘ *B, C. — m)* ‚Plassensis‘ *C. — n)* ‚praenominatam‘ *C. — o)* ‚Pielsne‘ *B. — p) ex* ‚MCCXCVI‘ *corr. B.*

Charta autographi instar in membrana scripta in tabulario civitatis Brunnensis asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 104, num. 93 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 278, num. 593 (extr.).

Charta suspicione non caret, quod in ipsa immunitates quaedam nobili laico conceduntur: quae res ab illius temporis usu prorsus aliena est, ad quod charta se spectare simulat. Accedit, quod chartam scriba quidam scripsit, qui nonnullas proprietates illius manus imitatus est, quae chartam Roberti episcopi Olomucensis anno 1208 sept. 25 monasterio in Doubravník datam (vid. supra num. 78) exaravit. Porro notandum, quod in Henrici Vladislavi marchionis charta, quae eadem die atque nostra eidem Stephano nobili data est (vid. num. 161), de libertatibus ei a marchione concessis nulla mentio fit. Postremo mirum, quod sigillum regis chartae nostrae numquam appensum erat. Itaque his omnibus circumspectis chartam s p u r i a m esse constat. (Cf. Palacký, Dějiny I, pars 2, pag. 145, nota 145 et ap. Erben l. l. pag. 624). — Chartam saeculo XIII fere medio non esse posteriorem, litterarum formae ostendunt. — Nota temporis totidem verbis descripta est ex charta marchionis eidem nobili a. 1218 apr. 27 data (num. 161). — In chartae arenga et corroboratione conscribenda verum quoddam Přemysli Otakari regis diploma, quod ab Hermanno notario conscriptum erat, adhibitum esse puto, diplomatum num. 199, 218, 305 genere scribendi collato.

⸿ In nomine sancte et individue[a] trinitatis. ⸿ Otakarvs, qui et Primisl, dei gratia Buemorum[b] rex. Contingit plerumque facta ‖ principum et donationes sollempnes processu temporis et malitia successorum inmutari, que legitimo testimonio proborum hominum et sigilla‖tis literis non inveniuntur roborata. Ad noticiam igitur singulorum, tam presentium quam futurorum, cupimus pervenire, quod nos cum dilecta coniuge ‖ nostra Constancia, illustri Boemorum regina, considerantes fidelitatem et devota obsequia fidelis nostri Stephani, burgravi[b] de Micolau, que nobis et fratri nostro, illustri marchioni Morauie, fideliter exibuit et exibet, libertatem, quam ei frater noster predictus marchio tam in Mellau, quam in aliis omnibus hereditatibus, per gratiam suam donavit, iure hereditario ei et eius heredibus possidendam per nostram magnificenciam et fratris nostri donationem liberaliter confirmamus, idem ius, quod frater noster ei dedit, concedendo; hoc videlicet ius: quod in predictis hereditatibus nullus camerariis pateat introitus, nec XIIII[cim], qui in patria colliguntur, in eis colligantur, sed omne iudicium coram suo prefecto, scilicet villico domini Stephani, subire debeant, excepto hoc solo, quod si fur[c] iuste cum furto comprehensus fuerit, iudici terre reprehentetur.[d] Ut autem hec donatio et nostra confirmatio rata et inconvulsa perpetuaque debeat permanere, presens scriptum sigillorum nostrorum inpresione[e] roboratum ei in testimonium fecimus exiberi. Si quis vero hoc tam sollempne factum et nostre magnificentie donationem[f] ausu temerario presumserit[b] de camerariis vel de aliis quibuslibet hominibus aliquo casu inmutare, trecentas marcas ponderati argenti

373. *a) ex* ‚indivie‘ *statim inter scribendum correctum A. — b) ita A. — c)* ‚fur‘ *eadem manu eodemque atramento superscriptum est A. — d) ita (pro* representetur*) scribae incuria A. — e)* ‚inpſione‘ *A. — f) primo scriba* ‚dom‘ *scripsit, sed errore cognito statim* ‚n‘ *correxit A.*

in cameram regis pro pena inponat. Acta sunt hec[g] dominice incarnationis MCCVIIIX, V kalendas maii, presente ‖ Ruperto, ‖ venerabili Olomucensis ecclesie episcopo, et nobili viro Leone, camerario Brunnensis provincie, et Ratiborio, Taszone, Boslao cum fratribus et allis[h] quam plurimis viris honestis, regnante in Boemia ‖ Otacaro ‖ rege fammoso,[i] anno vero regni sui VX[to], qui etiam donationem pretaxatam non solum potestate regia, verum etiam consuedunenaria[h] tocius Boemie[k] isticia[h] confirmavit, excludendo cuiuslibet scupulum[h] exceptionis.

Chartae appendet e filis sericis albis flavis rubris fragmentum sigilli Henrici Vladislavi marchionis, quod de cera naturali confectum erat ad speciem illius sigilli veri, quod describitur apud diploma num. 125. — Sigillum regis chartae nusquam appensum fuisse ex eo cognosci potest, quod in ipsa alterius sigilli appensi nullum vestigium reperitur.

374.

(FALSUM SAEC. XIII.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, ecclesiae in Vyšehrad donat villam Zahrádka Trhová et circuitum ad ipsam pertinentem.

In Humpolec 1219 iul. 26.

Apographum saec. XIV servavit Liber privilegiorum ecclesiae Vyšehradensis, qui in eiusdem ecclesiae tabulario asservatur, fol. 12v, num. XXIII (B).

Hammerschmidt, Gloria et maiestas ... Wissehradensis eccl., pag. 172, num. VI (in fine mancum) = Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 109, num. 101 (extr.), = Erben, Reg. Boh. I, pag. 285, num. 610 (extr.).

Mirum quod tam annus quam dies, qui in temporis nota adfertur, non congruit cum Gregorii de Crescentio, diaconi cardinalis, in Moraviam adventu, de quo ibidem mentio fit. Etenim ex litteris anno 1221 d. VI nonas iulii et tercia die colloquii in monte Schatzberg conscriptis (v. num. 216) cognosci potest Gregorium cardinalem, qui legationis officium a. 1220 mense decembre exeunte suscepit (cf. num. 203), demum ultimis mensis iunii diebus anni 1221 ad Moraviae fines venisse. Cum autem duplex hoc mendum describentis incuria factum esse non videatur, chartam nostram spuriam esse puto. Eodem fere tempore atque num. 371 ipsam confectam esse verisimile est, quod villae Zahrádka donationem Innocentius IV papa litteris a. 1245 dec. 21 datis (v. Erben, Reg. I, num. 1140) confirmavit.

Otakarus,[a] divina favente clemencia Boemie rex. Universis presens scriptum inspecturis notum esse volumus, quod nos pro nostra necessitate ornatum in Wissegrade accommodavimus, pro quo, nec non ut nostri memoria ibidem haberetur in perpetuum, Zaradcham et circuitum eundem cum universis pertinenciis, silvis, pratis, aquis, villis, ecclesie assignavimus memorate. Et ne hoc ecclesie predicte posset infringi, filios nostros Wencezlaum et Wladislaum misimus ad

---

373. *g) post hanc vocem* ‚anno‘ *scribae incuria omissum est A. — h) ita scribae incuria A. — i)* ‚famoso‘ *A. — k) ex* ‚Boemia‘ *eodem atramento correctum A.*

374. *a) Chartae apographo praemittitur in B inscriptio colore rubro scripta:* ‚Hic ponitur tenor privilegii domini Ottakari super donacione bonorum in Zahradka et suis pertinenciis facta ecclesie Wissegradensi pro ornatu, quem recepit.‘

denotandum et circueundum circuitum cum universis pertinenciis supradictis. Et ne hoc a nobis posset revocari in irritum, presentem cartulam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Petivimus eciam a dilecto filio nostro Wencezlao, ut idem nostrum factum et scriptum ratum haberet et suo scripto confirmaret. Acta sunt hec in Gumpoldis anno incarnacionis Domini MCCXVIIII,[b] VII kalendas augusti, cum nos in Morauiam cardinalis Gregorii de Crescencio in occursum veniremus. Testes vero sunt: Zlauco summus camerarius, Budiuoy, Boguslaus subcamerarius, Marquardus ensifer, Albertus, Rodolfus, Diuis filius Petriconis, Sawisse venator curie, Groznata, Arnoldus prepositus Wissegradensis, Benedictus prepositus Lutomericensis et cancellarius, Boguslaus decanus, Godscalcus custos, Ansalmus, Diuinus canonicus Wissegradensis et alii quam plures.

375.

(FALSUM SAEC. XIII. EX.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Břevnov libertates a Boleslavo I, duce Bohemiae, concessas confirmat, petente Dluhomilo abbate. Pragae 1220 mense martio.

Charta autographi instar manu saec XIII in membrana scripta in tabulario monasterii Břevnovensis asservatur (A).

Ziegelbauer, Epitome historica .... monii. Brevnoviensis pag. 248, probatio V = Erben, Reg. Boh. I, pag. 290, num. 620 (frgm.) — Dobner, Monum. hist. Boem. VI, pag. 9, num. 16 (reg.).

*Charta eadem manu scripta est, quae etiam utrumque exemplar illius chartae spuriae scripsit, quam monasterium in Břevnov a Břetislavo, duce Bohemiae, anno 1045 oct. 18 accepisse fertur (v. Cod. dipl. Boh. I, num. 379). Quam quidem chartam saeculo XIII exeunte demum confectam esse demonstravi in dissertatione „O dvou nejstarších listinách kl. Rajhradského" in: Sborník prací žáků Gollových, pag. 72 sq. Cum charta ista ad verbum concordant ea, quae litteris minoribus impressa numero **I** in margine apposito denotantur. Accedit, quod ex iis, quae charta continentur, praecipue iudicandi potestas abbati concessa omnino abhorret ab illius temporis usu atque consuetudine, ad quod charta se spectare simulat. — Porro notandum est, quod charta fere tota de aliis diplomatibus exscripta est. Ea quae in margine numero **II** designantur, ad verbum descripta sunt ex illo privilegio praecellenti, quod Otakarus I rex anno 1222 mart. 10 monasteriis et ecclesiis Bohemiae concessit (v. supra num. 227). Privilegii huius illud apographum auctori chartae prae manibus erat, quod in tabulario monasterii Břevnovensis usque adhuc asservatur, in quo scribae incuria annus 1220 adfertur, quem etiam charta nostra repetit. Maior chartae pars repetit verba diplomatis, quod Venceslaus I, rex Bohemiae, anno 1234 iul. 14 monasterio Břevnovensi dedit (Erben, Reg. Boh. I, num. 842); quae verba numero **III** in margine apposito notavi. Praeterea nonnulla descripta sunt ex privilegio, quod Přemysl, marchio Moraviae, anno 1234 nov. 2 monasterio in Rajhrad dedit (Erben, Reg. I, num. 862); quae in margine numero **IV** designantur. Denique aliquot testium nomina ex Otakari I regis*

374. *b)* ‚MCCLXVIIII' *B, ubi* ‚LX' *alio atramento magis distincto superscriptum est.*

confirmatione, quae monasterio in Břevnov anno 1224 iul. 24 data est (v. supra num. 259), descripta sunt. Quibus omnibus circumspectis dubium esse non potest, quin charta nostra adulterina *et saeculo XIII exeunte demum confecta sit.*

§ In nomine sancte ac individue trinitatis amen. * Ottacarvs, qui et Premizl, dei gracia * (II)
Boemorvm rex, universis tam ‖ presentibus quam futuris Christi fidelibus in perpetuum. Ex
iniuncto nobis regalis dignitatis officio preces humilium exaudire debemus et eorum
iustis peticionibus assensum benivolum prebere. Nos igitur ad iustam et ‖ instantem (III)
peticionem domini Dlvgomili, venerabilis abbatis in Brevnov, et omnium fratrum ibidem deo
militantium omnem libertatem a famosissimo duce Bolezlao, nostro progenitore, ecclesie
Brevnouensi, cuius ipse fundator ‖ exstitit, concessam auctoritate regia confirmamus,
eiusdem libertatis et nostre concessionis pro salute anime nostre et antecessorum
successorumque nostrorum singulos articulos in hoc nostro privilegio plenius
declarantes. In primis siquidem remittimus et precipimus firmiter observari, ut omnes (II)
homines ecclesie Breunovensis habiti et habendi, sive sint rustici, sive servientes,
si quando de furto vel alio maleficio accussati fuerint, non nisi per vicinatus testimonium se
studeant expurgare et falsus accusator nobis in trecentis denariis condempnetur. Ad hec homines
monasterii Brevnouensis nullius castri iudicum seu beneficiariorum, sed tantum sui abbatis (III)
astent iudicio *; verum, si causa sanguinis * fuerit, a nobis vel a * iudice curie nostre vel coram (II)
illis, quibus nos vices nostras commiserimus, iudicentur. Et si per experimentum (IV)
ferri candentis, vel aque frigide seu ferventis, vel vomeres calcandos, seu duelli, vel alio
seculari iudicio culpabiles inveniantur, nec nobis nec iudicibus nostris curialibus vel beneficiariis a nobis
infeudatis aliquid inde utilitatis proveniat, sed omnia bona furis sive rei ecclesie Brevnouensi
integraliter remaneant secundum arbitrium domini abbatis in usus necessarios dispo-
nenda. Adversario tamen satisfaciat competenter; iudices autem, quorum interest,
faciant de fure, quod eis iustum videbitur. Preterea idem abbas suique successores liberum
habeant usum silvarum suarum et cum hominibus ecclesie sue in omnibus theloneis,
in aquis et in viis tocius Boemie constitutis, nichil * cuiquam racione beneficii persolvant. (I)
Et quod dicitur ceztne, pertinens ad beneficium forestarii, super currus ecclesie antedicte (III)
et pauperes exigi * prohibemus; * nec ullus camerarius ducat aliquem pauperem ecclesie
Breunovensis in testimonium ad citandum aliquos homines, quod ozzada vocatur *. Homines
eciam Breunovensis monasterii ab omnibus exactionibus et gravaminibus *, que vulgariter
dicuntur narok *, zvod *, narez *, nozleh, et a retibus ad venationem nostram ducendis et a vic-
tualibus canibus dandis ipsorumque custodibus, qui holoti vocantur; ab eo eciam, quod dicitur
ozzep, et a sex denariis, quod dicitur seztne, qui dantur magistro venatorie dignitatis, sint liberi
penitus et exempti. Statuimus eciam, ut ecclesia Breunovensis nobis ad expedicionem pro- (II)
ficiscentibus seu colloquium celebrantibus currus victualibus honeratos á modo dare non cogatur,
nec barones seu alii milites in domibus Breunovensibus hospitentur, nisi voluntate abbatis
vel fratrum ipsius. Et si quis contrarium facere presumpserit, quod ibi consumpsit in duplo
restituat et nobis decem marcas puri argenti persolvat. Volumus eciam, quod homines
Breunouenses debitam servitutem fugientes a villicis regalibus seu aliis laicalibus personis non
recipiantur; nec graventur homines in villis Breunouensibus, quando aliquis occisus vel stran- (III)

gulatus, quod hlawa nuncupatur, infra campos alicuius ville proiectus ab iniquis hominibus reperitur,
per quod pauperes calumpniose puniuntur, sive invicem sediciose, seu a latronibus vulnerentur, quod
est rannik, sed liberi sint; abbati tamen de culpis suis responsuri. Et si * aliquis eorum fuerit
suspensus, quod vizelez dicitur, ipsos totaliter absolvimus, arbitrio domini abbatis relinquentes,
ut quicquid exinde provenerit, sicut supra diximus, in usus ecclesie convertat. Sint eciam
homines Breunovenses ab hiis, quae dicuntur wrez *, prezeca *, poiezda et p[z]arove
(II) et ab operibus castrorum seu fossatorum ac piscinarum liberi et absoluti. Et marsalcus noster iunior
in foro Pragensi, vel alias, ratione beneficii sui pauperes Brevnouensis ecclesie res
suas vendentes in nullo audeat molestare. Decrevimus eciam, quod ea, que privilegiis regum
et ducum Boemie probari poterunt esse Brevnouensis ecclesie, dominus abbas habeat
illa et possideat sine lite, nec aliis testibus uti cogatur. Ceterum quicumque contra remis-
siones, concessiones et donationes nostras et serenissimi ducis Bolezlai ad peticionem
sancti Adalberti, patroni nostri, episcopi Pragensis, in ipsius privilegio conscriptas
aliquid attemptaverit, in quinque marcis auri domino abbati passo iniuriam condempnetur
(I) et alias quinque in nostro erario componat. Si quis autem successorum nostrorum vel heredum
contra hoc privilegium nostrum ausu temerario venire presumpserit, maledictionem paternam
(III) pro benedictione recipiat et ultioni divine ac Gehenne ignibus deputetur. Et ut hec nostra renovacio'
(II) concessio et donatio rata permaneant et firma, nostro sigillo presens privilegium fecimus
roborari coram hiis testibus, quorum nomina sunt subscripta: Dalebor iudex, Martinvs pin-
cerna, Jaros, Bohuzlavs, Sdezlav, Cesta, Wsebor, Zauisse *, Witko,[1] Heinricus, Witko senior,[2]
Nicolaus, Hridebor, Crezizlav, Heinricus dapifer, Coiata subdapifer, Heinricus filius Bohute, Olricus
filius Jurich, Zbramir iudex de Plizen, Benes et frater eius Marquardus, Bawor, Mstidruh
castellanus Pragensis, Wlastizlav iudex Chvrimensis.[3] Datum Prage per manus * cancellarii
nostri Benedicti *, prepositi Lvtomiricensis. Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo
CCXX, indictione VIII, mense marcio *, anno * regni nostri deo propicio[4] XXII.

Sigillum, quod chartae appendebat, iam avulsum et deperditum est. — (Přemysli Otakari II sigillum, quod nunc chartae nostrae adiacet, ad aliud regis ipsius diploma pertinet).

376.

(FALSUM SAEC. XIV.)

Henricus Vladislavus, marchio Moraviae, diiudicata lite, quam monasterium in Hradiště cum hominibus marchionissae de villa Lužice habuit de silva sita apud Lašťany et Domašov, silvam eandem monasterii in Hradiště propriam esse decernit eiusque metas accuratissime describit. *In Znojmo 1220 sept. 9.*

Apographum saec. XVII servavit P. Michaelis Siebenaicher, Historica relatio de conditoribus ... monasterii Gradicensis, cuius cod. ms. in tabulario terrae Moraviae Brunensi asservatur, fol. 59r—60r (B).

375. 1) *Nomen* ,Witko' *ex diplomate num. 259 descriptum est.* — 2) *Nomen* ,Witko senior' *ex Venceslai I regis privilegio a. 1234 iul. 14 dato impostor descripsit.* — 3) ,Bawor — Chvrimensis' *ex diplomate num. 259 descripta sunt.* — 4) *Verba* ,deo propitio' *ex eodem privilegio num. 259 exscripta sunt.*

Sternberg, Umrisse einer Gesch. d. böhm. Bergwerke. Urkundenbuch, pag. 4, num. 3 (cum anno 1200) — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 77, num. 67 (cum anno 1215; cuius editionis menda corrigit Teige, Zpráva o pramenech dějin kl. Hradištského [in: Věstník kr. Česke společnosti nauk, 1893, num. XII], pag. 41, not. 2) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 263, num. 562 (frgm.).

Chartam illo, ad quem refertur, anno datam esse non posse, ex eo perspicitur, quod auctor ipsius usus est privilegio a Přemyslo marchione anno 1234 apr. 5 eidem monasterio concesso (Erben, Reg. I, num. 833), ex quo inscriptionem totidem verbis descripsit. Praeterea etiam arengae initium ad illius privilegii exemplum conscriptum esse videtur. Accedit, quod in charta nostra nonnulla iisdem verbis exprimuntur atque in chartis spuriis, quas idem monasterium ab Henrico Vladislavo marchione a. 1200 sept. 1 et 1201 sept. 1 accepisse fertur (vid. num. 351 et 352), et quae saeculo XIV demum confectae sunt. Qui quidem consensus fortasse ita explicari potest, quod omnes tres chartae ab eodem auctore conscriptae sunt. Itaque dubium esse non potest, quin etiam charta nostra adulterina et saeculo XIV confecta sit.

In nomine Domini amen.[1] Nos Wladislaus, dei gratia marchio Moraviae, monasterio Gradicensi Praemonstratensis ordinis,[a] Olomucensis dioecesis, et fratribus tam presentibus quam futuris professis ibi regularem vitam in perpetuum. Cum magnifica principalis excellentia debeat in suo iure quemlibet confovere,[2] iniurias teneatur reprimere, ac calumnias malitiis hominum nullatenus indulgere, noverint universi tam praesentes quam futuri, quod cum dominus Bonifacius, abbas monasterii Gradicensis, Praemonstratensis ordinis, ex una et homines villae de Luzicz, ad praeclaram dominam coniugem nobis gratam[3] pertinentes, ex parte altera, orta lite inter se pro quadam silva secus villas Lassczian et Domassow et montibus, ubi metallum ferri foditur, et aliis montibus, in quibus molares lapides acquiruntur, et rivulis, in quibus aurum foditur, et omnibus aliis utilitatibus, curiam nostram sive colloquium nobis cum nostris baronibus in Znoim celebrantibus, partibus convocatis in nostra praesentia constitutis, petivit abbas praedictus, super bonis praedictis sibi fieri iustitiae complementum. Tandem motis hinc inde verbis inter partes[b] ac multiplicatis, iudicavit iusta sententia baronum nostrorum dominum abbatem in sua actione debere producere testes idoneos et fide dignos. Produxit ergo hos testes dominus Bonifacius abbas coram nobis, videlicet: Bavarum camerarium, Zavissie castellanum, Veliz iudicem Olomucensem, Bludonem castellanum Preroviensem, Bicenonem fratrem suum, Onsonem et Victorem filios Bludonis, Przedborium de Cetow, Protyven de Vniczow, quorum testimonio, cum nobis et nostris baronibus id sufficienter visum fuisset comprobatum, nos de solita nostrae benignitatis clementia, quia nulli iustitiam subprimere tenebamur, saepe dictum dominum Bonifacium abbatem, cui aequitatis forma partem iam favet

376. a) ‚ordinis' *deest B.* — b) ‚partis' *B.*

1) *Invocatio concordat cum chartis num. 351 et 352.* — 2) *Inscriptio et arengae initium descripta sunt ex privilegio Přemysli marchionis 1234 apr. 5 dato; v. Boczek, Cod. II, pag. 262.* — 3) *Cf. supra pag. 363, lin. 24.*

potiorem, eiusdem silvae cum utilitatibus supra dictis nomine sui monasterii pleno iure fecimus possessorem. Inclinavit igitur abbas praefatus et duos * denarios, qui vulgo przisudni dicuntur, in signum causae obtentae coram nobis Veliz iudici praesentavit.[4] Ad petitionem etiam abbatis supra dicti misimus e latere nostro nostros * beneficiarios Olomucenses, videlicet Bavarum camerarium, Zavissie castellanum, Veliz iudicem cum * camerariis, qui vulgo pohonczi dicuntur, scilicet * Mislik de Medlow, Bohudarz cum fratre suo Janek de Duban, Stremena de Chudobyn, qui praedictum abbatem de bonis iam dictis auctoritate nostra nomine monasterii Gradicensis facerent possessorem et etiam bona praedicta per certas metas, quae vulgo hranicie vel kopczy sive vrociscie[c] dicuntur, secundum terrae consuetudinem circuirent, ne praedictum monasterium in * possessionibus supradictis ab hominibus de Luzicz vel aliis vicinis quibuslibet possit per aliquam calumniam seu violentiam de coetero molestari. Praedicti vero beneficiarii bonis saepe dictis metas antiquas renovantes taliter posuerunt: Prima meta[5] circa Domassow super rivulum Olessnik est posita, quae vulgo dicitur kopecz; deinde directe trans montem procedendo sunt metae, quae vulgo hranicie dicuntur, usque ad fluvium Dobrnik est meta quae vulgo dicitur kopecz; qui fluvius per ascensum facit metam usque ad suam originem, et ibi est posita meta, quae vulgo dicitur kopecz. Deinde per directum eundo sunt signa, quae vulgo hranicie dicuntur, usque ad viam publicam, quae vulgo dicitur Rudna czesta; trans viam vero praedictam per directum eundo sunt metae, quae vulgo hranicze dicuntur, trans fluvios Lodimnicie et Lubkow usque ad locum, qui vulgo dicitur Chlum. Post haec directe eundo sunt metae, quae hranicie dicuntur, trans fluvium, qui dicitur Bistrzicie usque ad originem fluvii, qui vulgo dicitur Byssowa. Ab origine Byssowa per directum est ascendendum per signa, quae hranicie dicuntur, usque ad montem, qui dicitur Rosuticze; et sic trans montem Rosuticze per longum sunt hranicie usque ad fluvium Moravicie. Fluvius vero praedictus per descensum fluens facit metam usque sub montem, qui dicitur Ruden. Et sic per directum eundo usque ad originem fluvii, qui dicitur Lopemnicze; deinde directe ad originem fluvii Budissow. Postea per directum eundo usque ad originem fluvii, qui dicitur Luboska; deinde per directum ad originem fluvii Stara woda. Postea per directum trans fluvios Scripowy et Bistrzicze usque ad locum, qui dicitur Bychotino pole. Deinde directe per semitam procedendo usque ad fluvium Hraniczni. Fluvius vero praedictus fluens per descensum facit metam usque ad viam quae dicitur Gywowska czesta. Via vero praedicta metam facit usque ad originem fluvii, qui vulgo dicitur Strzelni. Fluvius vero praedictus per descensum fluens facit metam sicut fluit in fluvium Lodimnicie. Praedictus vero fluvius per descensum fluens facit metam usque subtus villas Lassczian monasterii Gradicensis ex una

---

376. *c)* ‚vrotiscie‘ *B.*

4) *Quae ab* ‚Inclinavit‘ *usque* ‚praesentavit‘ *litteris minoribus imprimuntur, concordant cum sententia iudiciali a. 1282 sept. 16 data; vid. Boczek, Cod. dipl. Mor. IV, pag. 274.* — 5) *Verba* ‚Ad petitionem — Prima meta‘ *litteris minoribus impressa concordant cum charta spuria num. 351.*

et villam Bilkovicze ex altera parte. Quidquid igitur in praedictis bonis ex utilitate auri, ferri, lapidum molarium et omnium metallorum de coetero provenerit, infra distinctionem signorum et metarum supra dictarum, ad monasterium pertinet memoratum. Fluvii vero supra dicti metam distinguentes sunt cum libera ripa et aqua monasterii nominati, ita quod[d] in ipsis molendina sine aliqua contradictione vicinorum potestatem habeat abbas liberam faciendi.[6] Ut autem gesta praemissa et causa per nos et nostros barones rationabiliter terminata robur obtineat firmitatis, praesens privilegium scribi fecimus sigilli nostri munimine roborantes; hoc quoque decernentes, quod quicunque hoc privilegium per nos propter deum dicto monasterio pie datum et bona cum metis, quae in ipso continentur, praesumpserit violare, causam praedictam renovando et ipsum abbatem et successores suos per actionem calumniosam ad iudicium evocando, si non satisfecerit abbati et suis successoribus vel monasterio nominato, ipso facto coram iudicio causam suam amittat et decem marcas auri sine relaxatione nobis solvere teneatur. Huius rei testes sunt: Bavarus camerarius, Zavissie castellanus, Veliz iudex, Olomucenses beneficiarii, et alii plures fide digni. Actum et datum in Znoim anno Domini MCCXX,[e] quinto idus septembris per manus Apollinaris notarii.[7]

377.

(FALSUM SAEC. XVII.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, diiudicat litem, quae inter capitulum ecclesiae sancti Petri in Vyšehrad et Arnoldum praepositum erat de possessionibus circuitus montis Psáře et circuitus montis Vyšehrad, idemque praeposito et capitulo iurisdictionis potestatem concedit.

In civitate Pragensi 1222. dec. 16.

Duo chartae autographorum instar in membrana confectae in tabulario capituli collegiati Vyšehradensis asservantur (A^1, A^2).

Bartholdus Pontanus a Braitenberg, Bohaemia pia, pag. 70. — Hammerschmidt, Gloria et maiestas .... Wissehradensis ecclesiae, pag. 167, num. 4 (ex A^2) = Emler, Reg. Boh. II, pag. 1159, num. 2643 (omisso initio).

Utrumque chartae exemplar scriba quidam scripsit, qui antiquas medii aevi litteras imitari conatus est, sed rem male gessit; nam omnes fere litterarum formae ab antiquo scribendi modo prorsus diversae utramque chartam saeculo XVII demum scriptam esse manifesto ostendunt. Accedit, quod compendia plurima demonstrant scribam prorsus inscium fuisse illius abbreviandi modi, qui posterioris medii aevi saeculis ubique viguit

---

376. *d)* ‚itaque' *B.* — *e)* ‚1225' *B, sed* ‚5' *eodem fere atramento ex* ‚0' *corr.; ad quam emendationem spectat haec nota stilo plumbeo manu eiusdem fere temporis scripta:* ‚NB. ita habet privilegium ipsum, proinde annus obitûs reverendissimi d. Bonifacii eo extendendus.' *Cum autem in folii 57^r margine manu prima adnotatum sit* ‚Privilegium super Domassow et Lascian a. 1220 datum', *emendationem illam per imprudentiam factam esse puto.*

6) *Verba* ‚Fluvii vero — vicinorum' *litteris minoribus impressa concordant cum num. 352.* — 7) *Quae inter* ‚Ut autem — notarii' *litteris minoribus imprimuntur, cum charta num. 351 ad verbum concordant.*

(exempli gratia ‚proprius‘ *in charta nostra scribitur:* pp° *et* pp⁹, ‚prepositum‘ *scribitur:* ppofitū, ‚querelas‘ *scribitur:* q̄r'las, ‚potestate‘ *scribitur:* p̄ofte, ‚homines‘ *scribitur:* hn̄es *et cet.). Quibus circumspectis utramque chartam saeculo XVII demum confectam et spuriam esse nemo non videt. Cum qua sententia congruit, quod etiam notae in chartarum dorso scriptae, quae ad depositionem in tabulario capituli spectant, saeculo XVII non sunt vetustiores. — Charta in medium prolata est in lite, quam capitulum Vyšehradense adversus iudicem et civitatem Novae Civitatis Pragensis egit a. 1671; vid. Teige, K listině Otokarově z 16. prosince 1222, in: Český Časopis historický III (1897), pag. 97. — In charta conscribenda impostor exemplum sibi delegit Otakari I regis diploma anno 1222 datum, quod supra num. 229 edidimus; ex quo quidem diplomate illa ad verbum descripta sunt, quae litteris minoribus impressa designantur in margine numero I. Praeterea nonnulla e diplomate Otakari regis anno 1211 m. apr. dato (vid. num. 90) descripta sunt; quae numero II in margine addito notavi.*

(I) § In nomine sancte et individue trinitatis amen. § Cum sepe coram regia nostra clementia specialis ecclesie nostre regie sancti Petri in Wisegrad regium nostrum capitulum ‖ contra karissimum consanguineum nostrum Arnuldum, eiusdem ecclesie prepositum, et contra eiusdem capituli fundorum censuitas graves et luctuosas proposuerint querelas, nos rogando, ut eorum dissensiones ‖ de possessionibus circuitus montis Psarz et circuitus montis Wisegrad, cuinam ad eas ius attineat, iudicio nostro discerneremus, quatenus quilibet eorum quod suum est pacifice possidentes tandem loco rixa‖rum eo diligentius in deo pro nostris et fidelium peccatis placando sacrificiis et oracionibus vacare valeant; ut itaque eorum (I) iuste satisfieret petitioni, § ego Premizl, § divina favente gratia tertius Boemorum rex, sciens deum sibi complacere in fratrum concordia ita quod eam per suum mirifice collaudat psalteristam dicens: ‚Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum‘,[1] volentes huic divine voluntati prefatos capituli fratres fieri conformes, de dictis possessionibus eos de nostra regia potestate super hoc nostro iudicio aquiescere iubemus. Quod attinet circuitum montis Psarz, cuius mete a sinistris eundo in montem foris valvam est statim vasta vallis natura facta currens usque ad ripam Wltaue penes Branik et sursum ad metas Duorecz ad latus Wltaue super clivum montis Psarz[a] supra Puodol[b] per foveam, que vocatur Straci duol,[c] tendens infra contra curiam muratam, que est capituli propria, in Puodol[b] ad viam communem sub monte penes ortos spectantes ad tuguria piscatorum regine. Inde per viam antiquam, que ducit prope ripam Wltaue usque ad aream nauli in ripa Wltaue iuxta montem[d] Wisegrad sitam, hinc per ascensum ad valvam Wisegrad. Iste circuitus[e] cum monte Psarz, sicut ante dinoscitur fuisse proprius capituli,[f] ita sit proprius in perpetuum cum omnibus possessionibus eius, videlicet ortis, lupuletis, agris, vineis, pratis, pascuis, fluvio Boticz et super eum rivulo cum fossatis,[g] silvis, fructetis et toto latifundio. Preterea ville cum hominibus

377. *a)* ‚Psarz‘ *deest in A2.* — *b)* ‚Podol‘ *A2.* — *c)* ‚Straczi duol‘ *A2.* — *d)* iuxta rupem montis‘ *A2.* — *e* ‚totus‘ *additur in A2.* — *f)* ‚capituli proprius‘ *A2.* — *g)* ‚fossis‘ *A1, A2.*

1) Psalm. 132, 1.

circa eundem montem Psarz site etiam sunt eiusdem capituli et esse debent in perpetuum proprie, nominatim villa Psarz et Nuosle[h] cum eorum attinentiis usque super cacumina montium supereminentium, villa Mihle, predium Pratieticze, Krcz et Branik cum eorum omnibus attinentiis. Super circuitu Wisegrad et possessionibus ad eum pertinentibus sic predictos fratres pacificamus: videlicet mons Wisegrad et civitas, teloneum in valva superiore[i] totum; a valva vero et villa Psarz tota convallis cum suburbio, ortis, pratis et aquis sub dicto monte Wisegrad usque ad ripam Wltaue,[j] in quo sita est ecclesia sanctorum Cozme et Damiani ad capitulum pertinens, et sursum per summitatem montis Wietrnik cum aliis montibus et super eos pascuis, fructetis, silvis, que se protendunt usque super villam Nuosle;[h] ad dextrum vero latus valve superioris fluvius Wltaua cum insula et utraque ripa usque ad inferius nostrum teloneum in Podskali defluens; totus iste circuitus cum omnibus supradictis attinentiis est proprius capituli et in perpetuum esse debet proprius. Et in has possessiones prepositus non debet se imponere capitulo amodo in perpetuum. Possessiones vero, que sunt ultra ripam Wltaue sub Wisegrad, villa Hluboczerpi[k] et Kosirz cum eorum attinentiis et ultra vallem montis Psarz in Wrsouicz II[l] curie, villa Zabehlicze et Strasnicze maneant preposito et successoribus eius. In his et omnibus alliis[m] eorum bonis ubicunque existentibus presentibus et futuris prepositus in suis et capitulum in suis iudicent omnes causas, possessiones, fundos, homines suos in perpetuum, vel si in sanguinem iudicare noluerint, tunc curia nostra iudicet. Et si quis ex (II) possessoribus fundorum ecclesie, sive sint milites sive panosi, nobis vel successoribus nostris in mulctam vite vel possessionis lapsus fuerit, possessio quidem eius ecclesie, caput cedat regie iustitie gladio. Prepositus vero et capitulum ad nos et successores nostros nullo medio suum respectum cum omnibus eorum possessionibus habeant nec de eorum dictis possessionibus ulla inferior potestas ministerialis quidquam preter nos et successores nostros in persona iudicare valeat; volumus enim istius specialis capelle nostre regie possessiones integraliter esse liberas. Eas etiam possessiones, quas predecessores eorum mundanis hominibus non de nostra scientia certa[n] vel nostrorum predecessorum impropriarunt, dictis possessoribus plenarie reaccipimus et ecclesie restituimus atque ex nostre regie potentie plenitudine, quod in futurum per prepositum vel capitulum de bonis eorum preter nostram et successorum nostrorum certam scientiam, voluntatem et literalem ordinationem nihil vendatur neque commutetur neque emphiteotice exponatur in perpetuum de presenti statuimus. Et si quid de dicta voluntate nostra vel successorum[o] vendatur vel emphiteotice exponatur, id fiat cum annuo iusto censu ad duas vel III vitas. Et si quid contrarium factum fuerit, id nihil

377. *h)* ‚Nusle' *A2.* — *i)* ‚superiori' *A2.* — *j)* ‚sub monte' *additur in A2.* — *k)* ‚Hlubocerpi' *A2.* — *l)* ‚due' *A2.* — *m) ita A1, A2.* — *n)* ‚de certa scientia nostra' *A2.* — *o)* ‚nostrorum' *hic scribae incuria omissum esse nemo non videt.*

roboris et firmitatis unquam habeat. Ne vero capituli fratres in suis prebendis per detencionem census minucionem ullam patiantur, de nostro hoc statuto ordinamus: quicunque possessor ecclesie fundi cuiuscunque in assignato termino vel post eum inter medium annum tunc proximum integraliter dictum censum non exolverit, ab omni iure in fundum cadat et prepositus vel capitulum se de eorum autoritate [p] velut de propria hereditate intromittat temporibus perpetuis. Et cum regii iuris sit munificentiam in dei causa ostendere, hinc preter magnifica predecessorum nostrorum ducum et regum Boemie indulta eandem ecclesiam nostram regiam amplius exaltare volentes, primo quidem omnia ea, que dicti predecessores nostri pro pace eiusdem ecclesie statuerunt et universas gratias, libertates, laudabiles consuetudines, indulta et omnia iura deliberato animo ex plenitudine nostre regie potentie non solum innovamus, aprobamus,[q] ratificamus et confirmamus, sed etiam integraliter de novo damus et donamus. Etiam eidem capitulo damus et donamus de[r] nostra propria liberalitate de novo aream nauli cum suis attinenciis sitam in Puodol iuxta viam sub rupe montis Wisegrad cum naulo et teloneo in Wltaua. Et de dicta area in ripa Wltaue situata, prout supra dicitur, unam medietatem nauli accipiat prepositus et alteram medietatem fratres capituli; similiter de teloneo. Et has utilitates omnes accipiant prepositus et capitulum, prout cuique eorum hec nostra pacificatio et nova donatio ordinat exnunc in perpetuum. In cuius rei testimonium et evidentiam perpetuam presentes conscribi mandavimus
(I) et nostrorum sigillorum munimine roborari. Facta est hec pagina nostra in civitate Pragensi anno Domini MCCXXII, die XVI decembris, X indictione, regni nostri anno XXI, presentibus testibus: Benedicto preposito Lutomiricensi, cancellario nostro, Eppone preposito Pragensi, Peregrino preposito Melnicensi, Bogutone preposito Bolezlauensi, Zlaucone camerario nostro, Boguzlao [s] filio eius, Budiwoione, Benessone, Marquardo et Zawise fratribus eius, Jarosone,[t] Heinrico Witkone et alio Witkone fratribus et multis aliis. * Si quis autem huic tam antiquarum quam novarum gratiarum nostre donationi de novo facte et pacificationi obviare vel eam calumniose interpretari voluerit, pro singulis capitulis solvat X libras auri; medietas nostro erario reliqua medietas ecclesie Wisegradensi applicetur, privilegio nichilominus in sua firmitate manente.

Utrique chartae appendet e filis sericis flavis sigillum Otakari I regis e cera nigra confectum, quod imitando expressum est ad illius sigilli veri formam, cuius descriptionem vide apud diploma num. 57. — Da cerae colore vide ea, quae ad diploma num. 90 adnotavimus.

378.

(FALSUM SAEC. XIII. ALT. MED.)

(I) *Agnes, abbatissa monasterii sancti Georgii in castro Pragensi, omnes possessiones et libertates monasterii sui consignari et confirmari curat.*

---

377. *p)* ‚propria autoritate' *A²*. — *q)* ‚approbamus' *A²*. — *r)* ‚ex' *A²*. — *s)* ‚Boguslao' *A²*. — *t)* ‚Jarsone' *A²*.

(II) *Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Agneti, abbatissae sancti Georgii, eique succedentibus plenam iurisdictionem in homines eiusdem monasteri concedit.*

— — —.

Charta autographi instar manu saec. XIII. posterioris in membrana scripta in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A).

Hammerschmidt, Historia ... s. Georgii in castro Pragensi, pag. 30, num. 8 (pars prima „Ne propter hominum — J. episc Prag.") *et pag. 29, num. 7 (pars altera usque:* „Bniscicih, Wlaze"). — *P. Raymund von der heil. Elisabeth, Klosterstift St. Georgen I, pag. 375. — Erben, Reg. Boh. I, pag 336, num. 723 (fragm.).*

Chartae maior pars (usque ad possessionum elenchum) iisdem verbis conscripta est atque charta proxime sequens, hoc tantum discrimine interposito, quod ea pars, quam ibi numero I in margine addito notavimus, hic in secundum locum posita est. Praeterea in charta sequenti possessionum nomina non adferuntur. — Charta adeo inusitate et inepte conscripta atque diplomatum Otakari I generi scribendi dissimilis est, ut haec res sola suspicionem moveat. Otakari I regis temporibus ipsam confectam esse non posse iam ex eo cognosci potest, quod in ea Agneti abbatissae plena iurisdictionis potestas in monasterii subditos conceditur; quae res ab illius aetatis usu et consuetudine omnino aliena est. Quae quidem sententia eo comprobatur, quod in Otakari II regis diplomate anno 1262 ian. 30 dato (Emler, Reg. Boh. II, num. 345) constituitur, ut homines eiusdem monasterii tantummodo ad regis iudicium respectum habeant. — Possessionum et vectigalium elenchus, qui in altera chartae parte adfertur, ad verbum fere concordat cum illo elencho, qui legitur in Gregorii IX papae privilegio dato anno 1233 iul. 2 (Erben, Reg. Boh. I, num. 810). In eodem privilegio commemorantur etiam „libertates et exemptiones secularium exactionum, que zwod, naroch, glawa, nochleh et narez vulgariter nuncupantur, a clare memorie Wenczelao *[ita scribae incuria loco Otakaro!]* rege Boemie monasterio" *sancti Georgii concessae. Accedit, quod in Otakari II regis diplomate dato 1271 oct. 16 (Emler, Reg. Boh. II, num. 762) confirmantur et renovantur* „privilegia immunitatum ipsius ecclesie, que progenitorum eiusdem regis memoranda prioritas dicto monasterio concesserat;" *in quo quidem privilegio expresse nominatur exemptio ab* „nochleh seu narez et preseka... zuuod, narok et... hlaua." *Hiis itaque circumspectis satis constat monasterium s. Georgii ab Otakaro I rege* v e r u m q u o d d a m d i p l o m a *accepisse, quo verisimillime possessionum confirmatio et libertatum, quae supra nominantur, concessio continebatur. Cum autem libertates, quae in charta nostra conceduntur, ampliores sint, quam illae, quae in Gregorii IX papae privilegio recensentur et in Otakari II confirmatione confirmantur, dubium esse non potest, quin charta nostra ab illo Otakari I regis diplomate genuino prorsus diversa et post Otakari II confirmationem demum confecta sit. — Charta notis temporis omnino caret, sed ipsam hoc loco intexere placuit, quod primitus in ipsa Venceslaus dux Pliznensis et Johannes electus Pragensis (consecratus in episcopum a. 1227 dec. 19) appellabantur, quae dignitates postea alia manu in loco raso correctae sunt.*

(III). *Testimonium de emptione insulae cuiusdam contra dominum Hroznatam sitae, quam Vítek pro dimidia marca emit hereditarie possidendam.*

[1201—1220]

Annotatio haec sub chartae plicatura alia manu saec. XIII scripta verisimile non est nisi apographum antiquae schedae, quae quondam memoriae causa de Vitkonis emptione conscripta erat, et d e c u i u s f i d e d u b i t a n d u m n o n e s s e *videtur. — Emptionem*

inter annos 1201—1220 factam esse ex eo cognosci potest, quod inter testes Mathaeus canonicus Pragensis nominatur.

(I) ‡ In nomine sancte ac individue trinitatis. ‡ Ut omnis calumpniis hominum occasio precludatur, et ne propter hominum brevem vitam probationum copia subtrahatur, tam in contractibus quam in aliis ‖ negociis, non solum habundans, set superhabundans necessaria est cautela. Ideoque ego A.,[1] abbatissa sancti Georii martyris, cuius monasterium in castro Pragensi situm est, ancillarum dei ibidem Domino servientium humilis ‖ ministra, filia incliti regis Boemie Wladislai, presens instrumentum duxi confitiendum, in quo villas, possessiones, territoria, predia, libertates, tam personales, quam reales, concessas ecclesię sancti Georii primitus a glorioso rege Boemie ‖ Wladislao, patre meo, et postmodum renovatas a victorioso rege Otakaro, fratre meo, et remissiones servitutum et omnia, que ad ius et dominium pertinent dicti monasterii, precepi fideliter consignari, ut ipsa conscriptio apud posteros de his, que nunc gerimus, memoria sit perhennis et adversus invasorum malicias validum munimentum. Hanc etiam paginam memorati regis Otakari fratris mei et serenissime uxoris eius Constantie, regine Boemorum, nec non illustris filii eius Wenceslai, regis Boemorum,[a] carissimi nepotis mei, et eiusdem coniugis, nurus meę, et J.,[2] viri venerabilis, episcopi[b] Pragensis ęcclesię, et baronum Boemie quam plurium, qui in subsequentibus nominantur,[3] obtinui sigillis, testimoniis et subscriptionibus[c] insignari. Prediorum autem et villarum nomina sunt hec, quę omnia ęcclesię sancti Georii tempore regiminis[d] mei possedit XL annis continue et amplius sine lite pacifice et quiete, a censibus et tributis, a publicis muneribus, videlicet ab edificatione castrorum, a refectione poncium et piscinarum, a preseka,[e] a custodia murorum, a vigiliis nocturnis, que fiunt in castris, a fossatorum cavatione, ab honere, quod dicitur podwod[f] et prowod, trisne et pogezda, a vectigalibus, quę fiunt, cum rex ad colloquium vel exercitum est iturus,[g] a gravamine, quod dicitur swod et glaua, et ab aliis iniuriis libera et exempta. Et has libertates habuit ecclesia sancti Georii tam in capite quam in membris, in personis et rebus, in habitis et habendis: In[h] prediis siquidem memoratis homines commorantes non trahuntur ad iudicium seculare, camerariis publicis intrare hec predia non licet pro citandis reis; confiscationis sententia, quę plen dicitur, locum non habet; pena, que debetur facientibus otbog, in hiis prediis non debetur; furto seu quolibet maleficio in prediis

378. a) ‚regis Boemorum' *alia manus alio atramento scripsit in loco raso, ubi prius* ‚ducis Pliznensis' *scriptum erat, A.* — b) ‚episcopi' *in loco raso, in quo antea* ‚electi' *scriptum erat, alia manus alio atramento scripsit A.* — c) *super hanc vocem litterae* ‚minis' *scriptae erant, sed iam erasae sunt A.* — d) *primum scriba* ‚regīi' *scripsit, sed littera* ‚s' *erasa postea* ‚minis' *supra lineam addidit A.* — e) ‚s' *in loco raso fortasse ex* ‚z' *eodem atramento corr. A.* — f) *ita A.* — g) ‚us' *in loco raso, in quo compendium* ‚ꝰ' *erat, eodem atramento scr. A.* — h) ‚I' (= vel) *scribae errore A.*

1) *Agnes.* — 2) *Johannis.* — 3) *Mirum in modum baronum nomina inferius non adferuntur.*

comperto, fur vel maleficus traditur curie seculari; sed facultates malefici in usus ecclesie convertentur et generaliter[i] omnes pene sive mulcte et condempnationes et adiudicationes, tam super civilibus causis quam super criminalibus facte, ad usum ęcclesię sunt concesse. Et licet ex his libertatibus plereque Pragensi ęcclesię per Gregorium, diaconum cardinalem sancti Theodori, fungentem legationis offitio in regno Boemie, universaliter sint obtente, mihi tamen et mihi succedentibus et propter me ipsi ęcclesię sancti Georgii a fratre meo rege Otakaro specialius et abundancius sunt indulte.[j] Ego Otakarus, dei gracia rex Boemie, supra scriptis omnibus perhibeo testimonium et subscribo. Ego Constantia, dei gracia regina Boemie, supra scripta testor esse vera et subscribo. Ego Wencelavus, rex Boemorum.[k] Ego Cungundis. Ego J.,[4] episcopus[l] Pragensis. Ego Ota- (II) karus, dei gracia rex Boemię, predecessorum meorum amplians indulgencias, locis et personis religiosis concessas, Agneti, sorori meę, et propter ipsam ecclesie sancti Georgii martyris omnibusque succedentibus ei pro tempore concedo plenam iuris ditionem in homines dicte ęcclesię, dans eidem sorori meę liberam potestatem, ut ipsos nemo alius quam ipsa iudicet, coherceat et condempnet, exceptis causis sanguinis et maleficiis, in quibus hoc volumus obtinere, ut per secularem iudicem fiat animadversio in personas, condempnationibus et rebus maleficorum ipsi ęcclesię applicatis; et tam in capite quam in membris remitto servitutes reales et personales, que debentur iure consuetudionario[f] regni mei, que plene superius sunt notate. Ad perpetuam autem firmitatem sigillo meo roboro presens scriptum, addens nichilominus penam huius indulgentię violatoribus seu turbatoribus infligendam, videlicet ut quecumque persona[m] publica seu privata, sublimis seu infima nostrum fregerit hoc indultum, primum nostram et successorum nostrorum sentiat indignationem et descriptas in privilegio concesso ęcclesiis omnibus[5] ad petitionem Gregorii, sancti Theodori diaconi cardinalis, penas luat. De provintia, que sunt circa castrum: in villa Tinec, Ztativnice, Suchidol, Kamik, Lichucewez,[n] Nutomici, Gradec, Guscinec, Rese, Okori, Knesiwsci, Selunici, Knowizi, Golovsi,[o] Preztawlici, Wirbna, Tusetin, Otwici, Ovnec, Ovnec,[p] Boymici, Breneci, Neradici, Bresani, Cirnkov, Dusnici, Zwemizlici, Boranowici, Ztrescov, Seztlici, Behowici, Criwa wez, Repcici,[q] Radeiowici, Ozlinici, Vgrinewez,[r] Borek, Kirnaz, Pzari, Solopisci, Dudlebci, Dusnici, Nalucowe, Nanewidi, Mocropsi et alii Mocropsi,[s] Leteh, Motol, Zabehlici, Kosur, Lubesov, Krascani, Goreluci,

378. *i) sequitur* ‚p', *quod puncto ex utraque parte posito deletum est A. — j) subscriptiones, quae sequuntur, eadem manu eodemque atramento scriptae sunt A. — k)* ‚rex Boemorum' *alia manus alio atramento scripsit in loco raso, in quo* ‚dux Pliznensis' *scriptum erat, A. — l)* ‚episc.' *in loco raso scr. A. — m) sequitur iterum* ‚persona', *sed eodem atramento cancellatum A. — n)* ‚ch' *in loco raso, in quo* ‚h' *scriptum erat, eodem atramento corr. A. — o)* ‚si' *eadem manus in loco raso scripsit A. — p) ita (bis) A. — q) supra* ‚p' *littera* ‚s' *erasa A. — r)* ‚r' *in loco raso fortasse ex* ‚e' *eodem atramento corr. A. — s) primum* ‚Mocropsi' *scriptum erat, sed postea* ‚et alii Mocropsi' *eadem, ut videtur, manus superscripsit A.*

4) *Johannes.* — 5) *Anno 1222 mart. 10, vide supra num. 227.*

Regleh, Otemeci, Bviezili, Lublin, Bozeh, Bniscicih, Wlaze, Ztradomici, Bratronici. De provincia Lutomericensi: Trebenici, Hodowlici, Glupoglawi, Welemin, Padlesin, Roztesici, Polepi, Scirewici, Wranzco, Hwalowicih, Borec,[t] VIIII forum in Lutomeric, IIII hospites[u] et theloneum; VIIII[v] in Vzt et theloneum. In Satecs VIIII forum. In provincia Melnicensi: in Melnik VIIII forum, Nebusel, Viezd, Gorusici, Horuski, Ninehov, Nawrutici. In provincia Gawranski: Libici, Kanin, Opoleli, Oscek, Oldrisi, Odrepsi,[x] Winarci, Cobilnici, Sadowi, Knenici II. In provincia Netolicensi: VIIII forum et theloneum,[y] Baworowici, Karlowici, Malesici, Vcistimira wesci, Radscici, Pogorowici, Ztronçowici, Lusna.[z] In provincia Prahinensi: Welenowe, Kirlsci, Revnetići, Zamlinene, Wilscowici, Macarow, Bratronici, Napaseiowe, Scewitinzco, Cegcowici.[aa] In provincia Pilznensi: VIIII theloneum Domasilici, Givnaz, Naptenine,[bb] Otesicih, Benovicih, Whorcah, Nowacowicih, Sizencowicih, Tinci, Dvdlebcih, Obitci,[cc] Bnisici. In provincia Bozensi: Nagradisci, Zagoru, Napoli, Podruhli, Huzinci, Drahinicih,[6] Luscowicih, Naztesowe, Nereztci; circa silvam Kletec I animator Martinus. Hii sunt, qui solvunt decimas per provintiam Pragensem: Weltese integra villa, Blsaz[dd] IIII curię, Goresowicih VI, Gobsowicih II, Plichove II, Ozluchove V, Jessine III, Trebusicih IIII (or), Knowizi IIII (or), Pehreh V, Selevcicih II, Wranah integra villa, Scribci integra, Gemniceh II curie, Nedetovicih integra villa, Bratronicih integra villa, de qua ad nullum pertinet, excepta ęcclesia sancti Georgii, Lotusi II curie. Hii sunt solventes per alias provincias: Celeuici, Sdar, Trisine, Olsaz[7], Druseticih, Oztrusen vgezd, Walse vgezd, Albrahticih, Conratov vgezd, Hotesow[7] ugezd, Hindrich ugezd, Hindrichovici, Cretes,[ee] Grabina, Cladorubci, Nowosedli, Setechovici, Nemcici, Zagorcici, Wolemici.[ff]

(III) Hec sunt fragmenta, que superhabundaverunt domui sancti Jeorgii:

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, quod ego Withko comparavi insulam contra dominum Groznatam pro dimidia marca hereditario iure cum adiutorio heredum domini Groznate. Et hii sunt heredes: primus Ziznek,

---

378. [t]) *litterae* ‚ec' *in loco raso alio, ut videtur, atramento scriptae sunt A.* — [u]) ‚IIII hasp̄' *eadem manus superscripsit A.* — [v]) ‚forum' *hoc loco omissum esse cognosci potest ex privilegio Gregorii IX papae dato 1233 iul. 2 (Erben, Reg. I, num. 810).* — [x]) ‚r' *in loco raso eadem manu scr. A.* — [y]) ‚in Prahatic' *hoc loco scribae incuria omissum esse docet privilegium Gregorii IX papae datum 1233 iul. 2 (Erben, Reg. I num. 810).* — [z]) ‚Lusna' *alio atramento, sed eadem, ut videtur, manu superscriptum A.* — [aa]) *ex* ‚Sarowici' *alio atramento correctum (In litteras* ‚Sa' *littera* ‚C' *posita est; in loco litterae* ‚r' *erasae littera* ‚e' *scripta est;* ‚o' *in* ‚g' *transformata est; denique litterae* ‚co' *superscriptae sunt) A. In Gregorii IX papae privilegio hoc loco* ‚Vlicouici' *legitur.* — [bb]) *ex* ‚Naptetine' *eodem fere atramento corr. A.* — [cc]) ‚bi' *in loco raso alio, ut videtur, atramento scr. A.* — [dd]) ‚s' *in loco raso, ubi antea* ‚a' *erat, eodem atramento scr. A.* — [ee]) ‚C' *fortasse ex* ‚Ti' *corr. A.* — [ff]) *Quae sequuntur, alia manus saec. XIII alio atramento magis distincto posterius addidit.*

6) ‚Kuclichi' *hoc loco additur in privilegio Gregorii IX papae a. 1233 iul. 2 dato (Erben, Reg. I, num. 810).* — 7) ‚Olsaz — Hotesow' *desunt in eodem privilegio Gregorii IX papae.*

Vhra, Kuetehc. Et huius rei testis est: Agnes abbatissa, Adleydis, Ztranzlaua, Ludmila, Matheus canonicus Pragensis, Matheus scriba, Wlastizlau pincerna domine abbatisse, Radozlau Vzelinich; eredes regis: Bohumil z Holisovich, Swech, Radozlau; heredes domine abbatisse de Ownech: Wzrad, Scepan Radostich, Marik, Nemoy, Bogdal, Voiata.

Sigillum, quod chartae appendebat e filis sericis coloris rubri et flavi, iam avulsum et deperditum est.

379.

(FALSUM SAEC. XIII. ALT. MED.)

(I) *Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, Agneti, abbatissae monasterii sancti Georgii in castro Pragensi, eique succedentibus plenam iurisdictionem in homines eiusdem monasterii concedit.*

(II) *Agnes, abbatissa sancti Georgii, omnes possessiones et libertates monasterii sui consignari et confirmari curat.* — — —.

Charta autographi instar manu saeculi XIII in membrana scripta in tabulario c. r. aulico Vindobonensi asservatur (A).

P. Raymund von der heil. Elisabeth, Klosterstift St. Georgen I, pag. 370. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 335, num. 722.

Charta iisdem verbis atque prior pars chartae proxime praecedentis conscripta est, hoc tantum discrimine interposito, quod villae et aliae possessiones, quae in illa nominatim recensentur, in charta nostra non perscribuntur; accedit, quod ea, quae numeris I et II in margine additis denotantur, in charta num. 378 ordine inverso leguntur; quod autem certo decerni non potest, utra charta alterius verba repetat, loci utriusque chartae verbis congruentes hac in causa litteris minoribus non imprimuntur. — Charta nota temporis omnino caret, quod autem Venceslaus in ipsa dux Pliznensis nominatur et Johannes nondum episcopus, sed electus tantum Pragensis appellatur, ipsam hoc loco intexere placuit. — Mirum, quod charta nusquam sigillo instructa erat. Ceteroquin ipsam v e r a m e s s e n o n p o s s e ex eo apparet, quod in ea Agneti abbatissae iurisdictionis potestas conceditur. (Vide etiam praefationem chartae praecedentis.)

‖In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Otakarus, dei gracia rex (I) Boemorum.‖ Predecessorum meorum amp‖lians indulgencias, locis et personis religiosis concessas, Agneti, sorori meę, et propter ipsam ecclesie sancti Georgii martyris omnibusque succedentibus‖ei pro tempore concedo plenam iuris dicionem in homines dicte ecclesie, dans eidem sorori meę liberam potestatem, ut ipsos audiat‖nemo alius quam ipsa, iudicet, coherceat et condempnet, exceptis causis sanguinis et maleficiis, in quibus hoc volumus obtinere, ut per secularem iudicem fiat animadversio in personas, condempnacionibus et rebus maleficorum ipsi ecclesie applicatis; et tam in capite quam in membris remitto servitutes reales et personales, que debentur iure debito consuetudinario[a] regni mei, que

379. a) *primum* ‚consuetudionario', *scriptum erat, sed* ‚o' *eod. atramento cancellatum est A.*

plene superius sunt notate.[1] Ad perpetuam autem firmitatem sigillo meo roboro presens scriptum, addens nichilominus penam huius indulgencię violatoribus seu turbatoribus, infligendam, videlicet ut quecumque persona publica seu privata, sublimis seu infima nostrum fregerit hoc indultum, primum nostram et successorum nostrorum senciat indignationem et descriptas in privilegio concesso ecclesiis omnibus[2] ad peticionem Gregorii, sancti Theodori diaconi cardinalis, penas luat.

(II) Et ne propter hominum brevem vitam probationum copia subtrahatur, ut omnis calumpniis hominum occasio precludatur, tam in contractibus quam in aliis negociis non solum habundans, set superhabundans necessaria est cautela. Ideoque ego A.,[3] abbatissa sancti Georgii martyris, cuius monasterium in castro Pragensi situm est, ancillarum dei ibidem Domino serviencium humilis ministra, filia inclyti regis Boemorum Wladislay, presens instrumentum duxi conficiendum, in quo villas, possessiones, territoria, predia, libertates tam personales, quam reales, concessas ecclesie sancti Georgii primitus a glorioso rege Boemie Wladislao, patre meo, et postmodum renovatas a victorioso rege Otakaro, fratre meo, et remissiones servitutum et omnia, que ad ius et dominium pertinent dicti monasterii, precepi fideliter consignari, ut ipsa conscriptio apud posteros de his, que nunc gerimus, memoria sit perhennis et adversus invasorum malicias validum munimentum. Hanc etiam paginam memorati regis Otakari, fratris mei, et serenissime uxoris eius Constancie, regine Boemorum, nec non illustris filii eius ducis Wenceslay Plyznensis, karissimi nepotis mei, et eiusdem coniugis, nurus mee, et J.,[4] viri venerabilis, electi Pragensis ecclesie, et baronum Boemie quam plurium, qui in subsequentibus nominantur,[5] obtinui sigillis, testimoniis et subscriptionibus insigniri. Prediorum autem et villarum nomina sunt hec,[6] que omnia ecclesia[b] sancti Georgii tempore regiminis[c] mei possedit XL annis continue et amplius sine lite pacifice et quiete, a censibus et tributis, a publicis muneribus, videlicet ab edificacione castrorum, a refectione poncium, a preseka, a custodia murorum, a vigiliis nocturnis, que fiunt in castris, a fossatorum cavacione, ab honere, quod dicitur poowod[d] et prowod, trisne et a poiezda, a vectigalibus, que fiunt, cum rex ad colloquium vel exercitum est iturus, a gravamine, quod dicitur swod et glava, et ab aliis iniuriis libera et exempta. Et has libertates habuit ecclesia sancti Georgii tam in capite quam in membris, in personis et rebus, in habitis et habendis. In prediis siquidem memoratis homines commorantes non trahuntur ad

379. *b)* ‚ecclesie', *sed ultimum* ‚e' *alio atramento cancellatum et* ‚a' *alia manu posteriori superscriptum A.* — *c) ex* ‚regisminis' *littera* ‚s' *erasa correctum A.* — *d) primum* ‚podwod' *positum erat, sed, primi* ‚d' *hasta erasa, correctum A.*

1) *Notandum, quod servitutes illae demum in altera chartae parte adferuntur, quae res testimonio esse videtur, chartae nostrae verba ex alia charta descripta esse.* — 2) *Anno 1222 mart. 10, vide supra num. 227.* — 3) *Agnes.* — 4) *Johannis.* — 5) *Notandum, quod baronum nomina inferius non adferuntur.* — 6) *Notandum, quod villarum et aliarum possessionum nomina in charta ista non adferuntur.*

iudicium seculare, camerariis publicis intrare hec predia non licet pro citandis rei;[e] confiscationis sententia, que plen dicitur, locum non habet; pena,[f] que debetur facientibus otbog, in his prediis non debet;[g] furto seu quolibet maleficio in prediis comperto, fur vel maleficus traditur curie seculari, sed facultates malefici in usus ecclesie convertentur, et generaliter vel[h] omnes pene sive mulcte et condempnationes et adiudicationes, tam super civilibus causis quam super criminalibus facte, ad usum ecclesie sunt concesse. Et licet ex his libertatibus plereque Pragensi ecclesie per Gregorium, diaconum cardinalem sancti Theodori, fungentem legationis officio in regno Boemie, universaliter sint obtente, mihi tamen et propter me et mihi succedentibus ipsi ecclesie sancti Georgii a fratre meo rege Otakaro specialius et abundancius sunt indulte.[i] Ego Otakarus, dei gracia rex Boemie, suprascriptis omnibus perhibeo testimonium et subscribo. Ego Constancia, dei gracia regina Boemie, suprascripta testor esse vera et subscribo. Ego Wencezlaus, dux Plyznensis. Ego Cuncundis. Ego J.[7] electus Pragensis.

380.

(FALSUM SAEC. XIII. ALT. MED.)

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Velehrad, quod cum fratre suo Vladislavo, quondam marchione Moraviae, fundaverat, libertates concedit eiusque possessiones nominatim recenset atque confirmat.

— 1228 nov. 27.

Charta autographi instar manu saeculi XIII scripta in tabulario terrae Moraviae Brunnensi asservatur (B).

Jongelinus, Notitia abbatiarum ord. Cisterciensis, lib. V, pag. 44 = Sommersberg, Silesiacarum rerum scriptores I, pag. 918 (Diplomatarium Boh.-Silesiacum, num. 2). — Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 193, num. 186. — Grünhagen, Reg. z. Schles. Gesch. 1, num. 340 (reg.).

Chartam non esse autographum genuinum ex eo cognosci potest, quod litterarum formae ipsam post saeculum XIII medium demum scriptam esse manifesto ostendunt. Mirum, quod chartae illud sigillum appendet, quod in Otakari regis diplomatibus ab mense iulio anni 1201 inde usque ad mensem octobrem anni 1224 adhibetur, post quod tempus idem rex iam alio sigillo utebatur, quod apud num. 264 descripsimus. — Charta repetit privilegii num 321 verba fere omnia, paucis tantum omissis aut alio ordine positis, sed post ‚Zdeboriz' *nonnulla de villae illius complexu addit. Praeterea notandum, quod in corroboratione verba diplomatis num. 321* „quod et fecit", *quae ad sigilli Roberti episcopi appensionem pertinent, in* „quod facturum se promisit" *immutata sunt. Quibus circumspectis dubitari non potest, quin charta adulterina sit atque eo consilio confecta, ut in lite quadam de villae Stěbořice attinentiis et finibus documento sit.*

379. *e) ita loco* ‚reis' *scribae incuria A. — f) praecedit littera* ‚a' *eodem atramento scripta A. — g) ita pro* ‚debetur' *scribae incuria A. — h) ita A. — i) subscriptiones, quae sequuntur, eadem manu eodemque atramento atque tota charta scriptae sunt.*

7) *Johannes.*

‖ In nomine sancte et individue trinitatis. ‖ Ego Primizel, qui et Otthakarus, tercius rex Boemorum, monasterio Welegradensi, Cysterciensis ordinis, et ministris dei ibi degentibus in perpetuum. ‖ Cum regalem deceat excellentiam venerari et promovere sanctam in omnibus ecclesiam, *[a] nostre visum fuit clementie id iniciari et exequi, quod nostre serenitati cederet ad meritum et sancte matris ecclesie transiret ad profectum. Ibi enim recte locantur beneficia, ‖ ubi crescunt merita; ibi decenter impertitur gracia, ubi cum premiis cumulatur gloria. Noverint itaque tam presentes quam futuri, nos ex consilio fratris nostri et petitione[b] Wladizlai, quondam illustris marchionis Morauie, nec non et reverentissimi ‖ patris nostri Ruperti, episcopi Ollomucensis, assensu domum Cysterciensis ordinis in Welegrade construxisse et, prout tunc temporis potuimus, ditasse eandem, ut servis dei ibi degentibus cottidianus inde proveniat victus et vestitus, nec non eciam in nostram et successorum nostrorum tutelam et protectionem, sicut * debemus, eandem recepisse cum omnibus ibi commanentibus eorumque prediis et possessionibus, sive acquisitis sive eciam acquirendis, et a nostra benignitate nec non[c] inclite memorie fratris nostri antedicti impensis et expensis fundato et edificato hanc libertatem donasse. Libertas autem hec est, quam a pietate nostra statuimus et sanccimus[d] firmiter observari, scilicet ut omnes villas et possessiones, quas modo ecclesia ista possidet vel postea est possessura, ubicumque in regno nostro site sunt, sive in Boemia, sive in Morauia, ab omni onere tributorum, redigalium,[e] collectarum aliarumque exactionum, sive in quatuordecim ad principem vel beneficiarios spectantibus, quocumque modo nominentur, esse absolutas. Adicientes, ut nullus principum successorum nostrorum, vel baronum, nobis vel eis subiectorum, pro castrorum edificatione vel reedificatione vel aliqua ingruenti expeditione homines prefati monasterii audeat inquietare. Ius autem, quod datur pro capite, eis concedimus, hoc eciam[f] de fure statuentes: si in eorum habitat possessionibus et deprehensus fuerit in furto manifesto, vel *[g] aliquo occulto accusetur, videlicet quoad iudicium ferri candentis, vel aque, vel vomeres calcandos, vel duelli, et convincatur in aliquo istorum in iuditio seculari, eidem monasterio bona furis sive rei integraliter remaneant, iudices autem, quorum interest, faciant de eo, quod eis iustum videbitur. Si autem homines eiusdem monasterii coram iudicibus nostris culpabiles inveniuntur, nec nobis, nec iudicibus nostris curialibus vel beneficiariis aliquid inde utilitatis proveniat, sed aput iddem[b] cenobium culpe perseveret satisfactio, nisi in eo, in quo tenetur satisfacere adversario. Ceterum, ut omnia breviter comprehendamus, omnem utilitatem, que spectat ad usus nostros, vel successorum nostrorum, vel beneficiarios nostros a nobis infeudatos, ei remittimus, ut plena et perfecta gaudeat libertate, et ut nullus ei novas conditiones contra nostra statuta audeat imponere vel eius iura immutare. Statuimus eciam, ut nullus camerarius intret villas monasterii ad aliquem citandum vel ad aliquid ibi faciendum, sed significet procuratori domus illius, cui abbas cum fratribus commisit procurationem in temporalibus, ut eos citari faciat, qui sunt citandi, quatinus die et loco determinato eos coram iudice[h] statuat, quorum interest causas et negocia regni nostri tractare et diffinire. Si quis vero alicui persone religiose infra septa monasterii constitute manus iniecerit violentas ad aliquem ibi dehonestandum, vel aliquid inde abstulerit ausu temerario, manifeste bannum nostrum quoad XXX marcas componat et monasterio dampnis suis resarcitis in totidem

380 a) ‚congruum' *hoc loco scriba omisit A.* — b) *ita B.* — c) ‚nennō' *scribae incuria habet B.* — d) *ex* ‚sanctimus' *radendo corr. B.* — e) *ita* (*pro* ‚vectigalium') *scribae incuria B.* — f) ‚hoc eciā' *in loco raso eadem manu scriptum B.* — g) ‚de' *hoc loco scribae incuria omissum est B.* — h) *ita B;* ‚iudicibus' *legitur in utroque autographo num. 321.*

satisfaciat. Prohibemus[i] eciam, ne venatores nostri vel caniductores in abacia[b] vel eorum villis sine abbatis et fratrum consensu pernoctent vel aliquid ibi inferant violentie, et hoc sub pena X librarum monete provincialis, nisi abbati placuerit et fratribus eis aliquid in victualibus inpendere. Id eciam addentes, quod si exstiterint eis iniuriosi, liceat eis ipsos sine offensa nostra de domibus et possessionibus *[j] violenter expellere. Insuper statuimus, quod quicumque nobilium vel potentum in prefati monasterii curiis vel villis pernoctare[b] vel intrando eidem exstiterint iniuriosi, bannum nostrum in X marcis conponant et eidem monasterio dampna illata in duplum restituant. Adicimus[b] eciam, ut homines prefati cenobii per thelonea transeuntes in rebus, que spectant ad opus vel usus ecclesie, ad eam in necessitatibus eius deferendis vel transducendis sint a pedagiis et theloneis absoluti; mercatores vero solvant, quod sui iuris est. Huius autem libertatis a nobis concesse et regali munificentia donate prefate domus heredes nostros et successores tutores constituimus et defensores, et precipue filium nostrum Wencezlaum, in regem consecratum, et fratrem eius Premizhel, filium nostrum, marchionem Morauie; hoc sanctientes, ut huius privilegii violatores in cameram nostram et successorum nostrorum X marcas auri conponant. Insuper rogavimus venerabilem patrem nostrum Rupertum, episcopum Olomucensem, in presentia filii nostri Premizel, marchionis Morauie, nec non baronum nostrorum, ut omnes, qui prefati monasterii violarent emunitatem et libertatem eidem nostra regia munificentia collatam, qui *[k] tunc temporis eandem ecclesiam consecravit, cui consecrationi nos cum illustri coniuge nostra Constantia et filio nostro Premizel sepe dicto presentialiter interfuimus, excommunicaret; quod et factum est ab eodem. Et hoc eciam omnibus volumus esse manifestum, quod sine offensa nostra erit, si prescriptus episcopus et eius successores nostrarum constitutionum in hac pagina contentarum secundum ecclesiastica iura punierit[l] transgressores. Mete autem circuitus Welegrade infra subscripta intersigna[m] locorum protenduntur: scilicet rivulus Bezca, qui fluit ad septentrionem; ad occidentem lapis, qui dicitur kralau stul, de hinc mons, qui nominatur Zchala; postea ambiens silvam Vgezd et Polisowiz, et sic per insulam tendens in Morauam. Infra predictas metas et in omnibus silvis, quas huic domui contulimus in Morauia,[n] et in omnibus aquis liberam habeant potestatem, ut nullus in pascuis, in piscatione, in venatione eos inquietare presumat. Set nec venator aliquid sibi vendicet iuris, verum omnem utilitatem undecumque provenientem cenobium illud libere et absolute possideat. Possessiones vero eiusdem cenobii sunt hee: Welegrad civitas primo, modo burgus; Coztelen, Neuakewiz,[o] Polisowiz, Borschiz, Vgezd, Zlechowe, Seeschæ, capella in Zpittingniv, Vschænowiz, in Babiz ad duo aratra, Maretiz, Poppowiz superius et Poppowiz inferius, Knesopole, Briezt, Chvalchowiz, Zdeboriz in provincia Oppaviensi cum nemore adiacente et omnibus attinentibus versus occidentem usque in torrentem, qui dicitur Morawize, Syrodky, Nẙlẙsdi iuxta Brvnnam et ortulani *[p] vinee, Lwenowiz, Brieschane, Britteluche,[q] Massitz, Pottworiz, Vneschowiz, Corsitz cum monte, ubi site sunt vinee; curiam in Podwin, due curie in Oppauia, curia in Brvnna, Nempschiz, Ottradiz, Zettokowiz, Mistrin, Parissowiz, Tůrchowe, Biescha, Thesshane, Barice, Trapleiz, Jarosschowe, Wasan, Domankowiz; molendinum in Vnischowe et domus *,[r] que

380. *i)* *litterae* ‚ro' *in loco raso scriptae sunt B.* — *j)* ‚suis' *hoc loco impostor omisit B.* — *k)* ‚etiam' *hoc loco impostor omisit B.* — *l)* *ita B;* ‚punierint' *A1, A2 (num. 321).* — *m)* *ita B;* ‚intersignia' *legitur in utroque autographo num. 321.* — *n)* ‚Moraua' *autographa num. 321.* — *o)* ‚Nenakuniz' *autogr. num. 321.* — *p)* ‚et' *scribae incuria omissum B.* — *q)* ‚Prikliuk' *autogr. num. 321.* — *r)* ‚alique' *scribae incuria hic omissum est B.*

solvunt tres marcas annuatim; Passlawiz ad duo aratra, Brizowitz in provincia Znoymensi curia et molendinum; ecclesia sancti Johannis iuxta Weligrade cum agris suis; iuxta Welika ad villam unam, Biscopiz, Tupez, Zablazan et *[s] Vsnowitz *[t] cum suis appendiciis. Ut autem hec omnia rata et inconcussa perpetuo maneant, hanc serenitatis nostre paginam nostro sigillo fecimus communiri et rogavimus reverendum patrem nostrum Rupertum, Olomucensem episcopum, ut in huius rei testimonium sigillum suum appenderet; quod facturum se promisit. Cuius rei testes sunt: dominus Jacobus Nitriensis episcopus; Heinricus Zwetlensis, Sigbertus Placensis, Arnoldus Trebecensis, Petrus Gradicensis abbates; Theodricus Olomucensis,[u] Bohuta Bolezlaviensis, Hermannus Lvtomericensis prepositi; Radozlaus et Esav archidiaconi et canonici *,[v] Stizlaus, Gerhardus, Heinricus, Alexius et Gregorius canonici Olomucenses; Stizlaus Brv̊nnensis prepositus, Waltherus Pathaviensis canonicus, Bartholomeus canonicus Olomucensis,[x] Thiemo canonicus Bolezlaviensis, Cvnradus scriba regis in Brvnna, Zlawich et Gerhardus capellani episcopi Olomucensis, comes Cv̊nradus de Hardeke, Heinricus de Kyowe, Theodericus de Vehtowe et Hruto filius eius, Wrso camerarius Znoymensis, Bohuzlaus castellanus de Fræn, Stephanus de Medelowe cum filio suo Woytech, Diwis castellanus de Græce, Holasche castellanus Olomucensis, Petrus filius Wlaztiborii, Henricus de Gozenbereue,[y] Johannes Jozoh,[z] Ratiborius, Parduz, Martinus, Welen, Verchozlaus, Miligh, Cerreo dapifer et Scaztelov frater eius, Benco, Wocco camerarius, Bvdiwoy filius *[aa] Ben, Zemizlaus, Wiez, Victor, Bludo *, Nedamirus *, Jurich camerarius regine, Mileta, Otezlaus miles domini episcopi Olomucensis, Hogerus dapifer, Mirozlaus pincerna, Woytech marscalcus, * Witigo, Nienech, Mathias et frater eius Bigno, Mracota, Henricus, * Bribizlaus, Pertherus * et quam plures alii *. Acta * sunt hec publice anno ab incarnatione Domini M̊C̊C̊X̊XVIII, mense novembri, indictione I, in consecratione ipsius ecclesie, que fuit[bb] V̊ kalendas decenbris, regni nostri anno XXX̊III. Data autem per manum Hermanni, prepositi Lvthomericensis, notarii nostri antedicti, *[cc] presidente eidem cenobio domno Alberto *[dd] venerando.

Chartae appendet e filis sericis albis et rubris sigillum regis de cera communi confectum, quod ad eandem formam revocandum est atque illud sigillum, quod apud diploma num. 57 describitur. Sigillum hoc quidem verum, sed ab alio diplomate ablatum et ad chartam nostram per dolum aptatum esse videtur. — Ab isto sigillo dextrorsum foramina ad alterum sigillum (Roberti episcopi) appendendum facta sunt; sed sigillum hoc nusquam chartae appensum erat.

381.

(FALSUM SAEC. XIV. IN.)

Constantia, regina Bohemiae in civitate Hodonín (Göding) Theutonicos locat eisque iura municipalia concedit. *— 1228 —.*

380. *s)* ‚partem in Babiz' *hoc loco impostor omisit B.* — *t)* ‚et hec omnia' *hoc loco impostor omisit B.* — *u)* ‚Theodr. Olomuc' *in loco raso eadem manus eodem atramento scripsit B.* — *v)* ‚Olomucenses' *hoc loco impostor omisit B.* — *x)* ‚Wissegradensis' *autogr. num. 321.* — *y) ita scribae incuria B;* ‚de Bozen, Verene' *legitur in autogr. num. 321.* — *z) ita scribae incuria B;* ‚Lozoz' *legitur in autogr. num. 321.* — *aa)* ‚domini' *hoc loco scriba omisit B.* — *bb)* ‚fuit' *B.* — *cc)* ‚V̊ kalendas decembris' *scriba hic omisit B.* — *dd)*, abbate' *scribae incuria hic omissum est B.*

Apographum insertum est confirmationi Johannis marchionis Moraviae datae Brunae 1350 maii 1, cuius autographum in tabulario civitatis Hodonín (Göding) asservatur (B). — Confirmatio haec totidem verbis descripta est in Venceslai IV privilegio dato Pragae 1411 iul. 4 (C). Venceslai confirmationem repetit Sigismundus rex in diplomate dato in Alba ecclesia 1422 apr. 26 (D). Constantiae reginae charta inserta est etiam confirmationibus Ladislai regis datae Brunae 1453 iul. 18 (E) et Georgii regis dd. Olomuc 1460 dec. 27. Quarum confirmationum autographa in tabulario eiusdem civitatis asservantur.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 204, num 189 = Erben, Reg. Boh. I, pag 346, num. 737, = Endlicher, Monum. Arpad., pag. 424 = H. Jireček, Cod. iuris Boh. I, pag. 59, num. 31. — Treixler, Gödinger Urkunden, in: Jahresber. d. deutsch. Communal-Realschule in Göding 1898, pag. 25 — Fr. A. Slavík, Národnostní změna v Hodoníně [Extractum ex „Katalog výstavy v Hodoníně 1905"] pag. 3.

Mirum quod charta libertates quaedam continentur, quae ab illius temporis usu et consuetudine omnino abhorrent, inter quas imprimis notabile est ius iudicem libere eligendi. Porro notandum est, quod libertas tanti momenti sine regis consensu conceditur. Ceteroquin chartam veram esse non posse fusius demonstravit Slavík l. l., licet nonnulla quae affert argumenta nullius sint momenti. Fidem chartae frustra defendit Treixler, Ist die Gödinger Gründungsurkunde echt? [in: Jahresbericht d. Realschule in Göding, pag. 22 sq.]. Chartam saeculi XIV prima medietate confectam esse, ex eo cognosci potest, quod verba eius inserta sunt confirmationi Johannis marchionis datae a. 1350. — In charta conficienda sinceram quandam eiusdem reginae chartam adhibitam esse affirmaverim, quod testes chartae nostrae etiam in aliis eiusdem fere temporis chartis nominantur. Quae autem ex illa charta in nostram desumpta sint, statui non potest.

Constantia, dei gratia Bohemorum regina, universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in vero salutari. Sciant presentes et posteri, quod cum villicum nostrum Petrum fures et latrones et alii malefici interfecissent in Godyngen, super regale civileque ius nostrum convocavimus viros honestos Theutunicos et locavimus in civitate nostra tali iure, ut nulli dominio subditi essent, nec ulli servirent, nisi michi et filiis meis. Item talem potestatem eis etiam tradidimus, quod nullus iudex dominaretur eis, nisi quem ipsi voluntarie eligerent. Et hec iura censualia sunt: triginta denarii de laneo, de subside agrum habente duodecim denarii, de subside agro carente sex; quicumque braxaverit cervisiam, duodecim de qualibet braxatione. In lite cum aliquis se defendendo affugerit ad propriam domum, si aliquem occiderit, tenetur mortuus[a] talem culpam solvere. Infra rastam unam nullus presumat cerevisiam braxare; et si quis presumpserit, abiudicatus est bonis suis et collo suo. Fur sive falsarius si inventus fuerit, non alias nisi ibidem suffocetur. Et si quis aliquem interfecerit, caput pro capite ponderetur. Quicumque temerarius intraverit domum alicuius et aliquem occiderit, solvat in domo sex solidos et extra sex. Et si velit dampnificare aliquem violenter, solvat iterum sex solidos in domo et extra sex. Si alapam dederit, manu careat aut quinque talenta solvat et iudici septuaginta duo. Infra miliare faber, textor, calcifex aut qualiscumque artifex non compareat, nisi

381. a) *ita apogr.*

in eadem civitate. Molendinum solvat octo modios siliginis et quatuor tritici et tres solidos denariorum. Si non sufficit molendinum reddere ista, que prediximus, pendeat in gracia regine et in consilio civium. Item molendinum debet habere viginti iugera agri et tres subsides et piscatorem. Mercatores domos habentes nullum theloneum solvant, sed in transitu aque dimidium. In Klethska sicca ligna libere herbasque habeant, excepta viridi quercu. Pastor cum grege vadat libere in eadem silva. Insuper nulli iudicio subiaceant pro vita et bonis, qui meruerint, nisi in eadem civitate. Et illi, qui Petrum occiderunt, omnium habeant inimiciciam et pro malefactoribus habeantur. Omnis homo in via pergens infra rastam pacem habeat de manu mea et filiorum meorum, qui pergendo querit forum. Civibus nostris in eadem civitate talem libertatem damus, quod nullum theloneum solvant per totam terram Morauie et Boemie. Hanc etiam libertatem eis concedimus, quod nullum tributum solvant infra decem annos. Huius rei testes sunt Pardus, Twridse, Zudomir, Bun, Nynco, capellani predilecti Schedron, Marquardus. Datum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo octavo.

382.

(FALSUM SAEC. XIV.)

Venceslaus, iunior rex Bohemiae, monasterio Břevnovensi donationem circuitus Police et villarum Provodov et Nesvačilov atque circuitus eiusdem exemptionem confirmat, petente Dluhomilo abbate.

In Hradec [Králové] 1229 —.

Apographum insertum est confirmationi Karoli IV regis datae Pragae 1351 ian. 14, cuius autographum in tabulario monasterii Břevnovensis asservatur (A).

Ziegelbauer, Epitome hist. monast. Brevnov., pag. 281 = Erben, Reg. Boh. I, pag. 353, num. 751 (fragm.). — Dobner, Monum. hist. Boem. VI, pag. 10, num. 20 (reg.).

Notandum, quod ea, quae charta nostra continentur, cum illis libertatibus discordant, quas monasterio Břevnovensi in circuitu Policensi ab Otakaro I et Venceslao I regibus Bohemiae concessas fuisse refert Otakari II regis Bohemiae confirmatio data a. 1260 nov. 3 (Emler, Reg. Boh. II, pag. 106, num. 276). Quam ob rem dubitari non potest, quin charta ista s p u r i a *atque post Otakari II confirmationem demum confecta sit. — Chartae auctorem ex illo diplomate Venceslai genuino, de quo in Otakari II confirmatione mentio fit, nonnulla descripsisse, nostro iure suspicamur. Quod quantumque ex eo sit descriptum, statui non potest; sed testium nomina saltem ex ipso desumpta esse videntur. Ea quae minoribus litteris imprimuntur, ad verbum descripta sunt ex illa charta spuria, quam monasterium in Břevnov ab Otakaro I rege a. 1213 maii 22 accepisse fertur (v. num. 367).*

In nomine Domini amen. Ego Wencezlaus, dei gracia iunior rex Boemorum, omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in eo, qui est salutis auctor. Quoniam dies extrema subito tamquam fur adveniens vitam pariter et facta hominum mundo tollit a memoria, eapropter cauta et provida hominum sollercia consuevit se in omni facto suo et negocio scriptis et testibus

roborare. Notum igitur sit omnibus tam presentibus quam futuris, quod serenissimus pater meus Othacarus, rex Boemorum, divina edoctus inspiracione pro remissione omnium peccatorum suorum, ut cum filiis dei partem aliquam in terra vivencium perciperet, ad instanciam honorabilis viri Chunonis abbatis de Brevnow quendam circuitum vasta horrentem solitudine, qui Policz vulgariter dicitur, ad usum quorumdam heremitarum ibidem deo famulancium cum omnibus suis attinenciis, pratis videlicet et campis, plantatis et plantandis iure hereditario Brevnowiensi monasterio contulit, mediam quoque partem fluvii nomine Driwicz, et hoc a capite ipsius fluvii usque ad flumen Methugem, circuitum dico tendentem a monte Knyna usque ad speluncam, que Rosotatecz dicitur, ex altera vero parte a capite fluminis Stenawa usque ad flumen Bozanow et usque ad montes Steny, et ab hiis montibus usque ad locum, qui Prewrat[a] nuncupatur, et ab illo loco quantum circumfluit rivulus Stekelnice nomine usque ad locum illum, ubi influit fluvium suprascriptum Methugen,[b] superaddens duas villas, scilicet Prowodou et Nesuachilow *; auctoritate quoque regie maiestatis predictum circuitum et homines ad ipsum pertinentes exemit et penitus absolvit ab omni lege provinciali et omnimoda villicorum seu beneficiariorum suorum exaccione sive infestacione, ita quod ipse locus et homines ad eum spectantes nulli omnino debeant subesse, nisi sepe dicto abbati Chunoni et eius successoribus * in perpetuum. Ego siquidem ad instanciam venerabilis viri domini Dluhomili[c], abbatis Breunowiensis, qui Chvnoni successit, donacionem illustrissimi patris mei Ottacari regis tam sollempnem, tam[d] salubrem approbo, ratam habeo, et ne aliquis imposterum hoc laudabile et honestum factum irritare vel inquietare temerarie presumat, presentis scripti munimine per sigilli mei appensionem publice confirmo. Acta sunt hec in civitate Hradecz anno ab incarnacione Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono, indiccione undecima, in presencia horum omnium, quorum nomina hic subscribuntur: Johannes Pragensis ecclesie episcopus, Pelegrinus episcopus, Eppo prepositus Pragensis, Hermannus canonicus Pragensis et prepositus Luthmericzensis, dominus Vitko senior, dominus Henricus filius Smilonis, Zbraslaus de Dubenecz, Wlycek de Swecou, dominus Cherninus[e] filius Bretislay, Prysnoborius iudex de Hradecz, Salmon et alii quam plures, qui huic confirmacioni interfuerunt.

383.

(FALSUM SAEC. XV.)

Henricus I dux Silesiae et Cracoviae donationem villae Grodziec monasterio in Tyniec renovat. — Inter testes: ‚Sobeslaus, filius Theobaldi, dux Boemie.‘ *— 1228/29.*

Kętrzyński et Smolka, Cod. dipl. Tiniec. pag. 15. — Grünhagen, Regesten z. schlesischen Geschichte num. 341.

382. *a)* ‚Prewat‘ *B.* — *b)* ‚Methagen‘ *B.* — *c)* ‚Dhuhomili‘ *B.* — *d) ita B.* — *e)* ‚Cherinnus‘ *B*

ADDENDA.

384.

Theodericus, marchio Misnensis, litem diiudicat, quae est inter Theodericum, episcopum Misnensem, eiusque capitulum ex una parte et Henricum burgravium de Donin ex altera de castello quodam, nomine Thorun, quod burgravius idem in bonis ecclesiae Misnensis contra ius exstruxit. — Inter testes: ‚Burchardus prepositus de Lutmariz.‘ *Dresden 1206 mart. 31.*

Gersdorf, Urkb. d. Höchstiftes Meissen (Cod. dipl. Saxon. II. Hptth.) t. I, pag. 70, num. 74 (ex autogr. tabularii reg. Dresdensis) — O. Richter, Dresden am 31 märz 1206 (Dresdner Geschichtsblätter XV, 1906, pag. 82, cum autographi imagine phototypica).

385.

Henricus Vladislaus, marchio Moraviae, fratribus hospitalis sancti Johannis Baptistae Hierosolymitani licentiam dat, ut quoscunque voluerint in possessionibus ipsorum secundum ius Theutonicum locare possint; idemque concedit, ut coloni ipsorum eandem libertatem atque Theutonici habeant. — — —.

Autographum in membrana scriptum in tabulario magni prioratus Melitensium Pragae asservatur (A). — Apographum saec. XVIII praebet Diplomatarium, quod in eodem tabulario asservatur, tom. I, num. 28.

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 22, num. 17 (ad a. 1204) = Erben, Reg. Boh. I, pag. 221, num. 487 (fragm.), = Jireček, Cod. iuris Bohemici I, pag. 35, num. 22 — Delaville le Roulx, Cartulaire général des hospitaliers de s. Jean de Jérusalem II, pag. 26, num. 1181. — Grünhagen, Reg. z. Schlesischen Gesch. I, num. 96a (reg.).

Autographum scripsit scriba, quem nota ‚Vladislaus 5‘ designamus, cuius manus iam in nulla alia eiusdem marchionis charta autographa deprehenditur. Chartam ad finem perductam non esse nemo non videt, nam post ‚confirmantes‘ *quatuor lineae vacuae supersunt. — Boczek nullo allato argumento chartam ad annum 1204 posuit, sed propter ea, quae charta continentur, ipsam decennio saltem post datam esse mihi quidem persuasum est; ante diem 27 apr. a. 1218 ipsam confectam esse verisimile est, quod tunc iam Wers camerarius nominatur. — Sigilla chartae appensa sine ulla dubitatione spuria sunt, sed chartae fides in dubitationem non vocanda esse videtur, cum scripturae formae saeculo XIII ineunti apte conveniant.*

‡In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. ‡[a] ‖ Ego Watiszlaus, dei gracia marchio Morauię. Cum in presenti laus sit principum et gloria, quociens religiosorum bona libertate ‖ gaudent et sumunt incrementa, inde tamen post

---

385. *a) reliquum lineae spatium 67 mm continens vacuum relictum est A.*

huius vitę cursum eorum perpetuantur tituli et fulget memoria, eo quod pro libertate ‖ ad momentum concessa datur libertas perpetua et pro tantillo semine redditur fructus cum usura. Cum igitur inclitę memorię pater noster illustris rex Boemorum religiosas domos libenter fundaverit et semper provexerit, tenentur filii industrii boni patris imitari vestigia et suis post se successoribus relinquere pietatis[b] exempla. Noverint itaque tam presentes quam futuri, quod ego Watiszlaus, marchio Morauię, fratribus domus hospitalis sancti Johannis Baptistę tantam in principatu nostro contulimus libertatem, ut liceat eis in quascumque hereditates suas locare quos voluerint, ita ut vocati iure Theutonicorum quiete et sine vexatione utantur. Exactiones in tributo terrę et omnes alias ad usus nostros spectantes indulgemus, set habeant in omnibus sicut habent Theutonici securam libertatem, ius stabile et firmum, secundum quod fratres cum eis ordinaverint Ut autem istud futuris temporibus ratum et inconcussum permaneat, fecimus hanc paginam nostro sigillo insigniri et multis testibus, quorum nomina sunt subscripta, muniri. Quicumque autem in presenti vel in[c] futuro fratres super hoc turbaverit, deum, cuius sunt servi, cum beato Johanne et omnibus sanctis sibi sentiat adversum.[d] Isti sunt testes: Rŏbertus episcopus Olomuncensis, Vulcech camerarius, Detrich Grutouich, frater eiusdem Sdıslaus, Vers, Prebor Onsouic,[e] Veliz, Ratibor, Oldrich Oldrichouich, Smil Ondreiouich, Vissata, Sdon, Jurata cum filio. Ut autem premissa rata permaneant, ego Robertus Olomuncensis episcopus ex petitione domini marchionis auctoritate omnipotentis dei et sanctorum apostolorum Petri et Pauli et nostra quemcumque super hoc fratres hospitalis turbantem excommunicavimus ad horum testimonium presenti scripto nostrum sigillum inprimentes et per omnia supradicta confirmantes.

Autographo appendent e filis cannabinis duo sigilla de cera communi confecta. 1) *Sigillum rotundum, cuius diametros fere 71 mm sunt, et in cuius medio depingitur eques ad partem sinistram se ferens, qui manu dextra hastam cum vexillo, sinistra vero pro pectore scutum tenet, in quo leonis bicaudati figura conspicitur. Circumscriptio:* ✠ HEINRICVS MARHIO MORAV//////S. — 2) *Sigillum rotundum, cuius diametros fere 60 mm sunt. In sigilli medio figura episcopi in solio sedentis conspicitur, qui manu dextra erecta, sinistra pedum gerit. Circumscriptio, cuius pars defracta desideratur, haec est:* ✠ ROBERTVS · DĪ · GRA · OLM · ECCL///////. — *Utrumque sigillum prorsus diversum est ab illis sigillis, quibus tam marchio quam episcopus utebantur, quam ob rem utrumque* s p u r i u m *esse nemo non videt.*

386.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, monasterio in Chotěšov villam Uherce a Helka filia Držislavi donatam confirmat. *Pragae 1213 —.*

385. *b) ex* ‚pietatis relinquere' *signis superscriptis corr. A.* — *c) sequ.* ‚presenti', *sed erasum A.* — *d) quae sequuntur usque ad finem eadem quidem manu, sed alio atramento scripta sunt in A.* — *e) inter litteras* ‚u' *et* ‚i' *foramen in membrana A.*

Autographum in membrana scriptum in tabulario caes. reg. aulico Vindobonensi asservatur (A).

Boczek, Cod. dipl. Mor. II, pag. 66, num. 58. — Erben, Reg. Boh. I, pag. 251, num. 540.

Autographum scripsit scriba, quem nota ,Otakarus II' signamus, cuius manus iam in nullo alio eiusdem regis diplomate autographo conspicitur. Scribam et auctorem e numero clericorum Teplensis monasterii fuisse puto, quod diplomatis initium ad verbum descriptum est ex illo diplomate, quod monasterium illud ab Henrico duce anno 1197 accepit (vid. Cod. Boh. I, num. 358). Cuius quidem diplomatis auctorem diploma nostrum etiam in eo imitatur, quod in temporis nota indictio, concurrentes et epactae adferuntur. Ultima linea ab ,dictione' *inde marginem membranae replicatae evitat, ita ut verisimile sit in autographi confectione paullo posteriore adhibitam esse membranam, cui iam antea sigilla appensa erant. — Indictionis, concurrentium, epactarum numeri cum anno incarnationis non congruunt, sed ad annum 1215 (quo diploma fortasse conscriptum est) spectant. Attamen villae donationem anno 1213 factam esse ex eo apparet, quod colloquium Ratisbonense, cuius in diplomate mentio fit, mense februario anni istius habitum est.*

In nomine sanctę et individue trinitatis. Ego Premizl, dei gracia rex Boemorum, universis Christi fidelibus tam futuri quam moderni temporis. Equitatis exigit,[a] ut nos, qui deo largiente principatum inter homines adepti sumus, ea quę ad utilitatem servorum eius pertinent sollicite provideamus et ęcclesias eius earumque possessiones nostra circumspectione muniamus, nostre pro||tectionis clipeo defensemus. Innotescat ergo vitam agentibus et sciant posteri, quod nos pro fideli servitio suo nobili viro Drizizlao villam, que dicitur Vherci tradidimus sibi suisque heredibus iure he||reditario posidendam. Processu igitur temporis predictus Drizizlaus cum filiam suam nomine Helkam matrimonio traderet, prenominatam villam filie contradidit etiam iure hereditario possidendam. Mortuo tandem patre et etiam marito pretaxate matrone, cum nec puerorum solatio potiretur, placuit ei mundum et ea que mundi sunt relinquere et ad consortium sororum, que deo in claustro, quod dicitur Hotessov, mancipate sunt, se contulit villamque sepius dictam coram Roberto, episcopo Morauiensi, et nobilibus Boemie, videlicet Jaros et filiis Witconis: Witcone et Heinrico, et Hermanno filio Jarozlai et multis aliis de Boemia et de Morauia, euntibus Ratisponam ad colloquium,[1] in usus ęcclesię tradidit perpetuo possidendam. Eodem autem anno, quo hec acta sunt, domnus Theobaldus, cui tamquam fideli custodiam Pliznensis provincie commisimus, nobilem virum Groznatam, predictę ecclesię fundatorem, in eadem villa multis gravaminibus infestavit ignorans nos[b] sepe dictam villam patri prenominate matrone in possessionem hereditariam tradidisse. Accesserunt ergo ad nos predicte ecclesię fundator et defensor Groznata et Olricus comes et frater eius Protiva et totam seriem nostrę donationis et qualiter predicta matrona se et villam ecclesię contulerit, nobis plena fide et sub testimonio nobilium virorum, quorum nomina inferius subscribentur, sollempniter manifestaverunt. Nos

386. *a) post hanc vocem* ,ratio' *scribae incuria omissum est, A. — b)* ,ignorans nos' *in loco raso eadem manus eodem atramento scripsit A.*

1) *Colloquium illud a. 1213 mense februario ineunte habitum est; vid. supra num. 100.*

autem prefatam donationem nostram plenarie ad memoriam revocantes et matrone devotioni congaudentes, eius actionem collaudavimus et villam predictam ecclesię confirmavimus perpetuo possidendam. Ut autem de cętero omnis dubietas nostre donationis seu etiam confirmationis perpetuo sopiatur, presentem paginam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Placuit etiam hec confirmatio nostra fratri nostro Wadizlao, qui presens affuit et sigilli sui testimonio confirmavit. Apposuerunt etiam de mandato nostro sigilla sua Theobaldus cognatus noster et Zobezlaus frater eius. Nomina autem eorum, qui huic secunde confirmationi nostrę seu etiam donationi affuerunt, sunt hec: Wadizlaus, Theobaldus, Zobezlaus, Daniel episcopus Pragensis, Robertus episcopus Morauiensis, Zlauco, Benes, Marquardus, Zauissa, Jaros, Witco, Heinricus, Martinus filius Csastone, Bicen, Johannes et frater eius Olricus filii Jvrik, Bohuzlaus filius Dnepr, Budiuoy filius Drisicray et alii plures, qui fuerunt in colloquio. Actum est hoc incarnationis dominice anno millesimo ducentesimo XIII, indictione III,[c] concurrente III,[d] epacta XVIII coram Boemis in Praga.

Autographo appendebant e scidulis membranae quatuor sigilla: 1) *Sigillum Henrici Vladislavi marchionis Moraviae, quod iam deperditum est.* — 2) *Sigillum Otakari regis de cera communi eadem forma atque sigillum diplomatis num. 57 confectum, cuius autem iam parvum tantum fragmentum superest.* — 3) *Sigillum Soběslavi ducis rotundum de cera communi confectum, cuius diametros fere 65 mm erant. In sigilli medio depingitur leo erectus in sinistram partem se vertens, qui dorso cum media aquilla coniunctus est. Circumscriptio defracta et tam valde attrita est, ut sola littera Σ certe legi possit. Sigillum ad eandem formam revocandum esse videtur atque illud, quod chartae num. 316 appensum est.* — 4) *Sigillum Theobaldi ducis, de cera communi confectum, cuius parvulum fragmentum superest. In sigilli medio, nisi fallor, eques depictus erat, in sinistram partem se ferens, qui manu sinistra scutum triangulum pro pectore tenebat.*

387.

Přemysl Otakarus I, rex Bohemiae, silvam Hluboká cum omni usu monasterii sancti Georgii Pragae propriam esse decernit idemque beneficiario castri Levý Hradec, magistro venatorum forestariisque suis interdicit, ne hominibus monasterii de villa Suchdol in terminis eiusdem silvae molestiam exhibeant.

Pragae 1221 ian. 3.

Autographum, quod saeculo XVIII exeunte in tabulario monasterii Rajhradensis asservatum erat, nunc latet.

P. Raymund von der heil. Elisabeth, Der hohen Geistlichkeit in Böhmen unbewegte Grundlage ... Klosterstift St. Georgen I, pag. 361 (ex apographo Gelasii Dobner, cui chartam abbas Rajhradensis describendam commodavit).

Diploma ab eodem auctore verbis conscriptum esse videtur, qui etiam diploma num. 227 composuit.

---

386. *c)* ,III' *eodem atramento, cum iam vox proxima scripta esset, additum A.* — *d)* ,III' *eodem atramento supra lineam scriptum A.*

In nomine sancte et individue trinitatis. Ottacarus, qui et Premisl, tertius dei gratia Boemorum rex, in memoriam rei perennem. Ad universorum notitiam pervenire volumus, quod soror nostra dilecta, Agnes, abbatissa monasterii sancti Georgii Prage in castro, nos pro iustitia imploravit, qualiter beneficiarius noster castri Leuigradec homines ville monasterii sui Suchidol, tam in pascuis, quam cetero usu silve dicte Luboka, inquietet et infestet; exhibuitque coram nobis et idoneis testibus, videlicet iudicibus curialibus et camerariis nostris, literas in pergamena scriptas, in quibus latius continetur, quod olim dudum retroactis temporibus Adlaida monasterii eiusdem abbatissa villam Suchidol cum silva Luboka et omnibus appertinentiis concambivit pro villa Nezlici a venerabili tum temporis episcopo Pragensi Severo dicto, accedente tunc Bracislai atavi nostri, ducis Boemie, consensu et voluntate. Quia vero nos omnibus et singulis iustitiam facere convenit, quanto magis eam ecclesiis et piis locis et maxime sorori nostre dilecte suoque monasterio denegare non debemus. Quare non solum beneficiario nostro in castro Levigradec et magistro venatorie dignitatis, sed etiam ceteris forestariis nostris districte precipimus, ut imposterum nullo modo homines dicte ville Suchidol in universis terminis silve Luboka, seu in pascuis, seu in lignis, seu in theloneo, quod ceztne dicitur, vel[a] ceteris utilitatibus infestare et inquietare audeant. Siquidem nos hanc silvam cum omni usu, sicut ab antiquo ita et nunc ad dictum monasterium pertinere sententiamus. Qui vero his contravenire attemptaverit, in marcam auri monasterio iniuriam passo[b] et alias tres in erario nostro deponendas condemnetur et sit condemnatus. Datum Prage per manus cancellarii nostri Benedicti, prepositi Lutomericensis. Acta sunt hec anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo vigesimo primo, indictione IX, III nonas ianuarii.

387. *a) ,ut' Raymund, quod mendum prava compendii ,ul' lectione ortum est. — b) ,pasto' procul dubio typi errore Raymund.*

CONSPECTUS

PERSONARUM, AD QUAS HUIUS TOMI LITTERAE AC DIPLOMATA DATA SINT.

Quo conspectu non amplexus sum illa imperatorum et regum Romanorum aliaque diplomata, quae ad externas edita sunt personas, et in quibus principes atque episcopi Bohemiae testes adferuntur.

Compendia, quae numeris praefixa sunt, formam significant, qua litterae vel diplomata servata sint: c. = copia (apographum); dep. = deperditum; ed. = editio; or. = originale (autographum); or.* = charta autographi instar delineata; sp. = litterae spuriae autographi instar confectae; sp. c. = litterae spuriae in apographo servatae.

CONSPECTUS

PERSONARUM QUAE HUIUS TOMI DIPLOMATA AC LITTERAS DEDERINT.

Numeri uncis rotundis ( ) clausi diplomata et chartas extraneas significant, quorum tantum argumentum dedimus, quod in eis de terra Bohemica fit mentio vel principes atque episcopi Bohemiae et Moraviae testes adferuntur. — Numeri uncis formae [ ] clausi privilegia pontificum Romanorum generalia significant, quorum argumentum dedimus, quod ipsorum autographa in tabulariis monasteriorum nostrorum asservantur.

Compendia, quae numeris praefixa sunt, formam significant, qua litterae vel diplomata servata sint. **c.** = copia (apographum); **dep.** = deperditum; **ed.** = editio; **or.** = originale (autographum); **or.*** = charta autographi instar scripta; **sp.** = litterae spuriae autographi instar confectae; **sp. c.** = litterae spuriae in autographo servatae.

INDEX NOMINUM.

Litteras Č, č, Ch et K, k quaere sub C, c, litteram Y, y sub I, i.
Singulis nominibus adiecta est significatio uncinis seclusa, qua forma litterae, in quibus nomen legitur, sint servatae, ita ut *c.* copia (apographum), *or.* originale (autographum), *or.** charta autographi instar confecta, *sp.* spurium, *ed.* editio intelligendum sit. Numerus Romanus vocibus *c.* et *sp.* adiectus saeculum indicat. Numeri arabici uncinis inclusi, quo anno charta data sit significant; crux (†) ante numerum posita personam commemorari indicat, quae iam vita decesserit. Ex eis qui postea sequuntur numeris maior paginam minor lineas quinas indicat; numerus uncinis formae ⟨ ⟩ inclusus nomen in loco postea interposito legi monet; numerus formae cursivae chartam spuriam significat.

A.

B.

C, Č, CH, K.

E.

CH v. C.

I et Y.

K. v. C.

L.

M.

N.

P.

Q.

R.

S, Š.

T.

U.

V, W.

Dopl.: 269, 5 — 26:

COMPENDIA INDICIS:

abb. = abbas.
A.G. = Amtsgericht.
A.H. = Amtshauptmannschaft.
ap. = apud.
arepus. = archiepiscopus.
b. = bohemice.
Boh. Boem. = Bohemia, Boemia.
cc. = circa.
can. = canonicus.
card. = cardinalis.
d. p. = districtus politicus.
diac. = diaconus.
eccla. = ecclesia.
epus. = episcopus.
fl. = flumen.
g. = germanice.
monium. = monasterium.
Mor. = Moravia.
ord. = ordinis.
prov. = provincia.
Rgb. = Regierungsbezirk.
s. = sanctus.
v. = vide.

GLOSSARIUM LATINUM.

Numerus maior paginam, minor lineas quinas indicat.

Obequitare villam cum appendiciis suis 67, 10–20. 143, 10. 175, 1.
obligare 163, 5. 174, 35. obligare villas 110, 25.
obsides 90, 35. 91, 1.
occisio *387, 35.*
officialis, officiales curie regalis 236, 15, 20. off. [regis] 103, 35. 105, 25. 212, 1. 230, 20. 262, 25. 272, 25. 282, 5. officiales [episcopi] 169, 20.
officiatus *377, 15.*
officium servile; (homines ecclesiarum) ad officium servile cogere 231, 10.
oleum 44, 10. oleum sanctum 70, 10. 275, 25. 348, 15.
oppidum 238, 10, 15. 314, 30. termini circuitus oppidi 238, 20. o. (= castrum) *406, 30.*
oratorium construere 276, 5. *374, 15.*
ordeum 299, 30.
ordines; o. celebrare 69, 35. ordines inferiores suscipere 45, 10. in minoribus ordinibus constitutus 298, 25. o. sacri 122, 10, 15. 123, 10. infra sacros ordines constitutus 298, 25. sacri ordinis presbiteratus professor 305, 5. ordinem diaconatus praetermittere 45, 5.
originarii *v.* rustici *et* servi.
ornatus [vestimentum ecclesiast.] *409, 30.*
ortus, orti (= hortus) 101, 10. 186, 20. 216, 20. 280, 10. 305, 25. 347, 30. 355, 15, 20. *416, 30, 35. 417, 5.*
ortulani *427, 30.*
osculum pacis dare vice et nomine iuramenti 198, 1.
ova 299, 30.
oves 248, 10. *392, 25.*

Pagani 43, 25.
pallium; p. deponere 223, 30. 330, 15. p. subtrahere alicui 224, 5. 330, 30.
panis 217, 15. panem in foro vendere 211, 25.
papaver 299, 30.
parochia, parrochia 276, 5. *390, 10. 392, 20.* villae ad parrochiam ecclesiae pertinentes 31, 10. parochia (= dioecesis episcopi) 70, 1.
parrochiales 192, 25.
parrochianus (presbyter; = parochus) 26, 20. 190, 25. parrochiani laici 43, 5; *cf.* parrochiales.
pascua 69, 10. 198, 20, 25. 215, 35. 238, 20. 275, 10. 322, 5. 347, 25. *377, 10. 389, 25. 394, 35. 395, 5. 416, 35. 417, 10. 427, 25.* 436, 15.
passagium dare 230, 25.
pastor cum grege libere in silva vadere potest *430, 5.*
patriarcha 75, 5.
patrimonium 173, 25. 283, 30. 284, 10. 312, 25.
patrocinium; patrocinio muniminique beati Petri ecclesiam commendare 217, 25.
patronus; patroni (ecclesiae) 194, 10. 261, 1, 5.
patronus tocius regni (Bohemiae) s. Wencezlaus 305, 5. 329, 5. patronus (regni) s. Adalbertus *412, 10.* patroni [regni Boem.], ss. Vitus, Wencezlaus et Adalbertus 204, 25. *389, 25.*
pauper; pauperes 103, 25. 105, 15. pauperes et advenientes in cena Domini procurare 44, 15. pauperes (= subditi claustralium) 56, 30. 211, 20. 223, 30. 236, 15. 237, 10. 289, 25. 328, 30. 330, 15. *357, 25. 411, 25. 412, 1, 5.*
pecunia 143, 5. 243, 15, 20. 328, 25. 336, 25. 354, 15. p. taxata 48, 5. absque pecuniae exactione concedere 93, 15. pecuniam mutno accipere 69, 25.
pedagia 170, 1. 317, 25. 321, 20. *427, 5.*
pelles caprinae 217, 10. p. vulpinae *399, 5.*
pellex 9, 15.
pellifex 280, 1.
pena (poena) p. canonica 130, 5. p. pecuniaria 282, 5. 355, 35. penam persolvere 212, 15.
pensionem annuam concedere 311, 10.
peregrini 103, 25. 105, 15. *360, 15, 20.*
pergamena, pergamenum 201, 1. 436, 5.
permutatio 265, 25, 30. 267, 1. 268, 20, 30. — *V. et.:* concambium.
petitionem innovare per nuntios sollempnes 41, 15.
petitores donationis 51, 5.
pheodum *v.* feudum.
picarii 216, 30. — *V. et. Glossar. boh.:* pkelnik.
pincerna 288, 30. 323, 15. 398, 10. *428, 15.* p. [regis Roman.] 118, 20. 120, 5. p. regis Boem. 66, 15. 176, 30. 212, 25. 264, 10. *401, 1. 412, 15.* p. marchionis Morav. 152, 20. 198, 30. 222, 20. p. maior marchionis Mor. 222, 20. p. [episcopi Prag.] 79, 5. p. abbatissae s. Georgii *423, 1.* p. Zlauconis comitis *390, 30.*
pisam vendere [in foro] 211, 25.
piscatio, piscationes 198, 25. 215, 35. 322, 5. 347, 30. *377, 10. 427, 25.*
piscator, piscatores 216, 15, 20, 30, 35. 217, 5. *381, 10, 15. 430, 1.* piscatores reginae *416, 30.*
piscatura *407, 25.*
pisces 217, 15. 305, 20. 355, 25.
piscina; piscinas collocare 304, 5. piscinarum refectio *420, 20.* ab operibus piscinarum liberare *412, 5.*
pistor, pistores 216, 10. 217, 5.
placitum provinciale 314, 30.
plaustrifices 217, 1.
plebanus, plebani 122, 5. 193, 15. 227, 10. 228, 1, 5. 261, 30. 279, 15. 287, 15. 299, 35. 310, 5, 15. 340, 1, 5. 356, 30.
plebesani 261, 10.
plebs 354, 15. *381, 35.*
poena *v.* pena.
poledrus 217, 20.
pomeria, pomerium 216, 1. 288, 15. *382, 15.*
pondus; marcae argenti et ferto ad pondus Pragense 214, 15.

15, 20. 288, 5. 317, 25. 321, 15, 20. 331, 1. 365, 35. 366, 5. 381, 20. 387, 20, 25. 390, 1, 5. 404, 30. 411, 25. 417, 5, 10. 418, 15. 422, 1 — 10. 427, 5. 430, 5, 10. theolonea in exitu terrae 212, 10. theloneum, quod ceztne dicitur 436, 15. theloneum novum 224, 30. 331, 25. per thelonea transire 317, 25. 321, 15. 427, 5. quarta septimana in theloneo 107, 20. villa in theloneo sita 107, 15. dominus thelonei 212, 10.

theolonaria super viis constituere 404, 30.

theolonium *v.* theloneum.

thesaurarius ecclesiae 11, 20. t. (regis Angliae) 278, 10.

thesaurus ecclesiae 21, 10. 28, 20. de thesauro [regis] liberare 278, 10.

tina; decimam tinam de vinea dare 229, 1.

tornarii 216, 25.

torrens 427, 30.

transcriptum 166, 10. t. scripti autentici exhibere 166, 1.

tributa, tributum 53, 25. 56, 30. 80, 1. 217, 10. 237, 10. 262, 30. 316, 10. 320, 15. 420, 20. 424, 25. 430, 10. ab omni onere tributorum absolvere 320, 15. 426, 15. commune tributum terre 101, 15. exactiones in tributo terrę indulgere alicui 433, 10.

triticum 238, 15. 299, 30. 430, 1.

tuguria piscatorum 416, 30.

tuitio 391, 30. in tuicionem regie maiestatis suscipere 387, 10. — *V. et.:* tutela; protectio.

tutela; sub tutela esse 371, 25. bona in tutelam (regis) suscipere 235, 20. — *V. et.:* tuitio; protectio.

tutores et defensores libertatis monasterio concessae constituere 317, 15. 321, 20.

Urbs (= castrum) 17, 20. 109, 1. 114, 25. 174, 10. 369, 10. 407, 30.

urna 217, 10. tercia u. de apibus reginae 217, 15. u. de melle 217, 20.

Vaccae 224, 5. 248, 10. 330, 25. 392, 25.

vallum 371, 30.

valva 416, 25, 35. 417, 5.

vasalli 186, 15. wassallus reginę 341, 25.

vectigalia, vectigallia 53, 25. 56, 30. 80, 1. 215, 30. 237, 10. 262, 30. 316, 10. 320, 15. 377, 20. 426, 15. v., que fiunt, cum rex ad colloquium vel exercitum est iturus 420, 25. 424, 25.

venatio, venationes 67, 15. 198, 25. 215, 30. 322, 5. 411, 30. 427, 25.

venator, venatores 198, 25. 257, 15. 322, 5. 373, 25. 375, 10. 393, 15. 395, 1. 397, 1. 427, 1, 25. venatores, qui vulgo lowci dicuntur 366, 10. venator curie 410, 5. venatores regis 321, 10. summus venator 286, 10. 373, 25. 375, 5.

venatorie dignitatis magister, 436, 15.

vendere aliquem pro debito 331, 25.

venditio 87, 25. 193, 10. 217, 10. 243, 30. venditionem remittere hominibus ecclesiae 201, 25. 204, 30.

vestimentorum ablutor 216, 25.

vetula [de castro] 223, 35. 330, 20. — *V. etiam:* avia.

vexillifer 360, 30. 361, 10.

vexillum; regnum Boemiae [Wratizlao filio Otakari] cum sex vexillis assignatur 91, 35.

via, viae 4, 30. 69, 10. 217, 5. 223, 25. 224, 10, 20, 25. 404, 25—35. 411, 25. 414, 30. 418, 15. via antiqua 416, 30. via antiqua versus Boemiam, que Soumwech dicitur 89, 20. via communis 416, 30. via exploratorum 142, 10. via foralis 216, 1. via publica 364, 10. 366, 15. 367, 1—10. 387, 25. 414, 15. via Golotilensis 217, 15. via Prahaticih 217, 10. in via pergere 430, 5. vie securitatem habere 150, 30. viarum separatio 402, 20.

vicarius; v. episcopi Pragensis 342, 35. vicarii ecclesiae Olomucensis 73, 30. vicarium legitimum locare 385, 25. 390, 10.

vicecancellarius s. Romane ecclesie 349, 5.

viceprothonotarius 94, 10. 96, 10. 97, 20.

vicesima de proventibus ecclesiarum 136, 5.

vicinatus 67, 15, 20. 224, 1. 330, 25. 354, 15. per vicinatus testimonium se expurgare 211, 5. 411, 15.

vicini 231, 5. 395, 1. 414, 10. 415, 5. testimonium vicinorum 223, 30.

vicinia 261, 35.

victualia 321, 10. 427, 1. villae ad mensam regiam in victualibus dandis specialiter pertinentes ⟨250, 25⟩.

vicus 279, 30. 280, 5. 288, 10.

vigiliae nocturnae in castris 420, 25. 424, 25.

villa 18, 20. 19, 15. 20, 1. 26, 15. 30, 30. 31, 10. 56, 25. 63, 5. 66, 10. 73, 1, 15. 78, 30, 35. 79, 30. 80, 1 sq. 98, 5. 101, 5—15. 114, 15. 124, 1, 5. 128, 20. 143, 1, 10. 152, 5—10. 162, 5. 163, 1. 174, 30. 175, 1. 180, 10. 182, 5, 30. 183, 1. 190, 15, 20. 193, 5. 198, 20. 212, 15. 216, 1 sq. 217, 10. 220, 5—15. 221, 10. 222, 5. 223, 20, 25. 226, 1, 5, 35. 227, 1, 30. 233, 15 sq. 234, 1, 5. 237, 5. 242, 5. 243, 1—20. 247, 30. 250, 25. 255, 15—25. 257, 5—15. 261, 5, 10. 262, 20—35. 263, 30. 265, 20. 267, 10. 268, 35. 275, 5. 281, 5. sq. 282, 25. 283, 5, 10. 284, 5—20. 285, 5—15. 305, 20, 25. 308, 5. 310, 10. 314, 25. 316, 10. 317, 1, 10. 320, 15. 321, 1. 322, 20. 326, 1, 5. 328, 5 sq. 330, 10. 331, 15. 341, 10. 351, 10 sq. 354, 5. 355, 5, 15, 20. 358, 20. 360, 1, 15 sq. 361, 1 sq. 363, 20. 365, 30. 366, 5. 367, 10 sq. 369, 20. 370,

GLOSSARIUM BOHEMICUM.

becwar (*or.*), *bečvář, vietor* 216, 25.

berna (*c. XVII*), berne (*sp. XIII*) *berně*, communis terrae collecta 60, 1. *387, 1. 390, 5.*

ceznici (*or.*); *čiešníci, caliciarii* 217, 1.

ceztne (*sp. XIII*); *cestné, theloneum de via*; theloneum, quod dicitur ceztne 436, 15. pertinens ad beneficium forestarii *411, 25.* — *Cf.* czesta.

copecz *v.* kopecz.

czesta (*sp. XIV*); *cesta, via*; *414, 15, 30.*

dedin (*sp. XIII*); *gen. plur. vocis* dědina = *heredium*; praedium iure dedin possidere *387, 15.*

dezho *v.* drugo, druho.

drizeci (*or.*); *dřiezeči*, homines ad ligna findenda obligati; 217, 5.

drugo (*c. XV*), druho (*or.*), dezho (*mendum apogr. s. XV*); *druh*, miles minoris ordinis; 223, 35. 261, 25. 330, 20.

gesero (*sp. XIV*); *jezero, lacus*; *367, 1.*

ghraniz *v.* hranicie.

glaua, glava *v.* hlaua.

hirdozt (*or.*), herdost (*c. XV*); *hrdost, superbia, iniuria* 224, 20. 231, 1.

hlaua, hlava, hlawa, glaua (*or.*), glava (*sp. XIII*); *hlava, caput*; poena, qua condemnabatur villa, ubi homo interfectus erat, cum interfector non captus esset 38, 25. 87, 25. 201, 25. 204, 30.282, 10. 289, 25, 30. 290, 1, 5. 326, 1, 5. 329, 1. 342, 20. *357, 25. 412, 1. 420, 25. 424, 30.*

holoti (*sp. XIII*); *nom. plur. vocis* holot; *custodes canum venaticorum 411, 30.*

hranicie (*sp. XIV*), ghraniz (*sp. XIII*); *hranice, metae*; *366, 15—30. 367, 5, 15—30. 394, 35. 414, 5, 20, 25.* signa, quae vulgo hranicie dicuntur *414, 15*

kerz (*sp. XIV*); *keř, frutex*; rokitowi kerz *366, 30.*

kiy (*or.*); *kyj, fustis*; duellum, quod in vulgari dicitur k. 331, 30.

kmetones, *pl.*, derivatum ab voce *kmet, rusticus*; 223, 20.

kopecz, copecz, *pl.* copci, kopci, kopczy (*sp. XIV*); *kopec*; acervus trabibus circumdatus, signum metarum *366, 15, 35. 367, 1—10, 20, 35. 414, 5—15.*

koselug (*or.*), *kozeluh, coriarius* 217, 1.

lez (*sp. XIV*); *les, silva*; *366, 35.*

lowci (*sp. XIV*), *nom. plur.*, *lovči*; venatores, qui vulgo lowci dicuntur *366, 10.*

luchinici (*c. XV*), *lučnici, plur. vocis* lučník, arcufex, *328, 5.*

luse (*or.*), *luzie?*, ministeriales, qui dicuntur l., in castro Kouřim 216, 10.

narez (*or.*), narecz (*c. XV*); *nářez* [exactio bovum et ceterorum animalium ad cultrum destinatorum]; ius, quod vocatur n.; servitus, quae nominatur n., 103, 25. 105, 20. 201, 25. 204, 30. 275, 25. 326, 5, 10. 329, 1. *357, 25. 411, 30.*

naroc, naroch, narôch, narok (*or.*); *nárok, incusatio, criminatio*; donatio, que vulgo n. appellatur 38, 25. 87, 25. 201, 25. 204, 30. 223, 25, 35. n., quod latine vocatur accusatio 231, 1. 236, 15. si quis ab aliquo pro latrocinio incusetur, quod boemice n. vocatur 326, 5, 10. 329, 1. 330, 15, 20. 342,20. *357, 25. 380, 5. 411, 30.*

nestoyte (*or.*); *nestojte, nolite stare!* (= properate auxilio!); clamor communis, qui nestoyte vulgariter appellatur 331, 10.

nocleh, nochlegh (*or.*), nozleh (*sp. XIII*); *nocleh, pernoctatio*; 103, 25. 105, 20. 272, 25. *411, 30.*

nosko (*or.*); *nosek, naso*; 326, 20, 25.

ocov (*or.*); *okov, vas ferro vinctum* 217, 20.

otbog (*sp. XIII*); *odboj, detrectatio, violentia iuris*; pena, que debetur facientibus otbog *420, 30. 425, 1.*

ozzada (*sp. XIII*); *osada*; vocatur quando camerarius ducit aliquem in testimonium ad citandum aliquos homines *411, 30.*

ozzep (*sp. XIII*); *osep, annona tribuenda 411, 30.*

panosi (*sp. XVII*); *panoši, 417, 20.*

pkelnik, *pl.* pkelnici (*or.*), *pkelník, pkelnici*; *picarius, picarii* 216, 30. 217, 5.

plen (*sp. XIII*), confiscationis sententia, que *plen* dicitur *420, 30. 425, 1.*

poclona (*or.*); *poklona, salutatio*; oblatio, que dicitur p. 217, 10.

podecoing (*or.*); *podkoni*, marscalcus 323, 15.

pogezda *v.* poiezda.

pohonce (*or.*); *póhončie*, solutio, quam citatus arcessitori dare debet 331, 10.

pohonchi, pohonczi (*sp. XIV*); *póhonci, arcessitores*; illi, qui aliquem ad iudicium citant; camerarii, qui vulgo p. dicuntur *364, 1. 414, 5.*

poiezda (*or.*), pogezda (*sp. XIII*); *pojezda*, exactio equorum vehiculariorum; exactiones turpes, que vulgari vocabulo p. vocantur 255, 15. *412, 5. 420, 25. 424, 25.*

pomisci (*or.*); *pomyjci, ablutores*; ministeriales, qui dicuntur pomisci 216, 25.

pomocne (*or.*); *pomocné*; denarii, qui persolvuntur, si quis citatus fuerit et obtinuerit ius suum in iudicio 331, 10.

poowod (*sp. XIII*); onus, quod dicitur p. *420, 25. 424, 25*; fortasse idem atque powoz.

potok (*sp. XIV*), *rivus, rivulus*, *366, 35. 367, 1, 5, 30.*

powod (*or.*); *póvod, pûvod, actor*; 224, 5. 330, 25.

powoz (*or.*); *povoz, vectura*; servitus 103, 25. 105, 20.

preseca, presceka, prezeka (*or.*), preseka, prezeca (*sp. XIII*); *přeseka*; succisio silvae, quod p. dicitur 201, 25. 204, 30. 211, 25. 282, 10. *357, 25. 412, 5. 420, 20. 424, 25.*

prouod (*or.*), prowod (*sp. XIII*); *próvod, conductus*; 201, 25. 204, 30. *420, 25. 424, 25.*

przisudni (*sp. XIV*); *přisudné*, pecunia, quam solvit ille, cui adiudicatum est ius; duos denarios, qui vulgo przisudni dicuntur, in signum causae obtentae iudici praesentare *414, 1.*

pzarowe (*sp. XIII*); *psářové*, debitum canes cum caniductoribus alendi *412, 5.*

rannik (*sp. XIII*); *rannik, vulneratus*; sive [homines] invicem sediciose seu a latronibus vulnerentur, quod est rannik *412, 1.*

rvdnici (*or.*); *rudnici*, fossores metallorum; ministeriales, qui vulgariter dicuntur r. 216, 25.

seztne (*sp. XIII*); *šestné*; sex denarii, qui dantur magistro venatoriae dignitatis *411, 30.*

stol (*or.*), stul (*sp. XIII*); *stól*; kralow stol, kralaw stol, *králóv stól, thronum regis*; 322, 1, 25. *427, 20.*

swod, suode, zuod, zuvod, zwod, zvode (*or.*), zvod (*sp. XIII*); *svod*, 1. devolutio culpae de se in alium, 2. poena, qua mulctabatur vicinitas, cum reus non esset inventus; 38, 25. ius, quod datur pro swod principi vel eius inbeneficiatis 53, 30. 87, 25. 103, 30. 105, 20. 201, 25. 204, 30. 224, 1. 236, 15. 282, 5. 329, 1. 330, 25. 342, 20. *357, 25. 380, 5. 411, 30. 420, 25. 424, 30.*

tone (*or.*), *tóně*; stagnum, quod dicitur tone 216, 35.

trisne (*sp. XIII*); *tržné*, denarii forenses *420, 25. 424, 25.*

wiboy (*or.*), wyboy (*c. XV*); *výboj*, invasio et spoliatio domorum; 224, 15. 331, 1.

wirch (*sp. XIV*); *vrch, origo, fons*; na wirch rivuli *366, 25.*

wizelche (*or.**), vizelez (*sp. XIII*) *viselec, suspensus*; si quis hominum ecclesiae suspensus fuerit, quod wizelche boemice dicitur 326, 5. *412, 1.*

wrez (*or.*); *vřez*, incisura; proprie crena, quae faciebatur in signum, quod persona accusata in ius vocata (citata) erat; pensio quae solvebatur pro citatione 201, 25. 204, 30. si quis citatus fuerit et obtinuerit ius suum in iudicio, neque wrez, neque pohonce . . . persolvat 331, 10, *412, 5.*

vrociscie, vrocyscie (*sp. XIV*); *úročišče, úročiště, limites, metae*; *364, 1.*

yedl (*sp. XIV*); *jedle, abies*; *366, 20.*

zagradne (*or.*); *zahradné, tributum de hortis*, 217, 20.

zoch (*c. XIV*), zok (*or.*); *sok, adversarius, accusator*; 223, 30. 330, 15, 20.

zuod, zuvod, zvod, zwod, zvode *v.* swod.

zwinar (*or.*); *svinař*, porcarius, 216, 30.

CONCORDANTIA NUMERORUM

HUIUS TOMI ET K. J. ERBENI REGESTORUM BOHEMIAE.

Asteriscus Regestorum numero appositus falsa ab Antonio Boczek saeculo superiore confecta significat.

Erben, Regesta I.	Codex dipl. Boh. II.	Erben, Regesta I.	Codex dipl. Boh. II.	Erben, Regesta I.	Codex dipl. Boh. II.	Erben, Regesta I.	Codex dipl. Boh. II.
440	1	470	sp. 357		65	II, n. 2640 p. 1156	100
	2	II, n. 2639	33		66	536	101
441	—	471	sp. 358	IV, n. 1773	67	537	102
	3	472	sp. 354		68		103
*442	—		34	503	69	538	104
443	4	473	35		70	539	sp. 367
444	5	474	36	504	sp. 360	540	386
445	6	475	37	505	74	541	106
*446	—	476	38	506	60	542	107
447	sp. 349	477	39	507	75	543	108
	sp. 350	IV, n. 1772	40	508	71	*544	—
448	8	478	41	509	72	*545	—
449	9	479	42		73	546	109
450	10	480	43	510	sp. 361	547	110
451	7	481	44	511	76	548	sp. 368
	11	482	45	512	77	549	111
	12	483	46	513	78	*550	—
	13	484	—		79		sp. 369
*452	—	485	57	514	80	*551	—
	14	486	47	515	81	552	113
453	15	487	385	516	82	553	114
454	v. tom. III.	488	48	517	86		115
455	27	489	sp. 359	518	83	554	sp. 370
456	26	490	49		84	555	116
457	16		50	519	sp. 362	556	117
381	17		51	520	85	557	133
	18	491	53	521	87	558	118
	19	492	52	522	88		119
	20	493	54		89		120
*458	—	494	—	523	sp. 363	559	sp. 371
459	22		add. 384	524	sp. 364	560	sp. 351
460	21	*495	—	525	90	561	sp. 352
	23	496	55		91	562	sp. 376
461	25	497	v. tom. III.	526	sp. 365	563	—
462	24	498	92	527	93		121
463	—		56	528	94	564	—
464	29	499	112	529	95	565	—
465	31		58	530	sp. 366		122
466	sp. 355	500	61	531	96		123
	32	501	59	532	97		124
467	—	502	62	533	98	566	125
468	sp. 356		63	534	99	II, p. 1156 n. 2641	sp. 372
469	30		64	535	28	567	126

Erben, Regesta I.	Codex dipl. Boh. II.
568	127
	128
	129
569	130
570	131
571	132
572	134
573	135
574	136
575	—
	137
576	138
	139
	140
	141
	142
577	179
578	143
579	144
580	145
	146
	147
	148
581	149
582	150
583	151
584	152
585	153
586	169
587	154
588	155
589	156
590	157
591	158
592	159
593	sp. 373
594	161
595	160
596	162
597	—
598	163
599	164
	165
600	166
601	—
602	167
603	168
604	171

Erben, Regesta I.	Codex dipl. Boh. II.
605	172
606	170
607	173
	174
	175
608	176
	177
	178
	180
609	181
	182
610	sp. 374
611	188
612	183
613	185
614	186
615	187
616	244
617	335
618	184
	189
619	190
620	sp. 375
121	v. tom. IV.
622	191
	192
623	193
624	194
625	199
626	196
	198
627	195
628	197
629	200
630	201
631	202
632	203
633	204
634	208
*635	—
636	205
637	206
638	207
	387
639	209
640	210
	211
641	212

Erben, Regesta I.	Codex dipl. Boh. II.
642	—
643	213
644	214
645	215
II. p. 1159 n. 2642	216
646	217
647	218
	219
	220
	221
648	222
	223
	224
649	225
650	226
651	227
652	230
not. ad 652	229
*653	—
654	233
655 et add. n. 7	234
656	228
657	236
658	232
659	238
660	239
661	231
662	241
663	237
664	235
665	346
666	240
II. p. 1159 n. 2643	377
667	242
II. p. 463 n. 1098	243
668	250
669	245
670	246
*671	—
*672	—
*673	—
674	247
675	248
	249
676	250
	251
677	252
678	—

Erben, Regesta I.	Codex dipl. Boh. II.
679	253
680	254
681	255
682	256
683	257
684	258
685	259
686	265
687	261, 262
688	260
689	263
690	264
	266
691	267
692	268
693	269
p. 612 add. n. 8	270
694	271
*695	—
696	272
697	273
698	274
	275
669	276
IV, n. 2080	277
700	278
701	279
	280
IV, n. 1774	281
702	282
	283
703	284
704	285
705	286
706	289
707	288
708	287
	290
709	291
	292
	293
710	308
711	294
712	295
713	296
714	297
715	298

Erben, Regesta I.	Codex dipl. Boh. II.	Erben, Regesta I,	Codex dipl. Boh. II.	Erben, Regesta I.	Codex dipl. Boh. II,	Erben, Regesta I.	Codex dipl. Boh. II,
	299		312	*740	—		sp. 383
	300	728	313	*741	—	753	345
716	301	729	314	742	325	754	347
717	302		315		326	755	v. tom. III.
718	303	730	316	*743	—	756	335
IV, n. 1775	304		317	*744	—	757	336
719	305	731	318	*745	—	758	v. tom. III.
*720	—	732	319	746	—	759	337
721	306	733	323	747	327	760	338
722	sp. 378	734	320	748	328	761	339
723	sp. 379	735	{ 321		329	762	340
	307		{ sp. 380	749	330		341
724	309	736	322	750	331	763	342
725	324	737	sp. 381	751	sp. 382	II, n. 2644	343
726	310	738	—	752	333		344
727	311	739	332		334		